
3 1761 07833930 6

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ prodierunt Anno MDCCLXXIII.

Rm̃o P. D.

FRANCISCO XAVERIO
DE ZELADA
ARCHIEPISCOPO PETRENSI
SECRETARIO.

POSTEA

S. R. E. CARDINALI
Presbytero SS. Silvestri, & Martini
ad Montes.

TOMUS XXXXII.



ROMÆ MDCCLXXIII.
Ex Typographia Bernabò, et Lazzarini.
SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1773. per Diœceses dispositus.

A

B

C

E

F

G

Hispa-

FINIS.

Die Sabbathi 23 Januarii 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Dilata ad hodiernam Congregationem fuit propositio duarum, quæ sequuntur Causarum, & de quibus actum est in Folio postremæ Congregationis habitæ die 19. Decembris anni nuper elapsi. Reliquæ nunc ex integro proponuntur, de quibus EE. VV. judicium requiritur.

SARSINATEN. ERECTIONIS ORATORII.

Sess.22. Decret. de observan., & evitan. in celebr. Miss.

An, & quomodo sit locus construtioni publici Oratorii in Loco di Schiazzano, in casu &c.

Affirmativè juxta votum Episcopi, assignata dote arbitrio Episcopi pro manutentione Oratorii, & scribatur juxta mentem.

MONTIS FALISCI DISTRIBUTIONUM.

Sess.22. cap. 3. de Reform.

An, & quæ distributiones quotidianæ debeantur Canonico Dominico *Jacopini, in casu &c.*

Non deberi in casu participationem fructuum ex massa, quæ dicitur *grossa*.

Sess.24. cap.1. de Reform.

THEATINA MATRIMONII. Quum primum in Congregatione diei 16. Martii 1771. nobilis Puella Anna Maria Leognani proposuit nullitatem matrimonii ab ipsa contracti cum nobili Viro Duce Ignatio de Dura, tum ob coactionem, metumque a Patre incussum, tum ob defectum legitimæ ætatis, tum etiam ob deficientiam proprii Parochi, Emi PP. dilata resolutione coadjuvandas mandarunt probationes, & Archiepiscopo Theatino injunxerunt,

runt, ut formali examini subjiceret Actricis Matrem, nec non Archipresbyterum Catineani, aliosque Testes, & jura omnia a Matrimonii Defensore exhibenda reciperet. Hisce peractis, etsi Archipresbyter Catineani morte præventus audiri non potuerit, transmisso nihilominus quoad reliqua legali processu, repetitum fuit examen *die 9. Augusti* anni nuper elapsi, prodiitque responsum pro nullitate Matrimonii.

Hujusce resolutionis confirmationem efflagitat Ducissa Anna Maria iisdem innixa rationibus, & documentis, quæ semel, atque iterum deduxit. Verùm Matrimonii Defensor denuò animadvertit, coactionem, metumque non aliunde desumi, quam ex testibus, quorum aliqui tanquam Consanguinei, vel Affines, aut intrinseci Familiares non merentur attendi *Cap. Litteris testib. quæst. 6. num. 160.*, alii verò tanquam infimæ conditionis despiciendi sunt in re gravissima, quæ testes requirit omni exceptione majores *Cap. Super eo qui cognov. consag.* Præsertim quia inverosimilia deponunt, cum præsumi non possit, Amantissimum Patrem ad invitas Nuptias cogere voluisse unicam filiam, quam summoperè diligebat. Atque insuper quia Testium dictis adversantur geminæ voluntatis explorationes factæ ab Archiepiscopo, & Vicario Generali Theatino, qui retulerunt, invenisse Ducissam Annam Mariam paratam ad contrahendum sponte, propriaquè electione Matrimonium cum Duce de Dura; non autem vel minis, & violentiis, aut blanditiis commotam.

Atque hæc quoad coactionem. Quo verò ad defectum legitimæ ætatis observat, hujusmodi defectum non inducere impedimentum simplex, & absolutum, sed conditionatum quatenus scilicet malitia non suppleat ætatem *Cap. De illis 9. de desponsat. Impuber.* In præsenti autem casu Ducissæ Annæ Mariæ ætatem malitia, seù discretione suppletam deprehendi tum ex relatione Archiepiscopi, qui ait = *Oltre gl'altri obblighi Conjugali, lo che tutto intende, e conosce pienamente, rilevasi in di lei giusta capacità, e malizia conveniente sù tal proposito, coll'inclinazione di passare all'ultimazione del Matrimonio* = tum ex altera relatione Vicarii Generalis, qui testatus est = *Sapeva benissimo, che cosa era Matrimonio, e che era pronta a congiungersi in Matrimonio col detto Signor Duca de Dura* = Sustinet autem, hac in re standum esse judicio Ordinarii *Fagnan. in citat. Cap. De illis de Desponsat. Impuber. n. 47., Perez de Matrim. disp. 37. sect. 12. n. 7., Covarr. de Sponsal. par. 2. cap. 5. num. 5.*

E' conspectu itaque relationis Archiepiscopi Theatini, ejusque Vicarii Generalis rejiciendos esse dicit Testes, qui Ducissam Annam Mariam inhabilem ad matrimonium asseruerunt, cum eorum aliqui de auditu deposuerint vel ab ipsa Ducissa, vel ab ejus Matre, nec matrimonii tempus per-

percutiant; alii verò nullam sibi vindicent fidem vel quia Affines, ac Familiares; vel quia fassi sunt, matrimonii dissolutionem summoperè optare *Rot. decis.* 179. *num.* 10. *coram Peutinger.*, *& in Recent. dec.* 119. *num.* 1. *par.* 16., *& dec.* 395. *num.* 17. *par.* 17., alii demum sunt omnino posthabendi, tum quia de mendacio convincuntur, tùm etiam quia Mulier apta esse potest ad matrimonium etiamsi consueta sexus incommoda non patiatur *Vansvieten Commentar. in Aphorism. Boeravii tom.* 2. *§.* 1284., cum sufficiat, ut membra ad generationem destinata sint ritè constructa, partesque ordinatìm dispositæ *Astruec. de morb. Mulier. tom.* 2. *cap.* 6., *Marinell. in Comment. ad libros Hipocratis comment.* 3.

Quamvis autem ad dignoscendam Mulieris capacitatem adhibiti non fuerint Periti, contendit nihilominus nullimodè ad id requiri Testium, ac Peritorum depositiones, quod inverecundum foret, & in maximum Puellarum ludibrium vergeret, sed Ordinarii Testimonium sufficere. Maximè quia Ordinarius non de rudimentis Fidei Ducissam interrogavit, sed super Matrimonii essentia, & obligationibus illam exploravit; idque peregit etiam Vicarius Generalis, qui ab ea requisivit *se sapeva cosi era Matrimonio*, *ed altro*, quæ quidem verba ad cognitionem substantiæ Matrimonii referri debent.

Progreditur tandem ad tertium nullitatis caput a deficientia proprii Parochi desumptum, ac præmittit, ex dispositione Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* licere cuique Parocho, multoque magis Episcopo, aut Vicario Generali facultatem alteri Sacerdoti concedere assistendi Matrimonio *Pax Jordan. elucubr. canon. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 7. *de Matrimon*, *num.* 67., *Panimoll. decis.* 19. *annot.* 1. *numer.* 23., *& seq.*, *Rot. decis.* 239. *num.* 45., *& seq. coram San. Mem. Clemente XIII.*. Et hanc facultatem concedi posse etiamsi matrimonium ineundum sit extra limites propriæ jurisdictionis *Barbos. de offic.*, *& potest. Episcop. allegat.* 32. *num.* 114., *& de potest. Paroch. part.* 2. *cap.* 4. *num.* 31. *&* 60., cum jus concedendi hujusmodi facultatem sit actus jurisdictionis voluntariæ, qui ubique potest exerceri *Clericat. de Sacram. Matrimon. decis.* 35. *num.* 12., *Guttier. de Matrimon. cap.* 62. *num.* 10.. Ex his infert, matrimonium fuisse ritè contractum coram Archipresbytero Catineani, qui Matrimonio adstitit vigore facultatis eidem tributæ a Vicario Generali, & a Parocho hebdomadali Cathedralis Ecclesiæ Theatinæ.

Inverosimile autem omnino esse dicit, quod hujusmodi licentia eidem Archipresbytero exhibita non fuerit, cum præsumi non possit, ipsum matrimonio assistere voluisse absque eo, quod de facultate sibi tributa constitisset, idque excludi prorsus affirmat ex testimonio ejusdem Archipresbyteri, qui Matrimonio adstitisse testatus est vigore de-

legationis a Duce de Dura ipsi exhibitæ, & a Curia Archiepiscopali expeditæ. Cæterum sustinet ad Matrimonii validitatem necessariam non fuisse licentiæ exhibitionem *Zoes. in Decret lib.4. de Sponsal.*, *& Matrim. cap.3. §.62. num.303. Capon. disceptat. forens.* 159. *num.*13., cum satis sit; ut de veritate Mandati aliundè constet. Atque hinc nihil officere, quod memoratus Archipresbyter tantummodò in suo Parochiali Codice retulerit licentiam sibi tributam ab Abbate Murronensi, cui suberat, nam quotiès de Matrimonii validitate constat, nil refert, licentiam Vicarii Generalis Theatini, & Parochi hebdomadalis in Parochialibus libris transcriptam non reperiri.

Hæc sunt, quæ Matrimonii Defensor iterum pro suo munere animadvertenda proponit. Si quæ verò notatu digna visa fuerint, jam alias exposita comperiuntur in istius Causæ foliis, dierum scilicet 16. Martii 1771., & 8. Aug. 1772., quæ ab Emis PP. opportunè resumi nunc poterunt, ut definiant

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 21. cap. 2. de Reform.

SUTRINA. Mos invaluit in Diœcesi Sutrina, ut qui titulo Patrimonii ad Ordines promoventur, exemplar Instrumenti Constitutionis ad publicum Communitatis Archivum deferre teneantur. Hinc Cancellarii Episcopalis commodum, qui emolumentum pro copia Instrumenti percipit, & non leve Ordinandorum onus, ac præjudicium, dum ad solutionem emolumenti pro eadem copia adiguntur Itaque a publico Civitatis Consilio duo electi fuerunt Deputati, nempe Comes Josephus Cialli, & Capitaneus Franciscus Antonius Nesola, qui Eminentissimo Cardinali Pamphilio Apostolico Diœcesis Visitatori supplicarent, ut abusum evelleret, nec longiore temporis lapsu altiores radices figere permitteret.

Exposuerunt autem, usque ab anno 1625. Sacræ hujus Congregationis decreto definitum fuisse, Instrumenta constitutionis Patrimonii Sacri non esse Communitatum Ministris consignanda, ut in publicis Archivis reponantur, sed tantùm in Episcopali Cancellaria fore asservanda. Et hanc quoque retroactis temporibus fuisse Diœcesis Sutrinæ praxim, quæ tamen postea ex unius Cancellarii Episcopalis voluntate, ac lucri cupiditate fuit immutata.

Verum cum relatum Sacræ Congregationis decretum Eminentissimo Visitatori non fuerit exhibitum, idcircò pro ea,

ea, quæ pollet maturitate, prudentique consilio, Deputatis insinuavit, ut hujusmodi recursum EE. VV. deferrent. Preces itaque modò exhibent, ut declaretur, in memorato decreto Instrumenta etiam comprehendi assignationis bonorum, quæ in titulum Patrimonii Sacri constituuntur, cum hujusmodi bonorum assignationes temporaneæ sint, nec ultra vitam Clerici protrahantur, & ideo ad vitam tantùm Clerici eadem bona immunia sint ab oneribus Cameralibus.

Laudatus Eminentissimus Visitator super Deputatorum instantia requisitus, ait, audivisse publici Archivi Custodem; qui id nil sua interesse professus est. Cancellarius autem Episcopalis, licèt conqueratur de præjudicio sibi obventuro, si res pro voto Deputatorum cedat, nullimodè tamen contradictorem præbere se velle declaravit. Addit, in elencho Scripturarum, quæ ex præscripto Concilii Romani in Episcopalibus Curiis servari debent, non invenisse instrumenta, de quibus est quæstio, & inspecto Edicto Eminentissimi Camerarii de Scripturis publico Archivo exhibendis, rem adhuc incertam manere; decretum verò Sacræ hujus Congregationis anni 1625. nec vidisse, nec datum sibi fuisse illud in Civitate Sutrina reperire, cujus tamen existentia, ac littera pro definitione præsentis quæstionis ab EE. VV. cognosci poterit. Denique ita concludit = *Quod ad meum votum attinet, pro Clericis causam agendo, dicerem, optandum esse, ne ipsi expensa publici Instrumenti Archivo exhibendi graventur* =

Orta jam controversia fuit inter Episcopum, & Communitatem Civitatis Castelli super custodia Scripturarum, quæ ex Constitut. 83. san. mem. Sixti V. in publicis Archivis sunt asservandæ. De hac autem Sacra Congregatio die 20. Septembris anni 1725. Vicario Perusino hæc scripsit = *Cum actum esset in Sacra Congregatione de asservatione Scripturarum Fori Episcopalis Civitatis Castelli inter Episcopum, & Communitatem ejus Civitatis, Sacra Congregatio auditis Partibus censuit, Scripturas omnes rogatas a Cancellario Episcopali, tanquam illius Curiæ Cancellario, esse asservandas, & custodiendas in Cancellaria ipsius Episcopi, & ne in hujusmodi Scripturarum separatione oriantur controversiæ, & scandala, tibi, quod facimus, committendum duxit, ut illuc te transferas, & Scripturas in folio his litteris adjuncto exaratas, ac si quæ aliæ rogatæ fuerint a Cancellario Episcopali, tanquam illius Curiæ Cancellario, separes a Scripturis Archivi Communitatis, & ad Cancellariam ipsius Episcopi deferendas cures* = ut ex Regestro Litterarum lib. XI. pag. 235.

De hoc decreto meminit etiam Edictum, quod de Archivis Status Ecclesiastici latum fuit *die* 1. *Junii* 1748. a tunc temporis Cardinali S. R. E. Camerario, ubi §. 16. ita legitur = *E giacchè succede ancora l'altro abuso, che alcuni Cancellieri de*

Ve-

Vescovi rogando ogni sorte d'Istromenti anche frà persone laiche, per esimersi da portar le copie di questi nell'Archivio, il ripongogono nella Cancellaria Vescovile, ordiniamo, e comandiamo, che ancor questi, eccettuate solamente le Scritture stabilite nel decreto generale della Sagra Congregazione del Concilio in data li 9. Decembre 1625., debbano di tutte l'altre portar le copie negl' Archivj locali sotto pena alli Contraventori di privarli della facoltà di poter più rogare, e di altre a nostro arbitrio &c. =

Quoniam verò in relata Sacræ hujus Congregationis epistola Vicario Perusino directa mentio habetur de quodam solio, seu Scripturarum elencho, quod adiungi dicitur, non inopportunè notandum arbitror, hujusmodi folium quavis adhibita diligentia in Regestris Sacræ Congregationis reperiri non potuisse. Advertit autem *Pignattell. tom.4. consult.210. num.4.* fuisse eidem Sac. Congregationi supplicatum, ut declararet, nonnullas Scripturas ab eo ibidem transcriptas ad Curiam Episcopalem pertinere, & in Cancellaria Episcopali fore asservandas, prout reveri *die 4. Novembris 1625.* declaratum extitisse affirmat. Has inter Scripturas nulla expressa habetur mentio Instrumentorum constitutionis Patrimonii Sacri, recensentur tamen *Scripturæ omnes beneficiales, Scripturæ Ordinationis, & si quæ aliæ rogatæ fuerint a Cancellario Episcopali, tamquam Cancellario illius Curiæ.*

Cohæret Concilium Romanum *in appendice ad tit.13. cap.3.*, ubi singillatim enumerantur Scripturæ in Cancellaria Episcopali custodiendæ: Siquidem *num.2.* asservari decern tur *= le Scritture dell'Ordinazioni, o collazioni degl'Ordini così maggiori, come minori a qualunque persona =* & *num. 3.* ibi *= Le Scritture delle collazioni, o istituzioni de' beneficj &c. delle rinunzie, o permutazioni seguite, e di tutte le altre Scritture beneficiali &c.*. Præcisius ad rem videtur decretum Sacræ Congregationis Immunitatis in *Nicæen. 28. Septembris 1677. lib.2. decret. Altoviti pag.1461.*, quod habetur penes *Ricc. Synops. decret.*, *& resolut. ejusdem Sacræ Congregationis verb. Scripturæ num. 1.* his verbis conceptum *= Ecclesiastici non possunt cogi ad faciendam insinuationem in Cancellaria Laicali Instrumentorum dotalium Monialium, Patrimoniorum, & similium Scripturarum =*

Hæc omnia Eminentissimi PP. perpendere rogantur, ut definiant

An exemplaria Instrumentorum, quæ conficiuntur pro constitutione Patrimonii Sacri deferri debeant ad publicum Communitatis Archivum, in casu &c.

Negativè.

VI-

VIGLEVANEN. BENEFICII. In supremis tabulis anni 1655. Sebastianus Tartari Civis Viglevanensis hæredem ex Asse instituit Ven. Sodalitium erectum in Ecclesia Parochiali S. Dionisii ejusdem Civitatis; pluribus; conscriptis legatis, inter quæ præcipue recensetur erectio unius Capellaniæ, seu Beneficii sub invocatione S. Dionisii cum onere celebrandi quotidianum sacrum in sui, suæque Uxoris suffragium, nec non accedendi diebus festis ad Scholam Doctrinæ Christianæ, ibique parvulos docendi rudimenta Fidei, cujus Beneficii juspatronatus perpetuo reliquit eidem Sodalitio. Pro dote autem ejusdem Beneficii jussit *assignari tantam partem capitalis, seu capitalium per ipsum Testatorem collocatorum super Banco S. Ambrosii Mediolani, quantum capit summa capitalis librarum 6300. Imper. monet. currentis, cum jure, & facultate Rev. pro tempore Capellano exigendi, & percipiendi annuos reditus, fructus, & utilia ad ratam dicti capitalis &c. imo teneatur dictus Rev. Capellanus pro tempore exactionem prædictam propriis impensis facere, itaut pro ea in aliquo non gravetur dicta Confraternitas hæres universalis.*

Sess. 22. decret. de observ. & evit. in celeb. Miss.

Fructus hujus capitalis, quod Testamenti tempore reddebat scuta 5. in singula centena, abibat ad annua scuta 42. monetæ Romanæ: At paulo post imminutis fructibus ad scuta duo pro quolibet centenario, vix ad scuta 16. 80. redactum fuit. Hinc in ipso actu erectionis Beneficii secutæ anno 1660., attenta reditum diminutione, non onus Sacri quotidiani, sed Missarum 144. annualium dumtaxat injunctum fuit, ad ratam nempe obul. Rom. 11. & 2. ter. pro qualibet Missa. Verùm cum hæc ipsa eleemosyna, ne Taxam quidem Synodalem adæquet, qua eleemosyna præfinitur in obul. 13. & 1. ter. pro qualibet Missa; ob infrequentiam idcirco Sacerdotum, qui velint dicta Sacra minori eleemosyna celebrare, Promotor Fiscalis nomine Episcopi, ad quem jure devolutionis collatio dicti Beneficii in præsens spectat, supplicat pro onerum reductione ad ratam eleemosynæ præscriptæ in Taxa Synodali, nempe ad obul 13, & 1. ter, pro qualibet Missa.

Inquit, præscriptam dotem non demonstrativé, sed taxativè fuisse assignatam. Testatore enim vivente reditus imminuti fuerunt, nec tamen ipse de augumento cogitavit, nec majus addidit capitale. Ipsum insuper Testatorem nonnisi taxativa verba adhibuisse, dum voluit unicé capi *tantam partem capitalis, quantum capit summa capitalis librar. 6300.*. Onus itidem exactionis fructuum soli Capellano pro tempore injunxisse, ne majori onere ultra assignationem dicti capitalis Sodalitium gravaretur. Demum in ipso actu erectionis fuisse onus Missarum ad ratam redituum redactum, hancque ipsam reductionem ultra centenariam usque ad præsens servatam fuisse. Nefas ideo esse modo de justitia re-

reductionis dubitare, vel etiam quærere, an destinata dos stet taxativè, vel demonstrativè.

pernendum hinc esse simplicem ordinem scripturæ, vel materialem verborum figuram. In ultimis enim voluntatibus præcipue Testatoris voluntas, & dispositionis substantia spectari debet, quæ cæteris omnibus semper anteponenda est. Cæterùm addit, Sodalitium tot, tantisque legatis prægravatum a Testatore fuisse, ut nihil ei superesse posit ad supplendum: immo adeo gravi inopia, & ære alieno premi, ut omnino impos sit ad majus onus ferendum, & nonnisi diutina, ac difficili lite ad supplementum cogi potest. Qua de re concludit, nihil justius, ac æquius esse, quam ut onera Sacrorum ad ratam redituum juxta Taxam Synodalem reducantur.

Episcopus maxime adjuvat preces Promotoris Fiscalis, ut ope reductionis idoneus Sacerdos eligi queat, qui sedulo, ac diligenter rudimenta Fidei, & Doctrinæ Christianæ pueros doceat.

Cùm oneri implendo quantitas designata impar deprehenditur, ac de eo minuendo, vel augenda pecunia legata agitur, communis distinctio est, num quantitas *taxativè* relicta sit, & tunc onus minuitur *Leg. si quis ff. de leg.* 2.: an vero *demonstrativè*, & tunc onus non minuitur, sed hæres de suo supplet *L. quidam ff. de leg.* 2., *l. Paulo Callancio §. Julianus, & l. non aliter §.* 1. *ff. de legat.* 3.

Communis autem regula est, censeri *taxativè* relictum, quando legatum incipit ab assignatione fundi, vel quantitatis, & deinde onus sequitur *Rot. in Romana Supplementi, & ap- applicationis* 11. *Junii* 1731. *§. tunc coram Aldrovando, & in Romana Salviani* 16. *Februarii* 1753. *§.* 8. *coram Eminentissimo Molino*. Contra *demonstrative* relictum dicitur, quando incipit ab onere, atque assignatio fundi, vel quantitatis adjungitur *Rot. coram Ansald. decis.* 795. *num.* 7., *& in Urbevetana Legati* 3. *Decembris* 1753. *§.* 6. *coram clar. mem. Card. Bussio*. Verùm hoc argumentum ex ordine scripturæ desumptum penitùs cessat, si contraria voluntas Testatoris ex tota scriptura, aliisque conjecturis appareat, *Rota in Romana Salviani* 16. *Februarii* 1753. *§.* 8. *cor. Emo Molino*.

Quænam itaque in casù fuerit verosimilis Testatoris voluntas dignoscendum est ex verbis Testamenti, ex integro ejusdem contextu, & ex aliis circumstantiis in casu concurrentibus. Advertendum tamen, jam usque ab *anno* 1660. in ipso actu erectionis Beneficii non quidem Sodalitium adactum fuisse ad supplendum, sed onera Missarum imminuta fuisse, ita ut usque ad præsens per longævum tempus 112. annorum semper quantitas dotis reputata fuerit non *demonstrativè*, sed *taxativè* designata, unde nonnisi ad ratam redituum, & juxta reductionem in erectione præscriptam numerus Missarum fuit impletus.

Quan-

Quando autem reductio necessaria sit, inquirendum superest, ad quam rationem fieri debeat. Sacra Congregatio juxta varias rerum circumstantias aliquando eam concessit ad rationem eleemosynæ perpetuæ, ut in *Prænestina* 15. *Febr.* 1709., *in Romana* 6.*Februarii* 1734.: Aliquando ad rationem manualis, ut in *Nepesina* 24.*Julii* 1734., *& in Florentina* 8. *Junii* 1765.; Aliquando vero eam arbitrio Ordinarii reliquit, ut in *Vigilien.Decanatus* 23.*Julii* 1729., *in Lucana applicationis Missæ* 19. *Junii* 1725., *& in Albintimilien* 2.*Martii* 1765.

Eminentissimi PP., qua pollent juris sacri peritia, sententiam dicent

An sit locus reductioni Missarum Beneficii fundati a qu. Sebastiano Tartaro in casu &c.

Affirmativè ad rationem eleemosynæ manualis.

VELITERNA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Ex testamento Salvatoris Scandelloni habuit Capitulum Cathedralis Veliternæ summam scutorum 7500., ut ex ejus reditibus traderet quotannis octo Subsidia dotalia scutotorum 25. pro quolibet, in quorum distributione Testator præferri mandavit Puellas consanguineas, & affines. Anno 1748. tres pauperes Sorores de Taleonis Testatoris consanguineæ Summo Pontifici obtulerunt libellum, postulantes, ut ex iis Subsidiis dotalibus de congrua sibi dote provideretur. Renuit Capitulum petitioni assentiri, sed clar. mem. Cardinalis Ruffo tunc temporis Episcopus Veliternus censuit, unicuique concedi summam scutor. 300. Sacra autem Congregatio ipsarum cuilibet scuta 200. assignavit. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

His, aliarumque pecuniarum auxiliis dotatæ, duæ ex iisdem Sororibùs, Catharina, & Theodora, decoras sibi nuptias conciliarunt: Id tamen desideratur a Victoria altera Sorore, cui par non fuit ad matrimonium contrahendum tributa ex benignitate Sac. Congregationis quantitas scutorum 200., & manet adhùc innupta. Cum autem interim resciverit, alteri Puellæ Angelæ Mariæ Consobrinæ suæ, Capitulo annuente, ex Subsidiis iisdem assignatam fuisse dotem ad summam usque scutor. 800., hujusmodi exemplo permota, petiit & ipsa a Sanctissimo Domino Nostro, ut sibi addicerentur scuta 600., quæ cum aliis scut.200. prius assequutis, congruam dotem constituant. Preces remissæ fue-

fuerunt EE. VV., ut fuper iis decernerent quidquid opportunum judicaverint.

Ait Victoria, parem effe ejus, & Annæ Mariæ Giorgi conditionem, quum utraque Teftatori eodem gradu conjuncta fit, proindeque fi Annæ Mariæ Giorgi dos in fumma fc.800. fuit conftituta, eodem ,immo potiori jure in eadem quantitate fit eidem conftituenda, quia graviore præmitur ægeftate. Advertit,ipfam adhuc innuptam manere, & ætatem agere annorum quadraginta duorum nec ullam habere fpem aliunde confequendi fubfidia pro matrimonio contrahendo, cui quidem infortunio fubjectæ quoque fuiffent aliæ Sorores Catharina, & Theodora, nifi illa Viro nobili, & locupleti, fed fexaginario nupfiffet, hæc verò dotis augumentum ex Viri fui liberalitate fuiffet affequuta.

Verum Capitulum Cathedralis petitioni acriter contradicit, & in nonnullis foliis Eminentiffimo Epifcopo oblatis,fuftinet, Victoriam neque nobilitate, neque inopia effe cum Puella Giorgi comparandam. Etenim quoad nobilitatem obfervat, quod licet utraque ex latere Matris eodem gradu coniuncta fit, nihilominus ex paterno latere longe præcedat Puellam Giorgi. Quo verò ad paupertatem ait, huic Puellæ dotem fuiffe a Patre nobilium more relictam in fumma fcut.2000., fed nihil prorfus confequi potuiffe ex paterna hæreditate, quæ ære alieno obruta reperta fuit, & tantum maternæ Dotis percepiffe trientem, qui fcuta bifcentum non excedit.

Addit, poft obtentam ab Oratrice dotem fcut.200., nil ei deterius accidiffe, immò per obitum jamdiu fequutum Catharinæ Sororis abfque liberis, iftius dotem ad fuos rediiffe, ex qua ejufdem Oratricis dos poterit augeri. Præfertim quia alimenta percipit a Fratre, qui ex bonis Ecclefiafticis annua retrahit fcuta 90. Denique contendit, Oratricis ætatem dotis augumentum nequaquam expofcere, quod vergeret in præjudicium aliarum Puellarum periclitantium, quibus Teftator profpexit, quæque ratione ætatis, & conditionis graviori periculo fubiiciuntur.

Eminentiffimus Epifcopus, cui a Teftatore facultas tributa fuit interpretandi, & explicandi quidquid, quoad fubfidia dotalia ab eo relicta, dubium, aut ambiguum foret, exiftimat, Oratricis preces non omninò reiiciendas, fed habita ætatis ratione, eidem affignari poffe cenfet alia fcuta 100. infra biennium folvenda, ea tamen conditione, *ut ab eadem Oratrice idonea cautio præftetur de reftituenda in cafu obitus abfque liberis dimidia faltem totius fummæ tercentorum fcutorum parte, quæ rurfus a Capitulo diftribuatur in Pauperum Puellarum fubfidia*. Quamvis autem Teftator dotium reverfionem omninò rejecerit, id tamen intelligendum putat de fola dote fcutorum 25. ab eo relicta, non tamen de majori fumma, quæ alicui affignari contingat.

Sæ-

Sæpè Sacra Congregatio Consanguineas Puellas prætulit extraneis, earumque favore subsidiorum dotalium cumulum fieri mandavit. Plura hac de rè habentur exempla in folio causæ, cui titulus *Romana, seu Sabinen. subsidiorum dotalium 20. Decembris 1766.* In præsenti casu habendæ præ oculis sunt circumstantiæ paupertatis, & ætatis Oratricis, nec non exemplum Puellæ Annæ Mariæ Giorgi, cui ipsa innititur. Horum è conspectu videndum, quanti facienda sit oppositio Capituli Cathedralis, & quanti ponderis sint rationes ab eo relatæ in Foliis Eminentissimo Episcopo exhibitis. His ergo perpensis dijudicandum erit.

An, & in qua summa sit locus augumento dotis in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

FULGINATEN. ALTARISTATUS. Nobilis Mulier Honesta Benaglia Roncalli anno 1645. vivens instituit in Parochiali Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ Civitatis Fulginei Cappellaniam, quam Altaristatum appellavit, declaravitque nolle *erigere, vel constituere juspatronatus, nec non aliquod Beneficium Ecclesiasticum perpetuum collativum, vel quovis alio titulo, sed dumtaxat ordinare, & disponere, ut de fructibus infrascriptæ possessionis, seu de infrascripta annua præstatione perpetuò celebrentur Missæ infrascriptæ pro salute Animæ propriæ, & suorum juxta intentionem suam.* Reditus Altaristatus constituit in annuis scutis 25. retrahendis ex fructibus cujusdam prædii in Territorio Assisii existentis, & præcisè in loco denominat. *S. Vincenzo.* *Sess. 25. cap. 9. de Reform.*

Primo, & secundo Altaristæ, ad eorum vitam nominato, onus imposuit duarum Missarum singulis hebdomadis in memorata Ecclesia S. Mariæ Magdalenæ celebrandarum: Reliquis verò in Altaristatu successoribus, quos ad nutum amovibiles fore mandavit, onus adauxit ad tres Missas, vel per se, vel per alium celebrandas, feria II., IV., & VI. cujuslibet hebdomadæ. Patronatum reliquit hæredibus, & successoribus masculis, ac in istorum defectu etiam fœminis, quibus omnibus facultatem tribuit subrogandi in locum prædii pro dote Altaristatus assignati alia bona stabilia, seu loca Montium, quæ redderent annua scuta 25.. Ac demum expresse prohibuit, *ne ullo unquam tempore ejus Successores, & hæredes, sive Altaristæ possint mutare formam, seu titulum præsentis Altaristatus, nec minus aliquis Superior quavis Auctoritate insignitus, etiam de consen-*

su suorum hæredum, & Successorum sponte, nec motu proprio, sed perpetuò maneat in sua præcisa forma, cum dictis conditionibus, ac expresse prohibuit, quod mutetur dicta forma Altaristatus ad beneficium Ecclesiasticum.

Post obitum Institutricis Laurentius, & Joseph de Jacobillis, qui in semisse hæreditatis successerunt, vindicare cupientes a Missarum onere prædium *di S. Vincenzo* pro rata sc. 12. ÷ ab ipsis conferenda, nonnulla alia bona, quorum reditus eidem summæ respondebant, prævia Peritorum æstimatione, ac Ordinarii consensu subrogarunt; quæ tamen postea multum passa sunt decrementum. Cum autem modo patronatus integrè pervenerit ad Comites de Fluminibus, atque ab iis nominatus fuerit ad Altaristatum Clericus Pompejus Carpinelli, & consensum quoque præstiterint perpetuationi, ut nominatus ad Sacros Ordines possit promoveri, hoc in præsenti idem Clericus Carpinelli ab EE. VV. humiliter implorat.

Episcopus Fulginatensis refert, bona a Familia de Jacobillis olim subrogata pro medietate dotis Altaristatus, summam huic medietati parem tunc reddidisse, sed decursu temporis adeo fuisse imminuta, ut modo ex iis vix scuta tria retrahantur; Huic vero summæ additis aliis scutis 12.50. alteram dotis medietatem constituentibus, palam esse, integros Altaristatus reditus modo haud excedere annua scuta 15. 50., quæ injuncto Missarum oneri imparia omninò comperiuntur. Post hæc de Altaristatus assignatione in titulum Patrimonii Sacri, deque istius perpetuatione, nonnulla expendenda proponit his verbis = *Quamobrem an Orator in illius titulum ad Ordines promoveri queat, pendet primum a Missarum oneribus, utrum hæc ab isto titulo EE. VV. velint, nec ne detrahenda. Pendet deinde ex quantitate Patrimonii a Synodali constitutione vel Assisii more requisita; supplemento enim Patrimonii fortasse opus erit. Pendet denique ab EE.VV. arbitrio, quæ nimirum amovibilitatis impedimentum ob consensum hodierni Patroni præstito benigne removeant.*

Episcopus autem Assisiensis, cui Clericus Carpinelli subest, ejus precibus assentiri posse existimat. Ac præterea idem Clericus fidem exhibet Cancellarii Episcopalis Assisii, ex qua constat, ipsum præter nonnulla bona stabilia, possidere etiam beneficium sub invocatione S. Mariæ Gratiarum, ex quibus, addito redditu Altaristatus, congruum sibi constituere poterit pro Sacris Ordinibus Patrimonium, quod Synodalibus illius Diæcesis Constitutionibus in annuis scutis 36. præfinitum affirmat.

Perpendendum primò in hac causa occurrit, an Altaristatus, de quo agitur, haberi debeat tanquam simplex Missarum legatum, & an in titulum Patrimonii Sacri constitui possit. In una *Albinganen. Legatorum* relata in folio Causarum *diei* 21. *Maii* 1757.. Testator Ulysses Calvi fru-
ctus

ctus aliquorum Locorum Montium erogari mandaverat in celebrationem Missarum, quas a Sacerdote per suum hæredem eligendo, & ad libitum removendo in designatis Ecclesiis adimpleri jusserat. Impertita jam fuerat usque a die 29. Maii præcedentis anni 1756. perpetuatio favore Clerici Clementis Amoretti, & quamvis interesse habentes postea reclamaverint, nihilominus Sacra Congregatio perpetuationem sustineri decrevit.

Præterea ponderandum erit, an in casu Constitutionis Patrimonii Sacri detrahenda sint onera Missarum. Fusius de hoc egit S.M. Benedictus XIV. de *Synod. Diœces. lib.* 12. *cap.* 12. *num.* 9., ubi refert, ex judicio Sacræ hujus Congregationis, hujusmodi quæstionem remittendam esse arbitrio Episcopi, qui juxta rerum, Locorumque circumstantias statuat quidquid magis expedire judicaverit. Ait enim *loc. cit num.* 6. = *Actum fuit de hac quæstione die* 8. *Augusti* 1722., *iterumque die* 24. *Aprilis* 1723., *ac tandem die* 17. *Iulii ejusdem anni decisum, rem esse relinquendam conscientiæ, & arbitrio Ordinariorum, qui spectatis Locorum, & personarum conditionibus, vel in particularibus eventibus statuant, vel etiam in Synodo per modum legis decernant, an onera Missarum sint, aut non sint detrahenda è reditibus Beneficii, è quibus ordinandus suam honestam sustentationem est percepturus.*

Hisce perpensis dijudicandum erit, an Altaristatus, de quo agitur, perpetuari possit ad vitam Oratoris, non obstante præcepto Testatricis, quæ illum ad nutum amovibilem esse mandavit, & expresse prohibuit, ne ullo unquam tempore illius forma immutaretur. Videndum, quanti habendus sit consensus Patronorum, qui perpetuationi assentiuntur. Quæritur enim.

I. *An sit consulendum Sanctissimo pro perpetuatione Altaristatus favore Clerici Pompei Carpinelli in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

An detrahenda sint onera Missarum in casu &c.

TRIDENTINA JURIS VISITANDI. In Grancia *Goyen* nuncupata, quæ ad Monasterium spectat Carthusianorum in *Snals* Diœcesis Tridentinæ, ab antiquo tempore extructum est *Oratorium*, in quo Sacrum celebratur a Sacerdote sive Regulari, sive Seculari pro implemento Ecclesiastici præcepti tam Religiosorum, quam aliorum Laicorum in eadem Grancia commorantium pro cultura, & custodia

Sess. 22. *de observ., & evit. in celebr. Miss.*

dia ejusdem Granciæ. Annis 1698., & 1723. frustra tentarunt Episcopi Oratorii prædicti visitationem: hanc tamen expleverunt anno 1749.. Obsistentibus autem Monachis, ne nuperrime iterum visitaretur, Episcopus præcepit Oratorii, & celebrationis Missarum in eo suspensionem. Ut igitur suspensionem hanc Monachi irritam faciant, id modo contendunt, ut declaretur, Oratorium nullo modo subesse Pastorali Episcopi visitationi.

Inquiunt ob id, a Gregorio XV. in *Const. ad Uberes anni* 1622 communicata fuisse Chartusiano Ordini omnia privilegia, gratias, & indulta tam in spiritualibus, quam in temporalibus aliis quibusvis Ordinibus concessa, & propterea eidem competere etiam Privilegium anno 1575. a Gregorio XIII. concessum Patribus Societatis Jesu, *ut in Oratoriis, & Capellis, quæ ipsius Societatis Provinciales per se in Domibus, Collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, & ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, Missæ, & alia divina officia, alterius licentia minime requisita, celebrari possint*. Imo hoc ipsum Indultum expresse etiam a Gregorio XV. Carthusiano Ordini concessum fuisse, ut semel facta per Ordinarium Oratorii visitatione, liceat Monachis in Capellis, & Oratoriis existentibus in Domibus, ac membris, seu Granciis Missam celebrare *lib.12. Decr. pag.105.*

Injuria idcirco inficiari jus retinendi Oratorium, quod non ex communicatione solum privilegiorum, sed ab expresso etiam profluit Indulto. Hinc semel ac idem Oratorium anno 1749. ab Episcopo visitatum fuit, imo etiam præsumendum est quoque, ab initio perlustratum fuisse, nullum amplius jus Episcopo sit illud pro sui libito visitandi. Idque plane consonum esse tum rationi, ac causæ finali ejusdem Indulti, ut nempe Ordinarius cognoscat, an decenti loco sit extructum, & sacris suppellectilibus sufficienter ornatum; tum juris communis dispositioni, juxta quam Ordinariis in actu tantum erectionis licitum est hæc privata Oratoria in Granciis Monachorum sita visitare *cap. final. de cens. Fagnan. ibid. de Granciis num.6.*, *Pignatel. consult. Can.33. tom.1. num.24.*, *Petra ad Const.8. Honorii III. tom.2. n.58.*

Nec obesse, quod Episcopis jus sit inquirendi quandocumque, an oratoria privata decenter ornata in omnibus sint. Advertunt enim, id eis tantum licere non ex jure Pastoralis visitationis, & tamquam visitatoribus, sed tantum qua superioribus, & Judicibus in casu accusationis, Inquisitionis, vel notissimæ indecentiæ Oratorii; At in casu unice queri de jure Pastoralis Visitationis, nec quovis modo suspectam esse Oratorii indecentiam. Addunt, dictam Visitationem titulo Judicis, & Superioris tantum competere, quoad Oratoria sita in privatis Laicorum domi-

minibus, non vero quoad Oratoria sita in Granciis Regularium, præsertim Carthusianorum, quum Gregorius XV. unicam Visitationem in actu erectionis Oratorii concesserit, ne amplius ab Ordinariis vexarentur, atque insuper nulla suspicio incuriæ, vel indecentiæ occurrit.

Momenti vero non esse, quod in Grancia *Goyen* continuo non resideat Monachus Sacerdos, sed tantum simplex Laicus conversus pro bonorum cultura, unde desit residentia contemplata tam in Privilegio Societatis Jesu, quam in Indulto Clementis XII.: advertunt enim, rem esse de Monachis, qui continuo in proprio Monasterio residere debent, & proinde sat esse aliquorum residentiam in Granciis disjunctive tantum, & in aliquibus annis temporibus, adhoc ut indulto locus sit *Gattic. de Orat. domest. cap.* 18. *§.*3. & revera in *Verulana Oratorii* 30. *Julii* 1735, licet ageretur de Grancia, in qua continuo vix unus Laicus conversus degebat, attamen confirmatum fuit jus Ordinis Carthusiani extruendi, & retinendi proprium Oratorium.

Extraneas ideo a presenti casu esse Resolutiones omnes ab Episcopo in sua Informatione adductas. Inquiunt enim Monachi, eas procedere vel in terminis generalibus, an privilegia Regularia derogata fuerint per Concilium Tridentinum, quod recte fuit affirmatum sub *die* 1. *Martii* 1687.; vel in terminis Regularium, qui nullum Indultum, nullumque privilegium derogatorium Concilii Tridentini habebant, prout de Monachis Montis Sion respondit Sac. Congregatio in *Toletana visitationis Oratorii* 26. *Aug* 1761., *&* 8. *Maii* 1762., vel demum in terminis Oratorii publici, & non privati, ut in *Narnien. jurisdictionis* 15. *Dec.* 1764.

Promotor Fiscalis licet diu expectatus nondum jura sua deduxit.

Concilium Tridentinum hæc statuit; ut Ordinarii *non patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, visitanda Sanctum hoc Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi, sess.* 22. *de obser. ex evit. in celebr. Miss.*

Verum communicatis Ordini Carthusianorum privilegiis, quę omnibus aliis Ordinibus concessa sunt, ita dispositum invenitur=*Sanctissimus D.N. Gregorius XV. ex S. Congreg. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum sententia benigne indulsit, ut deinceps in Capellis, seu Oratoriis existentibus in Dominibus, ac membris, seu Granciis Monasteriorum Ordinis Carthusianensium, postea tamen, quam Locorum Ordinarii ejusdem Capellas semel visitaverint, ac fabrica, atque ornatu, sacraque supellectili compererint pro dignitate nitere, Sacrosanctum Missæ Sacrificium tam per Regulares sive ejusdem sive alterius Religionis, quam Seculares Præsbiteros tuto celebrari valeat, Missamque inibi audientes diebus festis præcepto Ecclesiæ hac de re edito;*

edito satisfacere intelligantur, absque tamen ullo jurium Parochialium Ecclesiarum praejudicio, lib. 12. Decr. pag. 109.

Hinc Sacra Congregatio in una *Verulana Oratorii*, in qua quæstio erat de Oratorio extructo in parva Grancia Turricis Monasterii Carthusianen. de Trisulto, ubi unus tantum Religiosus Laicus residere solebat, propositis I. *An liceat Patribus Carthusianis retinere Oratorium ad celebrandum, seu celebrari faciendum Missæ Sacrificium in Grancia Turricis in casu &c.* II. *An exteri audientes Missam in eodem Oratorio celebratam diebus festis satisfaciant præcepto in casu;* responsum dedit *ad* I. *Affirmative prævia tamen Visitatione Episcopi ad formam Indulti* : *Ad* II. *Affirmative quoad existentes tantum intra Oratorium*.

At vero cum postmodum Procurator Generalis Ordinis Carthusianorum preces S. M. Clementi XII. dedisset, ut juxta formam Indulti concessi Societati Jesu, omnia Oratoria sui Ordinis exempta essent a jurisdictione, & visitatione Ordinariorum, idem Pontifex indulsit *toti Carthusianorum Ordini, ut non solum erigi possint, & valeant Oratoria, Capellæ, & Altaria in Granciis, & Domibus Religiosis, in quibus residebunt ejusdem Ordinis Sacerdotes, atque in illis celebrare valeant Missæ Sacrificium juxta præinsertum decretum Congregationis Concilii die 24. Sept. 1622. editum, sed etiam illud ampliando, & extendendo, quod ad hujusmodi effectum satis sit, & sufficiat, quod dicta Oratoria, Capellæ, & Altaria visitata fuerint, & approbata a Patribus visitatoribus ejusdem Ordinis,* ut ex decreto, quod incipit *Exponi Nobis 19. Aug. 1737.*

Hisce præhabitis dignentur EE.PP. definire.

An Oratorium existens in Grancia Loci Goyen PP. Carthusianorum Monasterii in Snals subiiciendum sit visitationi Pastorali Episcopi Tridentini in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CALLIEN. Mandavit Joannes Victorius Luperti in testamento, quod condidit, anno 1708., ut post extinctam lineam Masculinam suæ Familiæ, omnes suæ hæreditatis reditus multiplico collocarentur sub cura Episcopi, & duodecim Conservatorum Confraternitatis Misericordiæ, & erogarentur favore fundationis Presbyterorum sive Sæcularium, sive Regularium, quę intra decennium in Civitate Callii fieri contigisset. Quatenus verò intra præfinitum decennii tempus nulla sequuta esset fundatio, tunc eamdem Confraternitatem Misericordiæ hæredem nomina-

pavit, cui onus injunxit subministrandi annuos florenos quinquaginta Puellis orphanis, & ex reliquis hæreditariis reditibus prestandi in Festo Nativitatis Domini subsidia dotalia scutorum 25. pro qualibet Puellis derelictis, magisque indigentibus suæmet Civitatis Calii.

Per obitum Canonici Matthiæ Luperti extincta penitus remansit linea masculina Testatoris, de cujus hæreditate nil aliud repertum est, quam domus annui reditus sc. 15., & adeo collabescens, ut subita indigeat restauratione, non exigua pecuniarum summa perficienda. Compertum autem est, alia Testatoris hæreditaria bona jamdiu sub hasta publica fuisse vendita a Creditoribus Canonici Matthiæ Luperti ultimi ex familia. Quod si pro recuperatione bonorum agendum esset, grave nimis, & fortasse inutile prævidetur diuturnæ litis dispendium.

Desperantes igitur Confraternitatis Moderatores, tam exiguo reditu, ullam infra decennium expleri posse fundationem, preces Sanctissimo Domino Nostro dederunt, quibus postularunt, ut commutata Testatoris dispositione quoad multiplicum, omnia hæreditaria bona, & jura ex nunc Confraternitati addicantur, cum obligatione adimplendi correspectivam onerum quantitatem, quæ juxta ipsius Testatoris voluntatem hæreditariis reditibus respondeat. Preces ablegatę fuerunt S. huic Congregationi, & super iis sapientissimum EE. VV. judicium modo exquiritur.

Facti seriem, prout a Confraternitatis Moderatoribus exponitur, comprobavit Episcopus, qui censuit, Confraternitati minimè convenire sumptus effundere, sub incerto litis eventu. Advertit autem, Civitati, Puellisque Orphanis, ac nubendis Virginibus magis, magisque prodesse, qualecumque modo sit eleemosinarum, & dotium subsidium, quam quæ ex pia Religiosæ Domus, ac Familiæ fundatione haberi inposterum valeant auxilia. Quare putat *domum esse alienandam, ne Confraternitas, opusque pium pro Orphanis, atque nubendis, restaurationum, aliorumque accidentium sentiat detrimentum, & pretium reinvestiendum pariter esse in re fructifera, & tuta, ut modo, quo possit, pii Testatoris intentio exequutioni usque nunc demandetur*.

Seriò ponderandum, quid in præsenti casu expediat. Quo tempore Testator multiplicum demandavit, ipsius Patrimonium pinguius erat, sed postea distractis sub hasta bonis, nil aliud modo superest, quam domus, cujus reditus, detractis expensis pro necessariis sarcitionibus, an intra decennium pro aliqua fundatione sufficere possint, Eminentissimi PP. dijudicabunt. Videndum an magis conveniens sit Puellis orphanis, & derelictis citius consulere, ope eleemosinarum, & dotalium subsidiorum, quæ post decennium, nisi fundatio sequuta fuisset, Testator di-

distribui præcepit. Regula est, ut si Testatoris voluntas juxta præscriptam ab eo formam exequi non possit, meliori saltem, quo fieri potest modo, impleatur, *Fagnan. lib.3. decretal. ad Cap. Nos quidem de Testam. n.*14. & 17.

Perpensis proinde circumstantiis, EE.VV. decernent.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 13. Februarii 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUinque sunt Causæ, quæ in præsenti folio notantur. Reliquæ autem quatuor, quæ indecisæ remanserunt, transcriptæ sunt in folio postremæ Congregationis diei 23. elapsi mensis Januarii, quod opportunè resumi ab EE. VV. poterit.

VELITERNA SUBSIDIORUM DOTALIUM.
An, & in qua summa sit locus augumento dotis, in casu &c.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

Affirmativè in aliis scutis centum.

FULGINATEN. ALTARISTATUS.

I. *An sit consulendum Sanctissimo pro perpetuatione Altaristatus favore Clerici Pompei Carpinelli, in casu &c.*

Et quatenus affirmativè

II. *An detrahenda sint onera Missarum, in casu &c.*

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

Ad I. Negativè. Ad II. Provisum in primo.

TRIDENTINA JURIS VISITANDI.
An Oratorium existens in Grancia loci Goyen PP. Carthusianorum Mo-

Sess 22. de obser., & evit. in celebr. Mis.

Monasterii in Snals subjiciendum sit visitationi Pastorali Episcopi Tridentini, in casu &c.

Dilata, & ad mentem.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

CALLIEN.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum, in casu &c.

Negativè, & servetur dispositio Testatoris, & scribatur Episcopo juxta mentem.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

MEDIOLANEN. SUPPRESSIONIS CAPELLANIARUM. Ut Ecclesiæ servitio, sacrarumque Functionum decori prospicerent Præpositus, & Canonici Collegiatæ S. Mariæ nuncupat. *Pedone*, binas erigere statuerunt perpetuas Capellanias pro duobus *vel actu*, *vel habitu* Sacerdotibus, quorum unus Chori Magisterio præesset, alter verò munus Sub-Præceptoris persolveret. Id autem Archiepiscopi auctoritate expleverunt anno 1724., & pro dote Capellaniarum nonnulla pia legata eidem Ecclesiæ relicta assignarunt. Hinc Capellaniis applicarunt mercedem a pio quodam Benefactore destinatam duobus Capellanis, qui Sacerdoti sollemniter celebranti inservirent: Præterea alterum legatum Collegiatæ relictum pro quotidiana Conventualis Missæ celebratione: Ac demum quoddam Beneficium jam antea Mensæ Capitulari unitum, cum onere Missæ in designata rurali Ecclesia diebus festis celebrandæ: Jus autem nominandi perpetuò sibi Capitulum reservavit.

Verùm decursu temporis compertum est, haberi nequaquam posse Chori servitium, Divinique cultus incrementum, quod fuerat optatum; idque potissimum ex earumdem Capellaniarum perpetuatione, quippe quia Capellani, qui removeri non possunt, servitium negligunt, vel si per ætatem, aut infirmitatem inhabiles reddantur, debeat Capitulum non sine gravi detrimento ex tenui Massa Capitulari stipendium persolvere aliis Capellanis, qui illorum vices suppleant. Cum igitur una ex his Capellaniis modò vacans existat, Capitulum, & Canonici postulant, ut

ut sine præjudicio alterius adhuc viventis Capellani, geminæ Capellaniæ supprimantur, & ad statum amovibilitatis, & Capellaniarum, quæ mercenariæ imposterum sint, redigantur. Hoc quæritur in dubio EE.VV. pro definitione proposito.

Eminentissimus Archiepiscopus, audito suæ Archiepiscopalis Curiæ Promotore Fiscali, qui petitioni consentit, refert, sequutam instante Capitulo Capellaniarum erectionem, non solum Ecclesiæ utilitati, ac decori nihil profuisse, sed immò incommoda auxisse, quæ averti posse non desperat, si amovibiles fiant, cùm Capellani, timore perterriti amittendi diurnam mercedem ex quotidiano servitio persolvendam, mendicato prætextu, inanique excusatione non deficient. Addit, nil, præter erectionem, obstare, quominus preces exaudiantur. Observat tantummodo, clar.mem. Cardinalem Odescalchum olim Archiepiscopum Mediolanensem applicasse pro augumento dotis erigendarum Capellaniarum quantitatem librarum 1870. detractam ex majori summa, librarum scilicet 8000. Capitulo traditam ab hæredibus Chistophori Bentii, qui legatum cum onere Missæ Conventualis quotidie celebrandæ eidem Capitulo reliquerat. Censet autem non eam fuisse Prædecessoris sui mentem, ut ex assignatione summæ perpetuæ Capellaniæ erigerentur, sed solùm, ut præfinita jam a Capitulo Capellaniarum erectio facilius exequeretur.

Quatenus EE. VV. Capituli petitioni assentiendum existimaverint, duplici modo procedi posse videtur, videlicet aut titulum Capellaniarum supprimendo, easque reducendo ad simplices manuales, ac mercenarias, aut firma remanente illarum qualitate, modum unicè variando, ita quidem, ut ad Capituli nutum sint in posterum amovibiles. Quoad primum animadvertere præstat, non ita facilè permitti Beneficiorum suppressionem, ne Divinus cultus imminuatur *Cap. Ex parte* 13. *de Constit.*, *Tholosan.de Benef. cap.*13. *num.*1. Permittitur autem, si Ecclesiæ utilitas, vel necessitas, aut Divini cultus augmentum id exigat: Immo alterutrum ex his sufficere putat *Corrad. in Prax.Benefic. lib.*2. *cap.*8. *num.*13. 14., *& seq.*. Maximè si ad pristinum statum restituantur, nec per erectionem habeatur finis ab erigentibus volitus. Ponderandum, in præsenti casu ad erectionem perpetuarum Capellaniarum deventum fuisse, ut Ecclesiæ decor augeretur, Divinoque cultui uberius prospiceretur, sed experientia compertum esse, perpetuitatem officere, & Chori servitio detrimentum afferre.

Quo verò ad alterum modum, nempe, ut permanente Beneficii titulo una tollatur perpetuitas, notandum, quod licet perpetuitas censeatur de essentia Beneficii, non tamen

men repugnat, ut speciali quodam jure manuale reddatur *Rot. in Gerunden. Personatus*, *& Causæ piæ*, quæ est *decis.379. num.1. & seq. part.5. Recent.*. Præsertim si dispensatio Apostolica intercesserit *Corrad. in Prax.Benefic. lib.1.cap.6.n.188. & plur.seq.*. Hinc Sacra Congregatio in *Caputaquen. 17. Aprilis* 1728., in qua Compatroni paratos se exhibuerant dotem pro medietate augere cujusdam perpetuæ Ecclesiasticæ Capellaniæ, si qualitas perpetuitatis tolleretur, cum quæsitum fuisset = *An sit locus mutationi Beneficii Jurispatronatus sub titulo S. Angeli, & S. Bernardini in simplicem Capellaniam manualem ad nutum Patronorum, in casu &c.* = rescriptum fuit = *Affirmativè, firma remanente qualitate Beneficii Ecclesiastici, & prævia assignatione M l ndi ii, una cum specifica obligatione omnium bonorum tam pro evi lione ejusdem Molendini, quam pro perpetua manutentione redituum in ducatis quinquaginta* =

Perpensis itaque circumstantiis, dijudicandum erit

An, & quomodo sit locus mutationi Capellaniarum de Jurepatronatus Capituli S. Mariæ Pedonis, in casu &c.

Affirmativè quoad perpetuationem tantum, firma remanente qualitate Capellaniæ Ecclesiasticæ, sine tamen præjudicio præsentis Capellani.

Sess.23. cap.1. de Reform.

FERENTINA. In Oppido Proxeudi munus Vicarii Foranei gerit Sacerdos Dominicus Antonius Franceschi, qui Archipresbyter, & prima Dignitas est Collegiatæ Ecclesiæ ejusdem Oppidi, atque Animarum Curam exercet. Nonnulli Zelatores illum modò accusant dissidiorum auctorem, imperii cupidum, audacem, ad iram pronum, & in administratione Sacramentorum negligentem. Id autem probare nituntur duorum Testium depositionibus, addito etiam duarum Mulierum testimonio, quarum una de Filia, altera de Viro affirmat, sine Sacramentis obiisse, ob Archipresbyteri pluries inutiliter accersiti incuriam, atque socordiam. Supplicant itaque pro illius remotione a munere Vicarii Foranei, cum præsertim tam in Capitulo, quod constat ex octo Canonicis, & quatuor Beneficiatis, quam in cœtu aliorum simplicium Presbyterorum, plures non desint eximiæ probitatis Sacerdotes ad id munus aptissimi.

Auditus est Episcopus, qui è converso singula reprobando, Archipresbyteri mores, & integritatem commendat, cumque inter Vicarios Foraneos, & inter suæ Diœcesis Parochos optimum affirmat, nec contentiones unquam excitasse testatur, sed plurium annorum experientia compertum

gum habere, ipsum prudenter dissidia composuisse, & in exercitio Curæ Animarum sollicitum, ac diligentem sese præbuisse. Huic autem exercitio nihil obesse Vicarii munus, cum Vicariatus negotia perpauca sint, & levioris momenti; atque Animarum numerus ad mille, & biscentum tantummodo pertingat. Hinc apparere dicit, *memoratos Zelatores recurrentes de iis esse, qui cuncta proximi sui opera, seu munia amaro animo accipiunt, si eis ex genio non eveniant omnia.*

Quid factu opus sit judicium erit EE. VV.. Sanè praeter Vicarium Generalem in Civitate penes se commorantem, potest Episcopus in quolibet suæ Diœcesis Oppido Vicarios Foraneos constituere, eisque facultatem tribuere minores causas cognoscendi *Nicol. elucubr. Canon. lib.* 1. *tit.* 18. *de Offic. Vicarii num.* 29., *Bened. XIV. de Synod. Diœces. lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 9.. In prima Synodo Mediolanensi anno 1565. celebrata, Comprovinciales Episcopos monuit D. Carolus Borromæus, ut *deligant aliquot probatos Sacerdotes, quibus singulis imposito Vicarii Foranei nomine tribuant certas regiones Diœcesis suæ . . . Id autem munus ad Archipresbyteros, Archidiaconos, qui in Diœcesi sunt, & Præpositos, aliosve Ecclesiastica Dignitate præditos, quos idoneos judicaverint, potissimum deferant, sin minus ad alios Rectores, qui apti sint ad hujusmodi officium = Act. Eccles. Mediolanen. par.* 2. *tit. de Vicariis Foraneis.*

In Concilio Romano anni 1725. sub san. mem. Benedicto XIII. hæc de Vicariis Foraneis disposita habentur *tit* 7. *cap.* 2. = *Vicarios item Foraneos in Oppidis insignibus, vel ubi Episcopi expressè judicaverint, ad sui beneplacitum ipsi constituant, iique curam ne habeant Animarum, quantum fieri potest pro viribus studeant: Sint etiam doctrina, pietate, & prudentia præditi, qui pro Deo, & propter Deum Evangelium non erubescant* =

Non ita facile de Vicariis Foraneis in Sacra Congregatione actum fuisse inveni. De Vicariis Generalibus responsum deprehendi in *Nullius* 12. *Maji* 1629., consuevisse Sacram Congregationem improbare electionem Parochi in Vicarium Episcopi, vel Capitularem *lib.* 14. *decret. pag.* 89.. Hinc proposito hac de re dubio *die* 3. *Februarii* 1685. = *An Dignitas, seu Canonicus Cathedralis, cui est adnexa Cura Animarum, possit exercere munus Vicarii Generalis* = responsum fuit = *Negativè* = *lib.* 35. *decret. pag.* 37.

Id etiam de Subcollectoribus Spoliorum statutum legitur in Civitatis Castelli 6 *Maii* 1645., *lib.* 17. *decret. pag.* 470., & in *Venefrana* 2. *Maii* 1716. reclamante Capitulo Cathedralis reprobata fuit electio Subcollectoris facta de Sacerdote, qui Præbendam Thologalem obtinuerat, eo quia idem munus impedimento esset lectioni Sacræ Scripturæ *lib.* 66. *decret. pag.* 211.

Ponderandum, an quæ de Vicariis Generalibus, & Subcolle-

quo Indultum concedatur. His ergo perpensis, dijudicandum erit

An, & ad quod tempus Canonico Antonio Roberti sit concedendum Indultum abessendi a Choro, in casu &c.

Affirmativè ad annum.

Sess. 25. cap. 18. de Reform.

NUCERINA APPLICATIONIS. Institutis hæredibus PP. Congregationis Oratorii Civitatis Nuceriæ, Josephus Scipio Oliverius in testamento, quod condidit anno 1741. mandavit, ut Superior pars Domus inserviret pro hospitio pauperum Sacerdotum, sive Religiosorum itinerantium, quibus nil præter lectum, luminaria, & ignem subministrari præcepit; in eoque hospitio recipi etiam voluit Sacerdotem aliquem infirmum Territorii, aut Districtus Nucerini, qui ratione valetudinis Civitatem adire cogeretur. Inferiorem verò ejusdem Domus partem deservire jussit *per Scuola di Canto fermo per li Chierici della detta Città, ed a tal'effetto li medesimi PP. miei Eredi debbano scegliere uno de loro Religiosi, che sia versato, e capace di detto canto fermo, il quale debba far scuola, e dar lezzione alli sudetti Chierici di esso canto fermo il dopo pranzo.*

Hujusmodi dispositionem inutilem asserunt PP. Congregationis Oratorii, præsertim quoad Scholam Cantus, cum in Seminario Episcopali Peritum in arte canendi mercede conductum retineat Episcopus, qui non solùm Seminarii Alumnos, sed Clericos omnes ad interessendum lectioni compellit. Hinc paratos se exhibent eidem Seminario renunciare Testatoris Oliverii hæreditatem, dummodò tamen ipsi retinere, sibique applicare libere valeant summam scut. 85. ad d. hæreditatem pertinentem, cujus commodo illam investire tenerentur; nam in istius summæ compensationem Seminario etiam cedere non recusant omnem Suppellectilem propriis sumptibus comparatam, & in hospitio existentem. Quod si suppellex eamdem summam non æquaret, sibi condonatum volunt quidquid pecuniæ superesset.

Cessionem hæreditatis hac lege oblatam non recusant Seminarii Deputati, qui hospitium pro excipiendis Viatoribus, & Infirmis servare promittunt, prout Testator disposuit. Consentit etiam Episcopus, qui perutilem Seminario putat cessionem, eò quia fundos acquirit, certumque reditum pro mercede Præceptoris cantus, cujus Schola perpetuò hoc modo constituta erit. Addit, integram hæreditatis Oliverii sortem, juxta peritias ipsius jussu exaratas, scuta septingenta non excedere, quam sufficere existimat

pro

pro unoquoque adimplendo onere, tum scilicet cantum edocendi, tum Religiosos, & Sacerdotes excipiendi, qui tamen rari admodum sunt, & tribus ab hinc annis nemo unus accessit, nec imposterum accessurum dicit, cum Advenæ per eas Regiones transire desierint. Sic ergo concludit = *Putarem, quod licet Oratorii Patribus quod superest concedatur ex præfata quinque, & octoginta nummorum summa, lectorum, linteorum, stragularumque Vestium, cæterorumque mobilium, quæ omnia ad eam compensandam libentissime cedunt, prætio ab eadem detracto, supradictam EE.VV. cessionem certa Seminarii, tutaque utilitate possent approbare.*

Seminarij Episcopalis erectionem, & conservationem non solum commendavit, sed etiam præcepit Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cap:*18. *de Reform.* ut in eo pietate, & Doctrina informentur Juvenes, qui Ecclesiæ Dei sint profuturi. In præsenti casu favore Seminarii exhibetur cessio hæreditatis Oliverii, quæ pro usu a Testatore destinato docendi scilicet Cantum Gregorianum, & excipiendi Advenas, & Peregrinos Sacerdotes inutilis deprehenditur, cum Schola cantus in Seminario habeatur, ubi omnes Clerici Episcopi jussu conveniunt; Peregrini autem aut nulli, aut rari admodum accedant. Hoc in casu statuit S. Synodus *sess.* 25. *cap.*8. *de Reform.* = *Quod si hospitalia ad certum Peregrinorum, aut Infirmorum, aut aliarum Personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco ubi sunt dicta hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur, mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore utilior, convertatur.*

Sac. Congregatio in *Sarsinaten. unionis* 10. *Aprilis* 1645., Episcopo facultatem tribuit uniendi reditus Hospitalium Castrorum Ciolæ, & Taipi Seminario Episcopali, *salva tamen hospitalitate, & salvis reditibus pro dicto effectu necessariis lib.* 17. *Decret. pag.* 460. Item in *Montis Alti* 4. *Septembris* 1655. permisit, ut medietas redituum Hospitalis Montis Elpari posset ab Episcopo applicari Seminario. *lib.* 19. *decret. pag* 515. Præterea in *Melevitana Erectionis Seminarii, & Unionis* 18. *Februari* 1690. Episcopus, & Capitulum, occasione erectionis Seminarii supplicarunt, ut illius favore applicarentur reditus Hospitalis S. Nicolai de Savora, qui inutiles ad usum destinatum comperti fuerant, propositoque dubio = *An sit locus prædictæ erectioni, & unioni in casu &c.* = Sac. Congregatio respondit = *Affirmativè salva in totum hospitalitate, & satisfactis oneribus lib.* 40. *decret. pag.* 129.

Demum in *Liparitana* 20. *Novembris* 1723. cum Episcopus ad erectionem Seminarii procedere vellet, eique necessarii hac de causa reditus deessent, præsertim ob beneficiorum deficientiam, quæ sive applicari, sive taxæ subiici possent, ipse ex fructibus Mensæ Episcopalis annua scuta 200. per-

solvere promisit, deindeque postulavit applicationem scut. 200. ex reditibus hæreditariis Bartholomæi Russi, quæ juxta illius dispositionem in erectionem Hospitalis converti debuissent; reliquam verò redituum partem assignari petiit Hospitali in Civitate Liparitana jam existenti. Animadversum tunc fuit, perdifficile admodum futurum, ut Infirmi ad Hospitale accederent, proindeque inutilem eventuram novi Nosocomii erectionem, & periculnm urgere dilapidationis redituum. Itaque cum quæsitum fuisset = *An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.* = rescriptum fuit = *Consulendum Sanctissimo pro gratia applicationis scut.200. favore Hospitalis jam erecti; & residui favore Seminarii erigendi; nec non pro facultate imponendi pensionem perpetuam scut.200. annuorum super Mensa Episcopali, apposito lapide tam in Seminario, quam in Hospitali prædictis in memoriam pii Testatoris.*

Post hæc inquirendum superest, an permittenda sit PP. Congregationis Oratorii retentio summæ scut. 85. *quam*, (ait Episcopus) *depositi loco ex aliquo tempore retinent causa reinvestiendi pro dicta hæreditate*. In istius summæ compensationem iidem PP. Oratorii paratos se exhibuerunt cedere totam suppellectilem in hospitio existentem, cujus valor, quemadmodum prosequitur Episcopus, *si dictam quinque, & octoginta aureorum summam, ut certè nequit, non æquipararet, quod superest sibi libere a Seminario condonari intelligunt*, Hanc conditionem Seminarii Deputati non respuunt, videndum, an arrideat EE. VV., quæ rogantur decernere.

An, & quomodo sit locus cessioni, & applicationi hæreditatis quondam Iosephi Scipionis Oliverii favore Seminarii Episcopalis Civitatis Nuceriæ in casu &c.

Non proposita cum altera.

Sess. 22. cap.8., & 9. de Ref.

CIVITATIS CASTELLANÆ HOSPITALIS. In Oppido *Carboneani* Diæcesis Civitatis Castellanæ antiquissimum erectum est *Hospitale* sub invocatione S. Antonii Abbatis, cujus administratio penes Communitatem extat, & ejus nomine exercetur a quatuor Prioribus, & sex deputatis ab illius Consilio electis. Hospitalis initium, ac erectionis monumentum inter antiquitaris tenebras delitescit, constat tamen usque ab anno 1682. bo. me. Episcopum Altini Statuta, & Ordinationes pro recto ejusdem Hospitalis regimine, & administratione prescripsisse. Quæstio autem modo exorta est, an administratio, & regimen dicti Hospitalis *Ecclesiastica*, vel *Laicali* subsit

subsit potestati, & an dicta *Statuta*, & *Ordinationes* anni 1682. sint exequendæ. Quæstio hujusmodi tribus dispertita dubiis definienda modo proponitur.

Ad I. inquit Promotor Curiæ Episcopalis, tabulas fundationis, aut erectionis dicti Hospitalis deesse, unde quæstiones omnes unice definiendas esse juxta consuetudinem, & possessionem, ac Synodorum decreta, nec non juxta Concilii Tridentini sanctiones, & juris communis dispositionem. Ex his autem omnibus plene constare de jure Curiæ Episcopalis. Jam enim usque ab Anno 1616. Sententias Sindicatorias Administratorum a Vicariis Foraneis, numquam a Pretore, vel a Barone signatas fuisse: Anno item 1682. non Baronis, sed Episcopi auctoritate condita fuisse Statuta, istiusque jurisdictioni, non Baronis Hospitale fuisse subiectum. Hæc autem Statuta usque ad presens inconcusse servata extitisse, ita quidem, ut ad illorum formam administratio omnis penes quatuor Priores, & sex Deputatos extiterit, Congregationibus ab iis habitis pro Hospitalis regimine Vicarii Foranei, non Prætores semper interfuerint, omniaque illarum decreta non Prætorum, sed Episcoporum nomine lata fuerint. Constare ideo de immemorabili, vel saltem centenaria possessione favore Episcopi: hancque ipsam consonam esse tum Synodi Diecesanæ Decretis *tit.* 4. *cap.* 9. *num.* 22., tum Tridentini Concilii sanctionibus *seß.* 7. *cap.* 15. *de Reform.*, tum demum juris communis dispositioni *cap.* 3., & 7. *de Relig. dom.*

Evidens proinde esse, ut ad formam Statutorum ad solum Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem, aut Foraneum pertineat Congregationes convocare, ipsis interesse, & præsidere. Nec obesse, quod Hospitalis administratio spectet ad Communitatem, cum quæstio non sit de illius administratione, sed tantum de jurisdictione, ac cura. Hanc autem in Hospitalibus Ecclesiasticis, & religiosis semper ad Episcopum pertinuisse, etsì illorum administratio penes Laicos resideret *Concil. Trid. seß.* 22. *cap.* 8. *de Refor.* idque adeo connexum esse Episcopali dignitati, ut nunquam exclusus sit Episcopus, etiamsì Fundatores speciatim administratores, & executores Laicos designaverint, imo etiam Episcopum expresse reiecerint.

Injurià vero qualitatem Ecclesiasticam, & religiosam dicti Hospitalis in discrimen revocari, semel ac militat favore Episcopi immemorabilis, vel saltem plusquam centenaria possessio, adeo ut omnes jurisdictionis actus privative ab Episcopo, numquam vero a Barone exerciti fuerint. Sed ulterius certissima præsto esse Ecclesiasticitatis signa; cum res sit de Hospitali proprium titulum, & nomen *Sancti Antonii* habente, ipsiusque bona nec ultra triennium locari, nec absque Sac. Congregationis licentia di-

solvere promisit, deindeque postulavit applicationem scut. 300. ex reditibus hæreditariis Bartholomæi Russi, quæ juxta illius dispositionem in erectionem Hospitalis converti debuissent; reliquam verò reditum partem assignari petiit Hospitali in Civitate Liparitana jam existenti. Animadversum tunc fuit, perdifficile admodum futurum, ut Infirmi ad Hospitale accederent, proindeque inutilem eventuram novi Nosocomii erectionem, & periculum urgere dilapidationis redituum. Itaque cum quæsitum fuisset = *An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.* = rescriptum fuit = *Consulendum Sanctissimo pro gratia applicationis scut.*200. *favore Hospitalis jam erecti; & residui favore Seminarii erigendi; nec non pro facultate imponendi pensionem perpetuam scut.*200. *annuorum super Mensa Episcopali, apposito lapide tam in Seminario, quam in Hospitali prædictis in memoriam pii Testatoris.*

Post hæc inquirendum superest, an permittenda sit PP. Congregationis Oratorii retentio summæ scut. 85. *quam*, (ait Episcopus) *depositi loco ex aliquo tempore retinent causa reinvestiendi pro dicta hæreditate*. In istius summæ compensationem iidem PP. Oratorii paratos se exhibuerunt cedere totam suppellectilem in hospitio existentem, cujus valor, quemadmodum prosequitur Episcopus, *si dictam quinque, & octoginta aureorum summam, ut certè nequit, non æquipararet, quod superest sibi libere a Seminario condonari intelligunt*, Hanc conditionem Seminarii Deputati non respuunt, videndum, an arrideat EE. VV., quæ rogantur decernere.

An, & quomodo sit locus cessioni, & applicationi hæreditatis quondam Iosephi Scipionis Oliverii favore Seminarii Episcopalis Civitatis Nuceriæ in casu &c.

Non proposita cum altera.

Seff. 22. cap. 8., & 9. de Ref.

CIVITATIS CASTELLANÆ HOSPITALIS. In Oppido *Carboneani* Diæcesis Civitatis Castellanæ antiquissimum erectum est *Hospitale* sub invocatione S. Antonii Abbatis, cujus administratio penes Communitatem extat, & ejus nomine exercetur a quatuor Prioribus, & sex deputatis ab illius Consilio electis. Hospitalis initium, ac erectionis monumentum inter antiquitaris tenebras delitescit; constat tamen usque ab anno 1682. bo. me. Episcopum Altini Statuta, & Ordinationes pro recto ejusdem Hospitalis regimine, & administratione prescripsisse. Quæstio autem modo exorta est, an administratio, & regimen dicti Hospitalis *Ecclesiastica*, vel *Laicali* subsit

subsit potestati, & an dicta *Statuta*, & *Ordinationes* anni 1682. sint exequendæ. Quæstio hujusmodi tribus dispertita dubiis definienda modo proponitur.

Ad I. inquit Promotor Curiæ Episcopalis, tabulas fundationis, aut erectionis dicti Hospitalis deesse, unde quæstiones omnes unice definiendas esse juxta consuetudinem, & possessionem, ac Synodorum decreta, nec non juxta Concilii Tridentini sanctiones, & juris communis dispositionem. Ex his autem omnibus plene constare de jure Curiæ Episcopalis. Jam enim usque ab Anno *1616.* Sententias Sindicatorias Administratorum a Vicariis Foraneis, numquam a Prętore, vel a Barone signatas fuisse: Anno item 1682. non Baronis, sed Episcopi auctoritate condita fuisse Statuta, istiusque jurisdictioni, non Baronis Hospitale fuisse subiectum. Hæc autem Statuta usque ad presens inconcusse servata extitisse, ita quidem, ut ad illorum formam administratio omnis penes quatuor Priores, & sex Deputatos extiterit, Congregationibus ab iis habitis pro Hospitalis regimine Vicarii Foranei, non Prætores semper interfuerint, omniaque illarum decreta non Prætorum, sed Episcoporum nomine lata fuerint. Constare ideo de immemorabili, vel saltem centenaria possessione favore Episcopi: hancque ipsam consonam esse tum Synodi Diœcesanæ Decretis *tit.* 4. *cap.* 9. *num.* 22., tum Tridentini Concilii sanctionibus *sess.* 7. *cap.* 15. *de Reform.*, tum demum juris communis dispositioni *cap.* 3., & 7. *de Relig. dom.*

Evidens proinde esse, ut ad formam Statutorum ad solum Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem, aut Foraneum pertineat Congregationes convocare, ipsis interesse, & præsidere. Nec obesse, quod Hospitalis administratio spectet ad Communitatem, cum quæstio non sit de illius administratione, sed tantum de jurisdictione, ac cura. Hanc autem in Hospitalibus Ecclesiasticis, & religiosis semper ad Episcopum pertinuisse, etsì illorum administratio penes Laicos resideret *Concil. Trid. sess.* 22. *cap.* 8. *de Refor.* idque adeo connexum esse Episcopali dignitati, ut nunquam exclusus sit Episcopus, etiamsì Fundatores speciatim administratores, & executores Laicos designaverint, imo etiam Episcopum expresse reiecerint.

Injurìa vero qualitatem Ecclesiasticam, & religiosam dicti Hospitalis in discrimen revocari, semel ac militat favore Episcopi immemorabilis, vel saltem plusquam centenaria possessio, adeo ut omnes jurisdictionis actus privative ab Episcopo, numquam vero a Barone exerciti fuerint. Sed ulterius certissima præsto esse Ecclesiasticitatis signa; cum res sit de Hospitali proprium titulum, & nomen *Sancti Antonii* habente, ipsiusque bona nec ultra triennium locari, nec absque Sac. Congregationis licentia di-

distrahi possint : Ex his autem qualitatem Ecclesiasticam aperte evinci *Ciarlin. cap.* 116. *num.* 25., *Rot. coram Bich. decis.* 502. *num.* 2. Nec momenti esse, quod desit Capella, Turris Campanaria, & sepulchrum, quia etiam sine his Hospitale potest esse Ecclesiasticum *Ciarlin. d. cap.* 116. *num.* 12.. Nec demum obesse, quod administratio penes Communitatem resideat, quia illa nullo modo excludit Episcopi jurisdictionem, & inspectionem, *Conc. Trid. sess.* 22. *cap.* 8., *&* 9. *de Ref.*

Ad II. ait adprobationem Officialium actum esse jurisdictionis, & præminentiæ, & ad eum spectare, qui eminet, ac superior est. Hinc cum jurisdictio omnis, & cura ad Episcopum, non vero ad Baronem pertineat, apertum reddi, Officiales Hospitalis non a Barone, sed ab Episcopo fore adprobandos *leg.* 42. §. 9. *Cod. de Episc.*, *& Cleric.*, *Pignatel. consult. Canon.* 128. *num.* 3., *&* 4. *Tom.* 9. Et revera ita piæscriptum esse in Statutis Hospitalis *cap. XXIV.*, & ita semper usque ad presens servatum fuisse, ita ut ab Episcopo privative Officiales omnes semper fuerint adprobati, quin Baro ne unum quidem actum hujus adprobationis tanto temporis decursu vel a se ipso, vel a prædecessoribus, aut eorum Prætoribus gestum ostentare valeat.

Arguit idcirco, eodem jure unice Episcopo, non vero Baroni rationem reddendam esse ab Hospitalis administratoribus. Idque ipsum expressis, disertisque verbis præscriptum esse a Concilio Tridentino in *sess.* 22. *cap.* 9. *de Reform.* sublatis etiam quibuscumque contrariis consuetudinibus, ac privilegiis. Imo hanc ipsam Episcopi jurisdictionem circa redditionem rationis locum sibi vindicare etiam quoad Administratores Locorum, operumque mere piorum, nec non Hospitalium licet Laicalium, & privatorum, quamvis omni qualitate Ecclesiastica sint destituta *Fagnan. in cap. cum ad hæc de Relig. dom. num.* 57., *Panimol. decis.* 88. *num.* 23.. Hanc autem jurisdictionem circa redditionem rationis neque *cumulative* competere posse Baroni, semel ac eidem nec privilegium, nec consuetudo assistit *Conc. Trid. sess.* 22. *cap.* 9. *de Reform.*

Ad III. advertit, quod sicuti ambigi nequit de potestate Episcopi Altini condendi Statuta pro recto Hospitalis regimine, ita nec dubitari possit, ea fore omninò servanda, cum explorati juris sit, Episcopum posse condere statuta, legesque, ac condita reformare pro recto regimine, administratione, & directione Hospitalium, aliorumque locorum piorum *cap.* 2. *de major.*, *& Obed.*, *Barbos. de Off.*, *& Potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 75. *num.* 14. Potiori autem jure in præsenti casu statuta servari oportere, quia nihil in iis est, quod Sacris legibus adversetur, sed omnia cum dispositione juris Pontificii, & Concilii Tridentini cohereant, & singula prudenter ad bonam pii Operis directionem, & ad·

administrationem disposita comperiantur. Accedente præsertim centenaria observantia, & executione, ita, ut nonnisi hodiernis dissidiis controverti ceperint.

Promotor Fiscalis Curiæ Laicalis nondum jura sua deduxit.

Clemens V. in Concilio Viennensi hæc statuit = *Quia contingit intendum, quod Xenodochiorum, Leprosariorum, Eleemosinariarum, seu hospitalium Rectores locorum ipsorum cura postposita res, & jura ipsorum negligunt &c. Nos incuriam, & abusum hujusmodi detestantes, hoc Sacro approbante Concilio sancimus, ut hi &c. loca ipsa studeant in prædictis omnibus salubriter reformare &c. In quo si forte comiserint negligentiam, vel defectum, Locorum Ordinariis injungimus, ut etiamsì pia loca prædicta exemptionis privilegio munita consistant, per se ipsos, vel alios impleant omnia præmissa, & singula, & Rectores eosdem utique non exemptos, propria, exemptos vero, & alios privilegiatos Apostolica ad id auctoritate compellant &c. Illi autem, quibus dictorum Locorum gubernatio, seu administratio comittetur &c. Ordinariis, seu aliis, quibus subsunt loca hujusmodi, vel deputandis ab eis, annis singulis de administratione sua teneantur reddere rationem*, ut in *cap. Quia contingit de Relig. domib.*

Id ipsum confirmavit Synodus Tridentina *sess. 7. cap.*15. *de Ref.* ubi prescripsit = *Curent Ordinarii, ut Hospitalia quæcumque a suis administratoribus, quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter, & diligenter gubernentur servata forma Constitutionis Concilii Viennensis, quæ incipit*, Quia contingit, *quam quidem Constitutionem eadem S. Synodus innovandam duxit, & innovat*. Dein vero in *sess.* 22. *cap.*8. *de Ref.* jussit = *Episcopi &c. habeant jus visitandi hospitalia, Collegia quæcumque, ac Confraternitates Laicorum &c. Eleemosinas Montis Pietatis, sive Charitatis, & pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiamsì prædictorum Locorum cura ad Laicos pertineat, atque eadem pia Loca exemptionis privilegio sint munita.*

Quo verò ad redditionem rationis eadem S. Synodus ita decrevit *sess.* 22. *cap.*9. *de Ref.* = *Administratores tam Ecclesiastici, quam Laici fabricæ cujusvis Ecclesiæ, Hospitalis, Confraternitatis, Eleemosinæ Montis Pietatis, & quorumcumque piorum Locorum singulis annis teneantur reddere rationem Administrationis Ordinario, consuetudinibus, & privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu Fabricæ expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine aut privilegio, aut ex constitutione aliqua Loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, & aliter factæ liberationes dictis Administratoribus minime suffragentur.*

Viden. resolutiones Sac. Congregationis in *Liparen. exemptionis Hospitalis* 9. *Maii*, & 6. *Junii* 1750., *in Vasionen.* 8. *Maii*,

Maii, & 9. Junii 1751., & in alia Vasionen. Jurisdictionis 11. Aug. 1753:

EE. PP. dignentur definire:

I. *An, & qui interesse debeant Congregationibus; quae fiunt pro administratione Hospitalis Carboneani; ejusque bonorum in casu &c.*

II. *An, & a quo sit approbanda electio Officialium ejusdem Hospitalis, & cui sit reddenda ratio in casu &c.*

III. *An Statuta, & Ordinationes praescriptae usque ab Anno 1682. per bo. mem. Episcopum Altini pro recta administratione dicti Hospitalis sint observandae in casu &c.*

Die Sabbathi 13. Martii 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

BInæ, quæ priori loco transcribuntur Causæ, ex præcedenti Congregatione superfuerunt. Has itaque cum aliis septem in præsenti folio de more adiectis Eminentissimi PP. Sapienti, quo solent, judicio definire dignabuntur.

NUCERINA APPLICATIONIS.

An, & quomodo sit locus cessioni, & applicationi hæreditatis quondam Iosephi Scipionis Oliveris favore Seminarii Episcopalis Civitatis Nuceriæ in casu &c. *Sess. 25. cap. 18. de Reform.*

Affirmativè ad formam consensus, & juxta votum Episcopi, adimpletis omnibus oneribus juxta dispositionem Testatoris, facto verbo cum Sanctissimo.

CIVITATIS CASTELLANÆ HOSPITALIS. *Sess. 22. cap. 8. & 9. de Ref.*

I. *An, & qui interesse debeant Congregationibus, quæ fiunt pro administratione Hospitalis Carboneani, ejusque bonorum in casu &c.*

II. *An, & a quo sit approbanda electio Officialium ejusdem Hospitalis, & cui sit reddenda ratio in casu &c.*

III. *An Statuta, & Ordinationes præscriptæ usque ab Anno 1682. per bo. mem. Episcopum Altini pro recta administratione dicti Hospitalis sint observandæ in casu &c.*

Ad I. Interesse debere Vicarium Foraneum ad formam Synodi Diœcesanæ, & solos componentes Congregationem ad formam Statutorum anni 1682., & ad mentem. Ad II. Negativè ad primam partem, & quoad secundam, rationem reddendam esse duobus Syndicis a Consilio eligendis cum interessentia Vicarii Foranei, salvis juribus Episcopi. Ad III. Affirmativè.

Sess. 24. cap. 18. de Reform.

EUGUBINA JURISDICTIONIS. Augustum Templum Divæ Agneti Virgini, ac Martyri dicatum in Platea Agonali Urbis de Jurepatronatus prænobilis Familiæ Pamphilii pluribus decoravit san. mem. Innocentius X., eique præter Ecclesiam S. Sebastiani propè, & extra muros Civitatis Alatrii, Apostolica auctoritate perpetuò univit, & incorporavit Monasterium *S. Benedicti de Monte Polio*, seu de *S. Benedicto Veteri* nuncupatum Eugubinæ Diœcesis, una cum omnibus juribus, jurisdictionibus spiritualibus, ac temporalibus, aliisque rebus, & bonis quibuscumque, prævia illius suppressione, exinctione, & ad Sæcularem statum reductione. Amplissimam præterea facultatem tribuit clar. mem. Cardinali Gualterio Ecclesiæ Divæ Agnetis tunc temporis Protectori, ejusque Successoribus administrandi, regendique præfati suppressi Monasterii Ecclesias in spiritualibus, & temporalibus, constituendique in iis Capellanos ad nutum amovibiles, atque etiam eligendi, instituendi, & confirmandi personas idoneas ad vacantia ibidem beneficia, *Ordinariorum Locorum, seù quorumvis aliorum licentia desuper minimè requisita, quin immò illis quomodocumque invitis, & reclamantibus.*

Vigore itaque istarum facultatum, & Prædecessorum suorum inhærens vestigiis Eminentissimus Cardinalis Pamphilius Ecclesiæ S. Agnetis Protector, nuper devenit ad deputationem Vicariorum vacantium Parochialium S. Benedicti Veteris, & S. Crucis de Morena. Verùm existimans Episcopus Eugubinus, sua jura ex hoc admodum lædi, satiùs duxit pro sua æquitate, & religione laudatus Eminentissimus Protector duos interim Æconomos in memoratis Ecclesiis constituere, donec quæstio hac de re instituta septem dispertita dubiis ab hac Sacra Congregatione definiretur, ac futuris etiam temporibus aditus præcluderetur contentionibus, & dissidiis eadem de causa forsan orituris.

Et ad I. Dubium, quod attinet, qui Eminentissimi Protectoris jurisdictionem tuetur, potissimum innititur claræ dispositioni Brevis san. mem. Innocentii X., quo Protectoribus Ecclesiæ Divæ Agnetis facultas impertita legitur Animarum curam exercendi *per Vicarium, seu Vicarios idoneos ad ejusdem Cardinalis Protectoris nutum ponendos, & amovendos*, eisque præterea potestas facta fuit liberè conferendi *Beneficia Ecclesiastica Sæcularia, & Regularia &c. personis sæcularibus &c. Ordinariorum Locorum, seu quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita, quin immò quandocumque illis invitis, ac reclamantibus*. Ex quibus infert, jus privativè competere Emo Protectori deputandi pro suo arbitrio Vicarios Curatos in Ecclesiis, ut supra pleno jure unitis, atque incorporatis. Accedere etiam antiquissimam, constantem, & pacificam possessionem, qua Eminentissimi Protectores omnimodam jurisdictionem tam in spirituali-

bus,

bus, quam in temporalibus semper exercuerunt, ac præsertim earumdem Ecclesiarum beneficia curata liberè contulerunt.

De II. dubio asserit, ex relatis verbis prædicti Brevis nullam oriri posse dubietatem. Hinc ad III. observat nunquam in eodem Brevi præscribi, ut electio Vicariorum pendere debeat ab examine habendo coram Episcopo Eugubino, sed Eminentissimo Protectori amplam tribui facultatem providendi Ecclesias Curatas de personis idoneis, nulla præscripta ratione, aut methodo inquirendi de Concurrentium idoneitate. Insuper advertit, Episcopi examen positivè excludi per ea verba *Ordinariorum Locorum*, *seu quorumvis aliorum licentia desuper minime requisita*, *quin immò illis quandocumque invitis*, *& reclamantibus*, atque etiam per alia verba, quibus Summus Pontifex exemit *Ecclesias prædictas*, *Personas*, *res*, *& bona quæcumque ab Episcopi visitatione*, *correctione*, *jurisdictione*, *& quavis alia superioritate tam in spiritualibus*, *quam in temporalibus*.

Addit, Beneficia, de quibus agitur, utpote *unita*, & *manualia* immunia esse a formali concursu, atque examine *Cap. Extirpandæ* 30. §. *Qui verò de Præbendis*, *Clement.unic.de excess. Prælat.* §. *Quidem etiam*, *Glossa in Cap.unic. Ne Sede vacante*; Ac propterea Concilii Tridentini decretum de concursû ad Parochiales Ecclesias indicendo, minimé habere locum quoad Vicarias unitas, *Rot. in Recent. decis.*579.*num.*1. *part.*2., *decis.*352. *num.* 6. *part.* 4. *tom.* 1., *& in Derthusen. Vicariæ* 8. *Novembris* 1616. *coram Ubaldo sen.*, cum beneficia manualia non sint verè, ac propriè Beneficia, nec vacare censeantur ad *Text. in Clement. Frequens vers. Quidem etiam de excess. Prælat.*, ibique *Panorm. num.*11., *Barbos. in Clem. Quia Regulares num.*15. *de supplend. neglig. Prælat.*, *Rot. coram Ratto decis.* 204. *num.* 1. *& seq.*, *& in Recent. decis.* 646, *num*, 2. *part.*1.

Ex personarum exemptione *ab Eugubini Episcopi visitatione*, *correctione*, *jurisdictione*, *& quavis alia superioritate tam in spitualibus*, *quam in temporalibus*, arguit ad IV. dubium, nullo pacto Episcopi confirmationem requiri pro Vicariis ab Emo Protectore deputatis, quia confirmatio superioritatem præsefert, quæ eo minus permitti debet, quia Emis Protectoribus id etiam concessum legitur, ut ad Beneficia *præsentare*, *eligere*, *& in eis instituere*, *atque personas electas*, *& præsentatas confirmare valeant*. Atque idcirco constare asserit ab anno saltem 1694. ad hæc usque tempora, electos a Cardinali Protectore, nunquam ab Episcopo Eugubino fuisse confirmatos.

Eademque ratione contendit in V. dubio, ad Eminentissimum Protectorem privativè spectare deputationem Æconomi in qualibet ex Ecclesiis vacantibus, non verò ad Episcopum Eugubinum, qui nullam in iis habet spiritualem,

lem, aut temporalem jurisdictionem, nullumque jus visitandi, corrigendi, & gubernandi personas, vel Ecclesias, quæ ab Episcopo Eugubino avulsæ censeri debent, & Eminentissimo Protectori subjectæ, quoties huic tantùm absoluta instituendi facultas competit *Rot. cor. Falconer. in Miscel. dec. 13. num. 10.*

Denique ad VI. & VII. dubium quod attinet, satis perspectum putat, Episcopo Eugubino ob defectum superioritatis, & jurisdictionis in personas earumdem Ecclesiarum servitio addictas nullimodè competere potestatem approbandi, & confirmandi Æconomos ab Eminentissimo Protectore provisionaliter deputatos, atque idcircò eosdem Æconomos independenter ab Episcopo in suo munere fore manutenendos.

Nihil autem obesse ait, quod Breve Innocentianum nunquam exprimat qualitatem *Nullius*, neque Ecclesias prædictas *Territorium separatum* constituant, sed immò *Diæcesis Eugubinæ* eas esse dicat. Nam prætermissa quæstione de vero, stricto, & proprio Territorio separato, *quoad omnes juris effectus*, sufficere putat tributam Cardinalibus Protectoribus Ecclesiæ Divæ Agnetis liberam facultatem deputandi Vicarios Curatos, eosque instituendi independenter ab Episcopi Eugubini adprobatione, confirmatione, aut examine. Observat præterea, Monasterium S. Benedicti Veteris appellari Eugubinæ Diœcesis materialiter tantum, in *simplici narrativa*, & antequam de unione, & incorporatione Pontifex disponeret. Cæterum sustinet, Episcopo Eugubino onus inhærere concludenter probandi formalem dicti Monasterii existentiam in sua Diœcesi, ut jurisdictionem super illo valeat exercere *Rot. coram Dunozett. sen. dec. 309. num. 7. & seq.*

Fatetur quidem, spectata SS. Canonum, & præsertim Concilii Tridentini dispositione, ad Episcopum pertinere Parochiales Ecclesias de idoneis Vicariis providere, & concursibus ad Parochialia beneficia præesse. Negat tamen id locum sibi vindicare in præsenti casu, quo Breve Innocentianum cuicumque juris dispositioni amplissimè derogavit, & Monasterium prædictum, omniaque eidem adnexa immunia declaravit a qualibet Eugubini Episcopi jurisdictione, visitatione, correctione, & quavis alia superioritate, eaque Cardinali pro tempore Protectori subiecit. Addit, SS. Canonum, & Concilii Tridentini dispositionem non procedere quoad Parochias manuales, sivè ad nutum amovibiles, quæ verè, & proprié beneficia curata non sunt *Fagnan in cap. Ex parte num. 26. de Offic. Vicar.*, *Rot. decis. 18. num. 3. coram Coccin.*, *decis. 114. num. 2. cor. Buratt.*, & *decis. 204. num. 10. coram Ratto*, cum beneficia perpetuò sint duratura *Cap. Sanctorum dist. 70.*, *Barbos. Jur. Eccles. lib. 3. cap. 4. num. 11.*

Per-

Perperamque etiam opponi observantiam, qua constare prætenditur, provisos a Cardinalibus Protectoribus fuisse ab Episcopo Eugubino examini subiectos. Respondet enim primo, quod etiamsi hujusmodi observantia probaretur, nihilominùs præcedentium Protectorum nimia fortasse indulgentia nullum afferre potuit præjudicium juribus hodierni Eminentissimi Protectoris, qui ex aperta Innocentiani Brevis dispositione jus suum metitur. Præterea contendit, examen ab Episcopo Eugubino non necessario, aut ex aliqua lege fuisse peractum, sed liberè, ac voluntariè, & ad proprium, & provisorum commodum, ne scilicet isti vel ad Urbem accedere, vel remotiorem aliquem Episcopum pro experimento idoneitatis adire cogerentur; unde infert, Episcopos Eugubinos non *jure proprio*, propriaque auctoritate, sed *jure delegato*, sive ex commissione, ut ajunt, examini præfuisse.

Idque ab ipsismet Episcopis admissum, declaratùmque fuisse affirmat, dum provisos de beneficiis non aliter ad examen admiserunt, quam *ad formam, & tenorem retroscriptarum Bullarum, & Litterarum Eminentissimi Protectoris*. Eamdemque delegationem a Cardinalibus Protectoribus pauditam aliquando fuisse in suis Litteris ad Episcopos Eugubinos, quos officiosè rogarunt, ut experimentum haberent eorum, quibus ipsi beneficia contulerant. Sed etiamsi Episcopi Eugubini absque speciali delegatione in peragendo examine quandoque processissent, sustinet nihilominus, hujusmodi actum, tanquam merè facultativum, nullum jus tribuere, nullamque inducere posse legalem possessionem *Leg. Si in meo ff. de aqua pluv. arcend.*, *Rot. coram Falconer decis.57. num.6. de Jurepatron.*, *& decis.24. num.19. de offic.Ordin.*, & vigore clausulæ *Sublata* Brevi Innocentiano adjectæ, abusum potius, & corruptelam, quam juris argùmentum præseferre *Posth. de Manut. observ. 46.num.5. & seq.*, *Rot. coram Molin. dec.406. num.11. tom.2.*

Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Eugubinæ sæpius monitus, & expectatus, nihil hactenus deduxit.

Præsentis Causæ definitio non tota pendet a dispositione juris Canonici, quæ auctoritatem instituendi Vicarios ad Curam Animarum Locorum Ordinariis tribuit, etiamsi præsentatio facta fuerit a Rectoribus, Capitulis, vel Monasteriis, quibus Parochiales Ecclesiæ sunt unitæ *Cap. De Monachis 12. de Præbend.*, *Cap. in Ecclesiis 1. de Capellis Monach.*, *& Clement.1.de Jurepatron.*; sed quæstio definienda potius est ex Brevi san.mem. Innocentii X. favore Ecclesiæ S. Agnetis, ejusque pro tempore Eminentissimi Protectoris anno Pontificatus 10. *Motu proprio* dato. Inter cætera, quæ in eo leguntur, hęc notatu digna videntur, quæ ad dubiorum definitionem conferunt.

Liceat ex nunc dilecto Filio nostro Carolo S. Pancratii Diacono Cardi-

dinali Gualterio nuncupato moderno, & pro tempore existenti prædictæ Ecclesiæ S. Agnetis Protectori . . . . ejusdem suppressi Monasterii, & Ecclesiæ S. Sebastiani Ecclesias in spiritualibus, & temporalibus administrare, illisque si id ipsæ requirant per Capellanum, seu Capellanos ad nutum dicti Caroli Cardinalis moderni, & pro tempore existentis dictæ Ecclesiæ S. Agnetis Protectoris amovibiles in Divinis deservire, & si quæ Animarum Cura illis forsan immineat illam per Vicarium, seu Vicarios idoneos ad ejusdem Cardinalis Protectoris nutum ponendos, & amovendos exercere. . . . nec non Beneficia Ecclesiastica Sæcularia, & Regularia . . . . quandocumque, & quotiescumque illa deinceps in perpetuum vacare contigerit ad instar perpetuorum simplicium Beneficiorum Ecclesiasticorum Sæcularium personis idoneis Sæcularibus liberè conferre . . . ipsasque personas ad illa præsentare, eligere, & in eis instituere, atque electas, & præsentatas confirmare, ac alias de illis plenariè disponere, Ordinariorum Locorum, seu quorumvis aliorum licentia desuper minimè requisita, quin immo illis quandocumque invitis, & reclamantibus.

Praterea additur = *Nec Ecclesiæ, aliaque Loca suppressorum Monasterii, & S. Sebastiani ab ipsis Ordinariis, vel Superioribus Ordinis S. Benedicti visitari, neque in dicto Monasterio . . . Vicarios, seu Cappellanos perpetuos, vel temporales . . . deputari, minusque ibidem quoad reparationes, & Animorum Curam, si quæ sit, vel alias per eosdem Ordinarios providere, aut ipsos, seù in illis quoquo modo intromittere posse* =

Tandem ita decernitur = *Similiter suppressi Monasterii, & S. Sebastiani Ecclesias prædictas, Loca, personas, res, & bona quæcumque ab Eugubini, & Alatrini Episcoporum, & respectivè Abbatum prædicti Ordinis S. Benedicti nunc, & pro tempore existentium visitatione, correctione, jurisdictione, & quavis alia superioritate tam in Spiritualibus, quam temporalibus, motu, scientia, & potestatis plenitudine, ac auctoritate, & tenore similibus penitùs, & omninò etiam perpetuo liberamus, absolvimus, & eximimus . . . . Neque ad aliquam solutionem, vel contributionem illis faciendam teneri, nec censuris Ecclesiasticis, aut pecuniariis, seù aliis pœnis ad id cogi, vel compelli posse* =

Post hæc ratio quoque habenda est consuetudinis, qua constat ab anno 1649. provisos a Cardinalibus Protectoribus ad Episcopum Eugubinum pro examine, & approbatione fuisse amandatos. Videndum, an id ex necessitate factum fuerit, seu potius ex libera facultate. & placito eorumdem Cardinalium Protectorum, qui Episcopum Eugubinum tanquam viciniorem in sui locum delegaverint.

Dijudicandum itaque ab EE. VV. erit

I. *An electio, & deputatio Vicariorum Curatorum in Ecclesiis Parochialibus nuncupt. S. Benedicti Veteris, S. Crucis de Mo-*

Morena, & S. Petri de Salia pertineat ad Eminentissimum Protectorem Ecclesiæ Sanctæ Agnetis in Platea Agonali de Urbe, sive potius ad Reverendissimum Episcopum Eugubinum, in casu &c.

II. *An iidem Vicarii in dictis Ecclesiis deputati debeant esse perpetui, sive potiùs amovibiles ad nutum eos eligentis, in casu &c.*

III. *An Vicarii electi ab Eminentissimo Protectore examinari, & approbari debeant ab Examinatoribus Synodalibus Curiæ Episcopalis Eugubinæ, sive potius admittendi sint ad exercitium Curæ Animarum, statim ac habitis fuerint idonei a præfato Eminentissimo Protectore, independenter a prædicto examine, in casu &c.*

IV. *An Vicarii electi ut supra ab Eminentissimo Protectore confirmari, & approbari debeant a Reverendissimo Episcopo Eugubino, ante exercitium Curæ Animarum, sive potius percipere possint exercitium Curæ independenter a qualibet confirmatione, & approbatione dicti Reverendissimi Episcopi, in casu &c.*

V. *An præfatus Eminentissimus Protector possit in vacationibus dictarum Ecclesiarum Parochialium deputare provisionaliter Æconomos sibi magis benevisos independenter omninò ab Episcopo Eugubino, sive potius dicta provisionalis deputatio spectet ad Reverendissimum Episcopum Eugubinum, in casu &c.*

VI. *An hujusmodi Æconomi provisionaliter deputati ab Eminentissimo Protectore ut supra confirmari, & approbari debeant a Reverendissimo Episcopo Eugubino, sive potius debeant admitti ad provisionalem Curam Animarum independenter omninò a qualibet confirmatione, & approbatione dicti Rmi Episcopi, in casu &c.*

VII. *An Æconomi in ultimis vacationibus ab eodem Emo Protectore independenter ab Episcopo Eugubino deputati, sint removendi, sive potius manutenendi, in casu &c.*

SENOGALLIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. In postremo, quod anno 1738. condidit testamento pius Sacerdos *Jacobus Cirilli Magi* Senogalliensis hæreditatis suæ usumfructum reliquit Famulæ Baptistæ Petulatæ, ac post hujus obitum hæredes ex asse instituit *Antonium Lombardi* Consobrinum, ejusque filios, ac descendentes masculos ex masculis in infinitum. Jussit verò, ut fructus domorum, quas habebat in Hæbreorum Senogalliæ statione, quotannis distribuerentur *per carità a tre povere Zitelle, che saranno da maritarsi, e doveranno essere della Città di Sinigaglia, o sue*

Sess. 24. cap. 1. de Reformat.

o suo Territorio da pagarseli a ciascuna scudi ventinove, seguito effettivamente il Matrimonio.

In hac autem subsidiorum dotalium assecutione jussit præferri filias Francisci Magi, itemque filias Angeli, Mariæ, Felicis, Nicolai, & Luciæ Galli filiorum Barbaræ Lombardi consobrinæ, nec non fœminas descendentes ex linea masculina Ludovici Fattinelli, & Hieronymi Cirilli, aucta singulis dote ad scuta 58., hisque prædilectis Puellis deficientibus, nominationem reliquit Hæredibus institutis, addita lege = *sino che sarà la nomina in persona di detta Erede usufruttuaria, e poi del primo Erede proprietario da me chiamato, possino ambedue questi nominare nove per tre anni anticipatamente a loro arbitrio, ed in qualsivoglia età, ma però di questa Città, e Territorio: pervenendo poi la nomina doppo questi in altri Chiamati, debbano ogni anno nominare tre in età almeno di dodici anni.*

Vita functo Testatore, & paulo post hærede usufructuaria, *Antonius Lombardi* hæreditatem adivit; at is adeo Testatoris voluntatem sprevit, ut cuilibet petenti indulgens nominationem ad dicta subsidia, res eo redacta fuit, ut tempore ejus obitus secuti anno 1771. jam puellæ 32. sub spe dictorum subsidiorum ob obtentam nominationem matrimonium contraxerint, pluresque aliæ adhuc nubiles extent ab eodem æque nominatæ. Cum verò idem *Antonius* ob malam suorum bonorum administrationem in graves angustias propriam familiam conjecerit, hinc quatuor relictæ filiæ fæminæ, licet ætate maturæ, ob dotis inopiam adhuc vivunt innuptæ.

Qua de re ipsarum Mater Michaelina Zacconi Vidua a dicto Antonio relicta preces Sanctissimo Domino Nostro porrexit, ut ad congruam dotem dictis quatuor filiabus parandam, singulis dicta subsidia relicta a *Sacerdote Jacobo* per integrum decennium pro virili applicarentur. Precibus autem ad hanc Sac. Congregationem ablegatis, inquirendum modo est, an petitio justitiæ, æquitatisque principiis consona sit, ita ut exaudiri mereantur.

Inquit Michelina Mater, Testatorem in alienas, ignotasque puellas sua contulisse beneficia, sed prætulisse omnes puellas descendentes a fæminis de Gente Lombarda in alienis familiis nuptas, unde multo magis ejusdem voluntati consonum esse, ut præferantur filiæ *Antonii Lombardi* præceteris prædilecti, & hæredis instituti, quatenus, prout evenit, congrua dote essent destitutæ, ac egestate premerentur *Valenzuol. de re Eccles. vot.*24. *num.*29., *Bonfin. de jur. fideic. tit.*1. *disputat.*14. *num.*60., *Rot. coram Duran. decis.*98. *num.*4., & *in Perusina Subsidii Dotalis* 2. *Maji* 1704., §. *Inquam coram Scotto*: Imò eadem subsidia dotalia etiam cumulanda esse ad congruam, & decentem dotem consanguineis, & prædilectis puellis præstandam, Sac. Congregatio

in

in Romana applicationis Legati 20. Maji 1692., in Firmana Subsidiorum Dotalium 9. Septembris 1730., & in Panormitana Subsidiorum 20. Augusti 1735.

Nec jure conqueri alias puellas usque ad numerùm 32. a defuncto *Antonio* nominatas. Testator enim jus hæredi dedit nominandi novem dumtaxat puellas unica vice pro toto futuro triennio; Hinc infert Oratrix, hanc voluntatem ab ipso hærede nec sperni, nec commutari potuisse, & proinde tot, tantasque puellarum nominationes contra legem Testatoris factas penitus nullas, & irritas deprehendi. Nec momenti esse, quod sub fide dictę nominationis jam matrimonium contraxerint. Replicat enim Oratrix, Puellas sibi ipsis imputare debere, si nimiam *Antonio Lombardi* fidem præstiterunt, sicque illegitimam, & irritam nominationem obtinuerunt. Cæterum omnia æquitatis, justitiæque principia suadere, ut pauperibus puellis Testatori conjunctis potius succurratur, quam exteris, & ignotis, qui improvidas nominationes contra legem Testatoris a prodigo hærede extorserunt.

Prefixo termino omnibus interesse habentibus, & presertim puellis nominatis, nemo usque nunc jura sua deduxit.

Episcopus tam Senogallien., quam Pisauren. maxime adjuvant Oratricum preces ob sanguinis conjunctionem, ipsarum paupertatem, congruęque dotis defectum. Addit tamen Episcopus Senogallien., quod cum gratia cederet in damnum puellarum nominatarum, quę sub dicti subsidii dotalis fide jam matrimonium contraxerunt, expediens videri, nominationes suspendere, & interim erogatis binis annuis subsidiis in dotem puellarum nominatarum, tertium applicari pro congrua dote Oratricibus constituenda, ita tamen ut satisfactis dictis mulieribus nominatis, subsidia in duas partes dividantur, quarum altera per annos 40. applicetur Oratricis filiabus, alia vero distribuatur pro dotandis duabus puellis ad formam Testamenti nominandis, ut ex relatione inter monumenta Causæ data.

Sacra Congregatio persæpè prætulit Consanguineas extraneis. Viden. Resolutiones *in Romana Dotium* 2. *Octobris* 1717., & 24. *Septemb.* 1718., *in Nullius, seu Montis Casini distributionis Subsidiorum Dotalium* 24. *Septemb.* 1729., *in Camerinen. Subsidiorum Dotalium* 8. *Aug.* 1733., *in Panormitana Subsidiorum Dotalium* 20. *Augusti* 1735.

Verumtamen ubi hæc subsidia Consanguineis concedenda sunt, non solum prælatio aliquoties concessa est pro iisdem dotibus, sed etiam factus est earum cumulus ad dotem congruam constituendam, ut in *Romana applicationis Legati* 20. *Septembris* 1692., *in Romana Dotium* 2. *Octobris* 1717., *in Camerinen. Subsidiorum Dotalium* 8. *Aug.* 1733., *in Panormita-*

na Subsidiorum Dotalium 15. *Januar.* 1735., *in Romana* 12. *Maji* 1757., *& in Narnien. Subsidiorum Dotalium* 21. *Augusti* 1762.

Ponderandum hinc, an ad congruam dotem filiabus Oratricis parandam excludendæ sint a subsidiorum assecutione innumeræ puellæ ab *Antonio* primo Hærede nominatæ, quæ jam sub fide dictæ nominationis matrimonium contraxerunt, ac idem subsidium in partem dotis Viro cesserunt. Sacra Congregatio in una *Firmana Subsidiorum dotalium*, in qua Francisca Grassi Raccamadori improvidam ab Executoribus nominationem contra legem fundationis obtinuerat ad dotale subsidium, atque hoc in partem dotis Viro jam cesserat, censuit sub *die* 31. *Maji* 1766. dictum subsidium ei præstandum non esse.

Spectatis ideo benignitatis, æquitatis, & arbitrii principiis dignentur EE. PP. responsum dare.

An sit locus assignationi Subsidiorum Dotalium, seù potius sustineantur assignationes factæ a quondam Antonio Lombardi, in casu &c.

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

CALAGURITANA MISSÆ PRO POPULO. Quæ duæ in Oppido Encisi extant Parochiales Ecclesiæ, sex numerant filiales Paræcias nuncupatas Navalsaz, Villar, Pojales, Garranzo, Ruedas, Escurquilla. Harum regimini quatuordecim præsunt Parochi, quorum octo Sacramenta administrant in duabus Oppidi Ecclesiis, reliqui verò filialibus Paræciis inserviunt. Nulla inter Parochos est Ecclesiarum divisio, sed anno quolibet die 14. Septembris unusquisque juxta ordinem antianitatis illius Paræciæ curam assumit, quam sibi præeligere placet. Quamvis tamen in diversa loca Animarum cura sit dispertita, & a diversis Rectoribus exerceatur, unus nihilominus est Populus, una Paræcia, idque etiam in formali judicio definitum afferitur. Ignoratur prorsus a quo tempore Parochiæ fuerint institutæ, solumque constat anno 1548. quatuor Pagis Pojales, Ruedas, Garranzo, & Escurquilla, Parochum fuisse assignatum.

Parochi omnes unum Collegium constituunt, & communem habent redituum massam, sed non omnes de hac massa æquè participant, nam quinque integram portionem, tres verò dimidiam, reliqui autem quartam lucrantur, atque hinc primi scuta 110., alii scuta 55., postremi tandem scuta

ta solùm 27. 50. percipiunt. Ab immemorabili tempore consueverant Parochi octingentas quatuordecim Missas pro Populo celebrarè, quarum septingenta & triginta ab octo Beneficiatis in Oppido, aliæ verò septuaginta quatuor a reliquis in Pagis residentibus applicabantur. Initio præsentis sæculi grave nimis Missarum onus existimantes Parochi, de reductione cogitarunt, earumque numerum ad centum viginti quatuor redigere statuerunt, addito tamen onere Choro inserviendi certis infra annum diebus horis matutinis, & vespertinis; idque ab anno 1715. ad hæc usque tempora observarunt.

Nuper autem exorta inter ipsos dubitatio est de sequutæ reductionis validitate, proindeque pro quiete eorum conscientiæ supplicant, ut excedentem 814. Missarum numerum, quæ ante annum 1714. celebrabantur, ad quantitatem 124. coerceatur. Asserunt enim, nullo statuto, vel conventione numerum Missarum pro Populo celebrandarùm fuisse unquam præfinitum, sed solum consuetudinem invectam ex pinguioribus, quibus tunc Parochi fruebantur, reditibus, & ex modico, quo tunc vivebant sumptu: Postea verò imminutis fructibus, auctoque victualium pretio, necessariam deprehendi reductionem, ne Parochi, dimidiæ præsertim, & quartæ portionis victum mendicare cogantur.

Quo verò ad quantitatem præfiniendam sustinent, habendam esse rationem tum tenuitatis redituum, tum etiam gravitatis onerum Curæ Animarum, & Choralis certis anni diebus residentiæ. Provocant deindè ad Encyclicam san.mem. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*. Ac demum advertunt, rem esse de uno Populo pluribus Ecclesiis pro mera commoditate adscripto, & de uno Clero iisdem Ecclesiis inserviente, atque insuper observant, Missarum eleemosynam ex communi massa fore detrahendam, quemadmodum resolutum fuisse dicunt pro Clero Oconiensi in alia *Calaguritana applicationis Missæ pro Populo* 14. *Januarii* 1769., quæ quidem resolutio causam præbuit præsentis dubii disputationi.

Episcopus refert, nullam inter Clerum, & Oppidanos Encisi initam fuisse circa Missarum numerum transactionem, nec peculiarem aliquam eleemosynam fuisse præstitutam, solumque ab immemorabili tempore consuevisse Parochos pro Populo applicare Missas 814. singulis annis, quas inter se ita partiebantur, ut octo Parochi Ecclesiis Encisi inservientes Missas 736., reliquas verò 84. Missas aliarum Ecclesiarum Rectores celebrarent. Hanc autem methodum fuisse servatam ad annum usque 1715., quo tempore ob deficientiam oblationum, quæ pro Missis Conventualibus præstari solebant, nonnullorum Theologorum consilio Missarum numerum ad 124. fuisse coercitum. Testatur præte-

terea, emolumenta Parochorum, qui integram portionem lucrantur, ducatos biscentum de Vellon monetæ Castellæ non excedere: Quare concludit = *Che gli Oratori giustamente istano per la moderazione, e riduzzione del peso delle Messe* pro Populo, *qualora la loro pretensione riguardi le* 814. *Messe, perche tal numero lo reputo esorbitante per la poca congrua, che oggidì godono quei benefizj. Attendendo altresì all' essere troppo limitato il suffragio, che prestano* pro Populo *quello di* 124. *Messe, che annualmente si ripartono trà* 14. *titoli, potrà la Sagra Congregazione arbitrare quel mezzo equitativo, che più consentaneo sembrerà all'EE.VV.*

Certum est Parochos, qui curam Animarum exercent teneri ad applicationem Missæ pro Populo, prout ex Concilio Tridentino *sess.*23. *cap. primo de Reformat.*, ibi = *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est oves suas agnoscere, & pro his sacrificium offerre &c.*. Nec ab hujusmodi onere eximi possunt Parochi, qui ob Præbendarum tenuitatem congruos non habent reditus, cum non ratione sustentationis, sed ratione officii Sacrificium pro Populo offerre debeant *Piringh. in Jus Canon. lib.*3. *tit.* 23. *n.*19., S. Congregatio in *Nonantulana* 10. *Maji* 1692.. Immo Parochorum querelas postulantium reductionem Missarum ex causa tenuitatis redituum, rejectas fuisse asserit *Monacell. in supplement. ad tom.*7.*num.*121.

Quo verò ad dies, quibus Parochi Missam pro Populo celebrare debeant, invecta olim distinctio fuit, ut qui pinguioribus reditibus fruerentur singulis diebus, qui autem tenuem præbendam possiderent, diebus tantùm festis ad applicationem tenerentur. Hanc tamen distinctionem sustulit san.mem. Benedictus XIV., qui ad eliminandas quæstiones de majoribus, vel minoribus Ecclesiarum Parochialium reditibus, qui ad congruam Parochorum sustentationem sufficerent die 19.*Augusti* 1749. Encyclicam ad Italiæ Episcopos dedit Epistolam incipien. *Quum semper oblatas*, in qua hæc edixit = *Opportunum censuimus Fraternitatibus vestris declarare, Nobis abundè satisfactum fore, vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui Animarum curam exercent, sacrificium Missæ pro Populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum festis diebus de præcepto, cum prædicti Dominici, aliique festi dies sint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini sess.*5. *cap.*2., & *sess.*24. *cap.* 4. *quilibet Animarum curæ præpositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet &c.*

Ponderandum itaque in præsenti casu, quo modo Parochi duarum Ecclesiarum Encisi, aliarumque Filialium, qui unum Populum, & unam Parochiam constituunt, præcepto applicationis Missæ pro Populo adimplere teneantur. Præstat hac de re referre Sac. hujus Congregationis resolutiones, quæ juxta circumstantias variis temporibus prodierunt.

runt. In Civitate Balneoregii ex duobus Capitulis una erecta fuit Cathedralis, & Animarum cura pro ea Civitatis parte, quæ *Civita* nuncupabatur, commissa extitit uni ex Canonicis, pro altera verò parte, quæ appellabatur *Rota*, duobus aliis Canonicis fuit demandata. Plures hinc subortæ sunt contentiones circa applicationem Missæ pro Populo, ad quas dirimendas propositum inter cætera fuit dubium = VII. *An quatenus Missa Parochialis sit celebranda in diebus festis a Canonicis Curatis in Parochia Contratæ Rotæ, sufficiat celebratio, & applicatio unius Missæ pro Populo, seu potius ambo Canonici Curati teneantur ad applicationem supradictæ Missæ, in casu &c.* = Et Sac. Congregatio die 19. Augusti 1713. respondit = Ad VII. *Sufficere unicam celebrationem, & applicationem.*

Cum Parochialis Ecclesia S. Mariæ de Plano Oppidi Montellæ Nuscanæ Diœcesis erecta fuisset in Collegiatam prævia unione octo Ecclesiarum Parochialium, & septem non Parochialium, & singulis octo Parœcii s ex Constitutione san.mem. Leonis X. totidem Vicarii ad nutum amovibiles fuissent constituti, Episcopo visum est, unumquemque eorum teneri ad applicationem Missæ pro Populo. Renuerunt Vicarii hujusmodi onus subire, ex eo quia unionem non æquè principaliter, sed subjectivè factam asseruerunt. Re delata ad S. Congregationem quæsitum fuit = *An Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ de Plano Oppidi Montellæ Nuscanæ Diœcesis teneantur unam tantùm Missam pro Populo diebus festis celebrare, seu potius tot Missas quot sunt Parochiales Ecclesiæ illi unitæ, in casu &c.* = & die 17. Januarii 1756. rescriptum fuit = *Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam* =

Parochialis Ecclesia S. Luciæ Terræ Porculæ, quæ est sub Diœcesi Montis Alti, a duobus Parochis regebatur, quibus post sequutam aliarum Ecclesiarum unionem alii duo accesserunt, omnesque Portionarii sunt appellati. Episcopus distinctos Parochiæ limites unicuique assignavit, cumque dubitatum hac de causa fuisset *An Missa Parochialis in diebus festis applicanda pro Populo, veniat celebranda a singulis Rectoribus Ecclesiæ S. Luciæ Porculæ, seu potius alternatim ab Hebdomadario, in casu &c,* = prodiit die 27. Augusti 1763. responsio = *Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & amplius* =

In Territorio Oconii, qui locus intra limites Calaguritanæ Diœcesis existit, Collegium adest Beneficiatorum, qui Curam Animarum exercent, & licet in diversis ejusdem Territorii Pagis resideant, unum tamen corpus, & unum Clerum constituunt. Supplicarunt itaque Beneficiati pro reductione Missæ pro Populo ad tramites Benedictinæ Constitutionis, disputatumque die 14. Januarii 1769. fuit dubium = *An, & quomodo sit locus reductioni applicationis Missæ*

pro

pro Populo, in casu &c. = Sacra verò Congregatio sequentem edidit resolutionem = *Applicatis duabus Missis quotidianis in Ecclesia Oconij, nec non una quotidiana in Pago Corerij: pro gratia reductionis ad unam pro diebus festivis, & Dominicis in quolibet ex cæteris Pagis, collatis tamen suffragiis in unum pro toto Populo, facto verbo cum Sanctissimo, & detracta eleemosyna pro omnibus Missis applicandis ex massa communi.*

Tandem in Oppido Maidæ, quod extat in Diœcesi Neocastrensi, duo adsunt Parochiales Ecclesiæ, una scilicet Sanctæ Mariæ de Catholica, quæ Matrix est, & unitam habet alteram Ecclesiam S. Mariæ de Berlina, atque a tribus Parochis regitur; alia verò S. Nicolai de Latinis, cui anno 1741. adnexa fuit Parochialis Ecclesia S. Nicolai in Platea, eique quatuor Parochi inserviunt. Hi omnes ab immemorabili tempore consueverunt unam Missam pro Populo in unaquaque Ecclesia singulis diebus celebrare, sed post evulgatam Benedictinam Constitutionem ad dies tantùm festos fuit coercita; Verùm conscientiæ stimulis perculsi earumdem Ecclesiarum Rectores, Sacræ Congregationi supplicarunt, ut declararet, an unico in unaquaque Ecclesia oblato Sacrificio, oneri Missæ pro Populo satisfacerent. Hinc duo proposita fuerunt dubia: I. *An Parochi Ecclesiarum S. Mariæ Catholicæ, & S. Nicolai de Latinis teneantur singuli applicare Missam pro Populo, seu potius possint unam tantùm Missam in unaquaque Ecclesia per turnum applicare, in casu &c.* II. *An eamdem Missam teneantur applicare quotidiè, vel tantùm Dominicis, & festis diebus in casu &c.* = & die 26. Januarii 1771. responsum fuit ad I. *Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam*; & ad II. die 15. Februarii 1772. = *Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.*

Hæc sunt, quæ in præsenti causa animadvertenda existimavi. Vestrum nunc erit Emi PP. decernere

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum pro Populo, in casu &c.

Sess. 22. cap. 4. de Reform.

ARIMINEN. REDUCTIONIS. Testamentum condidit anno 1626. Petrus Ciucci, quo hæredi onus imposuit adimplendi singulis annis sex officia cum applicatione decem Missarum pro quolibet in Ecclesia S. Francisci Minorum Conventualium Arimini, ubi sepulchrum elegerat;

to-

totidemque insuper officia cum applicatione Missarum sex in altera Ecclesia S. Bernardini Fratrum Reformatorum ejusdem Civitatis. Reliquit ulterius annua scuta 40. Sacerdoti Alexandro Ciucci Pronepoti, cui onus idcircò adjecit celebrationis duarum Missarum qualibet hebdomada, & post illius obitum eamdem summam subministrari præcepit alteri Sacerdoti, qui tres Missas in unaquaque hebdomada celebraret, præter aliam Missam singulis diebus festis in Oratorio Divi Hieronymi celebrandam: Denique hæredem instituit dictum Sacerdotem Alexandrum, cui substituit præfatum Oratorium, sivè Sodalitium S. Hieronymi cum onere præscripta omnia legata adimplendi, nec non Sodalibus injunxit, ut vivente adhuc primo hærede declararent, an vellent dispositionem acceptare, qua declaratione non sequuta, facultatem memorato Sacerdoti Alexandro tribuit de bonis hæreditariis favore Consanguineorum disponendi.

Dum adhuc viveret hæres institutus Sodales Oratorii Divi Hieronymi convocatis Comitiis hæreditatem Petri Ciucci adveniente casu substitutionis adire statuerunt. Verùm cum istius deliberationis notitia ad Sacerdotem Alexandrum non pervenisset, hic de bonis disposuit favore Blasii, & Petri Ciucci, quos hæredes testamento scripsit. Id autem statim, ac innotuit Sodalibus, non destiterunt Sacerdotis Alexandri testamentum impugnare, & tam in partibus, quam coram A.C. favorabiles sententias obtinuerunt. Devoluta deindè Causa ad Sacram Rotam, diuturnæ litis dispendio Sodales perterriti, transactionem inierunt cum hæredibus Alexandri, quorum favore jura omnia, & rationes super hæreditate Petri Testatoris renunciarunt, cum lege adimplendi legata ab eo demandata, ac Sodalitio solvendi scuta mille, eique reficiendi damna, & expensas litis, & transactionis confirmationem ab Apostolica Sede reportandi.

Cum tamen promissam summam scutorum mille hæredes Alexandri non haberent, censum favore Sodalitii imposuerunt, conventis fructibus in ratione scutorum quinque pro centenario. Verùm morosi postmodum facti debitores in solutione fructuum, qui decursu temporis in quantitate scutorum 500. coaluerant, binas Sodalitio cesserunt Domunculas valoris ☧ 1500., ex quibus deductis expensis annua ☧ 18. retrahebantur.

Anno 1758 Commissarius R. Fabricæ S. Petri ob non sequutam satisfactionem piorum Legatorum, quæ in testamento Petri Ciucci demandata fuerant, immissionem postulavit ad easdem domunculas a Sodalitio S. Hieronymi acquisitas. Lis tamen perempta fuit prævia solutione summæ sc. 150. Tribunali Rev. Fabricæ, totidemque ejus Commissario compositionis titulo traditæ, injuncta tamen lege, ut pro one-

onerum reductione Sodales Sac. huic Congregationi preces exhiberent. Existimantes nihilominus iidem Sodales, non tantùm reductionem, sed omnimodam ab oneribus exemptionem assequi posse, Tribunal Rev. Fabricæ adierunt, sed infelici prorsus successu; nam definitiva sententia decisum fuit, nullo modo petitam exemptionem ab ulteriori onerum implemento competere. Modò itaque Sodales pro reductione instant in primo dubio, addito etiam altero pro expensarum reintegratione.

Ad I. inquiunt, non esse denegandam reductionem, quoties reditus sunt imminuti, & deperdita Capitalia a Testatore relicta. Hanc autem reductionem non aliter in præsenti casu concedi debere, quam juxta rationem Eleemosinę taxæ perpetuæ, cum res sit de onere nondum acceptato, nec exequutioni mandato *Passerin. de Stat. hom. quæst.* 183. *art.* 4. *num.* 1041., *& seq.*, *Sac. Congregatio in Lucana applicationis Missæ quotidianæ* 12. *Februarii* 1735. *ad II. Dub.* Ex iis autem, quæ in Tribunali Rev. Fabricæ gesta sunt satis patere, nunquam onus fuisse exequutum: Nec quidquam obesse compositionem ab eodem Tribunali indultam, quæ juribus sodalitii numquam officere potuit, etiamsì absque ulla protestatione sequuta fuisset *Rot. post Cenc. de Censib. dec.* 266. *n.* 8., *& cor. Bich. dec.* 306. *n.* 24., *&* 26.

Ad II. observant, Loca pia cogi non posse ad tuenda propriis sumptibus jura hęreditatum, quæ ipsis delatæ sunt, proindeque expensas omnes a sodalitio factas pro tuendis juribus hæreditatis Petri Ciucci, ex annuis pensionibus duarum domuncularum fore detrahendas, absque eo quod quidquam de proprio dictum sodalitium contribuere teneatur *Constantin. ad Statut. Vrb. annot.* 59. *num.* 288., *& seq.*, *Rot. in Nuperrim. decis.* 373. *num.* 6. *tom.* 7.

Episcopus testatur, ex recensitis domunculis nil aliud a Sodalitio retrahi, quam scuta 18., quare hæc habet = *Cum ex hæreditate Petri Ciucci Senioris nec tantum gleba Terræ inveniatur, præter dictas duas domunculas a societate possessas, videtur Societatem prædictam condemnari non debere, nisi ad satisfactionem Missarum pro intranti solum quantitate scut.* 18., *quot ab ipsa retrahuntur ex pensionibus earumdem Domorum, saltem usque dum ei aliquid recuperare imposterum contingerit ex prædicta hæreditate Petri Ciucci*.

Rogatus de sua sententia Emus Pamphilius advertit, Apostolicam Sedem difficilem sese præbuisse in indulgenda reductione onerum, quæ per contractum acceptata fuerint, nihilominus in præsenti casu gratiose agi posse existimat cum Sodalitio Divi Hieronymi, saltem usque dum aliquid forsan ex hæreditate Petri Ciucci recuperare valeat. Cæterùm ait = *Non inficior, me valdè ancipitem esse dum hæc scribo de mea ad gratiam inclinata sententia*.

Quam-

Quamvis deficientibus reditibus, vel amissis Capitalibus, sit locus reductioni onerum, nihilominus hęc generalis regula limitationem patitur, quando legatum demonstrativè fuerit relictum; *Pasqualig. DE SACRIFIC. MISS. quæst.* 1078., vel quando onera per contractum fuerint acceptatum *S. M. Bened. XIV. de Synod. Diæces. lib. 13. cap. ult. n. 16.* Seriò idcircò ponderanda dispositio Petri Ciucci, qui Sacerdoti Alexandro hæredi instituto substituit sodalitium Divi Hieronymi cum expressa lege adimplendi onera ab eo pręscripta: Videndum, an declaratio a Sodalibus emissa acceptationem importet, & an ex iis, quæ posteà acciderunt de transitu bonorum ad hęredes ejusdem Sacerdotis Alexandri immutatio aliqua, aut variatio præsumi possit.

In reducendis autem oneribus Missarum monet sa. mem. Benedictus XIV. *de Synod. Diæces. lib. 13. cap. ult. num. 35.* consuevisse Sac. Congregationem eleemosinam præfinire, quæ pro Missis manualibus præstari solet. Verum dum agitur de perpetuis Missarum oneribus distinguendum est; aut dispositio Testatoris jam fuit exequutioni demandata; & tunc reductio ad rationem eleemosinæ manualis indulgetur, Sac. Congregatio in *Burgi S. Sepulchri reductionis Missarum 30. Martii 1748., in Nepesina reductionis Missarum anni nuper elapsi*, aut nondum exequuta est dispositio, & in isto casu eleemosina taxæ perpetuæ assignata noscitur in *Prænestina 15. Julii 1709. in Nepesina reductionis onerum 24. Junii 1734., & in Viterbien. Capellaniæ 11. Jan. 1735.*

Quoad expensas litis notandum, quod si erogatæ fuerint pro tuendis juribus hæreditariis, vel pro recuperandis bonis ad hæreditatem pertinentibus, tunc ex hæreditariis reditibus detrahuntur, Sac. Congregatio in *Viterbien. Capellaniæ 30. Maii 1767. ad IX. dub.* Perpendendum tamen an id locum habeat quoad expensas compositionis a sodalitio persolutas Rev. Fabricæ, cum ad solutionem adactum fuerit in pænam non sequuti adimplementi.

Denique habenda præ oculis est sententia, qua frustra petente sodalitio exemptionem ab oneribus, a sua petitione fuit rejectum. Videndum an ea obstaculo esse possit, quominus reductionem, quam modò efflagitat, assequatur.

Post hæc Emi PP. dijudicabunt.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum præscriptorum in testamento Petri Ciucci in casu &c.*

II. *An pro expensis hujus litis, & pecuniis solutis pro compositione, erogandi sint fructus interea decursi, & imposterum decurrendis ex duabus domunculis, seu potius Confraternitas teneatur de propriis capitalibus, & fructibus supplere, in casu &c.*

Seff.25. cap.5. de Reform.

SEDUNEN. ANNIVERSARIORUM. Parochialis Ecclesiæ Loci Ardoni nonnulla gravata est Anniversariis per diversos Testatores vario tempore præscriptis. Quamvis autem desint dispositiones, quarum quantitas in volumen excresceret, & Parochi paupertas vetuit, ne illarum exemplaria transmitterentur, constat nihilominus etiam ab Episcopi relatione, in aliquibus Anniversarii tantum celebrationem, absque ulla alia expressione fuisse demandatam, in quibusdam verò aliis aliquarum Missarum satisfactionem *Anniversarii* nomine præscriptam extitisse. In decursu annorum 18. a quibus hodiernus Parochus Georgius Chulland Parochiali Ardoni Ecclesiæ præfuit, nil aliud, quam Missarum celebrationem adimplevit. Verum conscientiæ stimulis permotus, dubiusque quid *Anniversarii* appellatione intelligi debeat, id ab EE.VV. declarari postulat, idque etiam optat Episcopus, qui suas quoque preces hac de re adjungit.

Hoc igitur definiendum proponitur in dubio, quod in calce transcribitur, ad cujus resolutionem non inopportune prænotandum arbitror, extremum Defunctorum diem usque a primis Ecclesiæ sæculis annua recordatione fuisse celebratum. Frequens de hoc mentio occurrrit tum apud SS. Patres, tum apud Ecclesiasticos Scriptores, qui de tam pia, ac religiosa consuetudine scripserunt, *Tertallian. in lib de Coron. Milit. cap.3.* sic habet *Oblationes pro Defunctis, pro Natalitia annua die facimus* = & in *lib. de Monogam. cap.* 10. hæc tradidit = *Pro Anima ejus* (nempe Mariti) *orat, & refrigerium interim postulat ei, & in prima resurrectione consortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus* = Origen. *in lib. 3. Job* inquit = *Convocantur in Anniversariis diebus memoriæ vel Parentum, vel Defunctorum, vel Amicorum, seu quorumcumque, qui in fide discessissent, Sacerdotes simul, & Laici, atque in eo cœtu primum, quod in fide discessissent gratulantur, & sibi pium, & tranquillum exitum quisque precatur* = Alia plura hac de re habentur in Operibus S. Cypriani *lib. 1. Epist.9. edit. antiq.*, S. Athanasii in *Homilia de Defunctis*, S. Gregorii Nazianzeni in *Orat. in Funere Cæsaris Fratris*, Cassian. *collat.19. cap.1.*, Clement. Alexandr. *lib.8. Constit. cap.48.*, Grimoldi Abbat. in *lib.de Sacram.*, *in Vita S. Eigilis Abbat. Fulden. a Candido Monacho scripta*, & alibi, prout apud *Gazzæum in Not. ad Cassian. collat.19. cap.1.*, & penes *Mabillon. In Præfatione ad primam partem Sæculi III. Benedictin. num.*101.

Anniversaria autem ideo peraguntur, quia sicuti Sanctis ea dies prodest ad gloriam, nobisque ad utilitatem, ita Defunctis prosit ad salutem, & veniam, ac nostra excitetur fides, ut credamus eos aliquando Sanctorum consortio fore aggregandos, *Amalar. lib. 3. de Eccles. Offic. cap. 44.*, *Alcuin. cap. penult.*. Atque idcirco ea potissimum die, qua re-

recesserunt a nobis, suffragia nostra repetimus, quia melius est ut abundent, quam per incuriam, & oblivionem desint, quemadmodum ritè monet *S. Augustin. lib. 2. de cur. geren. pro mortuis*, & refertur in *Can. Non æstimemus 13. quæst. 2.*

Verùm non satis perspectum est, quo ritu Anniversaria antiquitus agerentur, sed constat tantummodo, non eodem ritu, nec eadem celebritate ubique fuisse peracta. Sanctum propitiationis Sacrificium ea occasione oblatum, preces insuper, psalmos, lectiones, & orationes recitatas colligitur ex Athanasii verbis *in homilia de Defunctis* = *Universa enim hæc Apostoli, Discipulique, Deum super sacrificia placantes, uti Deo gratum est, & Sacrificia, & preces, & Psalmorum cantum, Anniversariasque Defunctorum memorias observandas præceperunt* = Similiter ex Clemente Alexandrino *lib. 8. Constit. cap.* 48. habetur = *Peragatur dies tertius Mortuorum in Psalmis, in Lectionibus, atque Orationibus propter eum, qui tertia die resurrexit: Item nonus in commemoratione superstitum, atque Defunctorum: etiam quadragesimus secundum veterem formam, Moysem enim hoc modo Populus luxit, nec non Anniversario pro memoria ipsius.*

Ex Vita S. Eigilis a Monacho Candido, ut supra, scripta patet, Anniversarium Sturmii Abbatis, quod prius cum una Vigilia, & uno Psalterio celebrabatur, deinde cum celebratione Missarum, Psalmodia, & oratione peragi consuevisse. Demum apud Oldericum Vitalem *lib. 3. histor.* legitur, Osbertum Abbatem Uticensem præscripsisse quotannis generale Anniversarium, quod hoc modo expletum fuisse refert = *Omnia signa sero, & mane ad Officium Defunctorum diù pulsantur, volumen Mortuorum super Altare dissolutum palam expanditur, & deprecatio prius pro Defunctis, postea pro vivis Parentibus, & Benefactoribus, cunctis Fidelibus Deo offertur, Missa vero matutinalis ab Abbate celebriter canitur ab Eleemosinario autem tot pauperes, quot Monachi sunt, ipsa die in Cœnobio colliguntur.*

Juxta hodiernum Ecclesiæ ritum, videndum, an purum, & nudum Anniversarii nomen a Testatoribus quandoque absque alia ulla designatione usurpatum, unicum Sacrificium importet, seu verius Officium etiam Defunctorum, & Absolutionem. Definitio Anniversarii ita habetur ex *Gloss. in Cap. Cum Creatura de celebr. Miss.* = *Quod pro defuncto fit anno revoluto a die mortis ejus* = & *Fagnan. in comment. ad idem Cap. num.* 1. ait = *Anniversaria, idest Officia, quæ fiunt pro Mortuis anno revoluto a die obitus ipsorum* = Rituale Romanum *tit. de Offic. facien. in Exequiis absente corpore Defuncti*, præscribit = *Si faciendæ sint Exequiæ absente corpore . . . in Ecclesia dicatur Officium Mortuorum, cum tribus Nocturnis, & Laudibus, & Antiphonis duplicatis, vel saltem unum Nocturnum cum tribus Lectionibus, & Laudibus, & Missa* = Post Mis-

sam præcipit fieri Absolutionem, deindeque addit = *Prædictus autem Officii ritus pro Defunctis adultis tam Sacerdotibus, & Clericis, quam Sæcularibus, & Laicis servari debet in officio Sepulturæ in die depositionis, sive in die 3., 7., 30., & Anniversario.*

In *Placentina 13. Januarii 1691.*, cum Testator quidam hæredem gravasset onere celebrationis Anniversarii Missarum 15., & Parochus contenderet recitandum quoque esse Officium Defunctorum, & celebrandam Missam cum cantu, supplicavit hæres Sacræ Congregationi, ut decerneret, *se ad nil aliud teneri, quam ad celebrari faciendum annuas Missas 15. juxta voluntatem Testatoris*, & Sac. Congregatio declaravit, *Anniversarium intelligi deberi de 15. Missis privatis tantum eodem die Testatoris obitus celebrandis*. Denique prætereundum non est, quod ait *Ceccoper. lucubrat. Canon. lib. 4. tit. 15. num. 19. post Bordon. in Miscell. dec. 331.*, Capitulum, cui legatum fuerit prædium cum obligatione celebrandi Anniversarium pro Anima Testatoris, satis injuncto oneri satisfacere cantando unam Missam, & unum Nocturnum Defunctorum, quæ quidem opinio cum Rituali Romano apprimè cohæret.

Hinc opportunè distinguendum erit, quando Testatores Anniversarium simpliciter demandarunt, & quando certum Missarum numerum præscripserunt, ut juxta casuum circumstantias definiri tutò valeat:

An, & quomodo peragenda sint Anniversaria, in casu &c.

Sess. 21. cap. 3. de Reform.

IMOLEN. DISTRIBUTIONUM. Exorta quæstione, an Archidiaconus, & Archipresbyter Ecclesiæ Collegiatæ SS. Petronii, & Prosperi Terræ Lugi admittendi essent ad æqualem cum cæteris Dignitatibus, & Canonicis participationem Massæ distributionum, emolumentorum Missarum, aliorumque legatorum, nec non ad vocem activam, & passivam in actis Capitularibus, quatuor in Congregatione *diei 30. Maji* anni elapsi proposita fuerunt dubia I. *An, & quomodo, & in qua quantitate Archidiaconus, & Archipresbyter Collegiatæ SS. Petronii, & Prosperi participare debeant de distributionibus quotidianis*. II. *An, & de quibus emolumentis Missarum, aliorumve legatorum participare etiam debeant Archidiaconus, & Archipresbyter*. III. *An iidem Archidiaconus, & Archipresbyter vocem activam, & passivam in Actis Capitularibus factis, & faciendis habere debeant*. IV. *An extractio Canonici Verlicchi ad Beneficium simplex S. Francisci de Paula facta, exclusis Archidiacono, & Archipresbytero, sit valida, vel potius nulla, in casu &c.*

Re

Re tamen non satis in omnibus illustrata, rescriptum fuit: Ad I. *Iterum proponatur*. Ad II. *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem*. Ad III. *Negativè quoad ea, quæ respiciunt Massam Capitularem, in reliquis affirmativè, & amplius*. Ad IV. *Dilata, & ad mentem: Mens autem fuit, quod citato etiam Sacerdote Antonio Brignani impetretur Commissio super supplicatione ejusdem favore signata*. Datis hinc litteris instructionis Episcopo, superventaque hujus responsione, nec non ad causam vocato Sacerdote Antonio Brignani, nunc eadem dubia reproponuntur, quibus additur *Dub. V.* super supplicationibus favore dicti Brignani signatis. Ad faciliorem verò quæstionum definitionem resumere præstat folium diei 9. ejusdem mensis Maji, ubi late totius Causæ series, & utriusque Dignitatis fundationes habentur:

In hac igitur repetita disceptatione ad I. præmittunt Archidiaconus, & Archipresbyter, eorum Dignitates stallum, vocemque in Capitulo habentes, ex universali Ecclesiarum præsertim Italiæ consuetudine de gremio esse, & corpore ejusdem Capituli *Barbos. de Canon., & Dignit. cap. 37. num. 14.*; *Scarfanton. ad Ceccoper. lib. 2. tit. 13. num. 3.*, & *Rot. dec. 708. num. 3. par. 2. Recent.* Idque certius reddi ex Bulla Benedictina Unionis Collegiatarum: nam per eam Archidiaconus, & Archipresbyter una cum cæteris Dignitatibus, & Canonicis eidem Capitulo, & Collegio tamquam præcipua, & individua membra aggregantur, omnibusque Capituli oneribus, ac honoribus donantur. Et revera una cum aliis tertiam partem ex reditibus Præbendarum in Massam distributionum contulerunt, & Capituli onerum, & honorum æquè semper participes fuerunt. Hinc nihil referre, quod utraque Dignitas particularem habeat dotem a massa communi distinctam, cum distincta dos nihil officiat constitutioni unius corporis, & juri collegiativo, nihilque impediat, quominus Canonici de gremio, & corpore ejusdem Capituli particularem habeant dotem, ac præbendam *Rot. dec. 154. num. 7. cor. Merlin.*

Ex facta idcirco collatione tertiæ partis redituum suarum Præbendarum in massam distributionum, quemadmodum contulerunt cæteri Capitulares, arguunt Archidiaconus, & Archipresbyter, ipsos ad æqualem ejusdem massæ participationem ad instar aliorum esse admittendos; quum distributiones sint mera stipendia personalia interessentibus in præmium laboris æqualiter dandæ, adeout si utraque Dignitas ad Ecclesiæ, Chorique servitium pari onere premitur, coæquali etiam remuneratione ex juris dispositione sit donanda *Card. de Luca disc. 16. num. 6. de Canon., & Dignit.*

Inquiunt, in id convenire quoque fundationum leges. Cautum enim fuit in fundatione Archidiaconatus, ut Archidia-

diaconi pro tempore ad instar aliorum Capitularium *debbano*, *e possano partecipare de' frutti delle distribuzioni*: hancque ipsam legem in decreto erectionis ab Episcopo probatam esse. In fundatione pariter Archipresbyteratus expresse conventum fuit, ut Archipresbyteri pro tempore *siano ammessi alla partecipazione delle quotidiane distribuzioni*. Utramque verò fundationem san. mem. Benedicto XIV. apprime notam, & perspectam expresse ab ipso confirmatam fuisse, statim ac præscripsit, ut *ad distributiones quotidianas etiam Archidiaconus, ut antea, & huc usque peractum fuit, admittatur*, itemque Archipresbyteratus dotem vix constitutam in annuis scutis 30., expressit in 24. ducatis, *computatis verò distributionibus quotidianis, aliisque incertis triginta ducatorum auri de Camera*, qui sane reditus longè excedit quantitatem fructuum a Fundatore assignatorum.

Injuria idcirco excipi vel de inadimplemento dictorum pactorum, vel de neglecta per Capitulum acceptatione. Nam Archidiaconus promissa scuta 150., Archipresbyter verò conventa scuta 200. solverunt, & utramque summam Capitulum exegit; unde constat, pacta omnia impleta fuisse, nihilque implendum superesse. Nec spectandam esse contributionem *nelle spese della Messa commune* promissam in præliminaribus tractatibus, statim ac in posteriori Instrumento fundationis, & erectionis, cui unicè adhærendum est, ab ea partes recesserunt, eamque spreverunt. Cæterum jus ad summum Capitulo esse posse cogendi utramque Dignitatem ad contributionem expensarum Missæ communis, non inde tamen ei fas esse pro suo arbitrio recedere a fundationum legibus per Fundatores præscriptis, ab Ordinario probatis, a san. mem. Benedicto XIV. confirmatis, & diutina observantia munitis. Accedente præsertim sollemni judicio Sacræ hujus Congregationis, quæ anno 1761. Archidiaconum ad æqualem distributionum participationem admisit, ipsique etiam restituendas mandavit, quæ præcedentibus annis solutæ non fuerant, ut in *Imolen. Distributionum* 30. *Maji*, & 29. *Aug.* 1761. *ad I. II. III. Dub.*

Id demum cautum expresse esse in Bulla Unionis. Post demandatam enim tam Archidiacono, & Archipresbytero, quam cæteris Dignitatibus, & Capitularibus collationem tertiæ partis in usum distributionum præscriptum fuisse, ut eæ inter omnes *juxta illorum*, & *cujuslibet illorum interessentiam proportionabiliter* dividantur. Ex clara itaque littera non juxta mensuram ratæ collatæ, sed tantum *juxta interessentiam proportionabiliter* dividendas esse, nempe juxta majus, minusque servitium. Sustinent enim Archidiaconus, & Archipresbyter, verbum *proportionabiliter* ad solam interessentiam, cui immediatè cohæret, referendam unicè esse: Reque vera idem verbum, bis in Bulla Unionis usurpatum, numquam indicare inæqualitatem, sed tantum æqua-

æqualitatem divisionis faciendam inter omnes de gremio Canonicorum, & alios de classe Mansionariorum. Male vero idem verbum adhibitum a *Concilio Tridentino sess. 21. cap. 3. de Refor.* interpretari, quoties de sola propositione interessentiæ intelligendum est *Monet. de distribut. quotid. par. 2. quæst. 4. num. 5. vers. Licet*, *Garzias par. 3. cap. 2. num. 59.*, *Pignatell. tom. 9. consult. 134. num. 27.*. Cæterum addunt, Dignitates conferendo tertiam partem fructuum Præbendarum, quas de proprio fundarunt, & dotarunt, ultra alios sumptus in egregia summa pro Ecclesiæ, & Capituli decore subministratos, plus contulisse, quam cæteros Canonicos, qui nihil de proprio contulerunt, & quorum portio collata tertiam redituum partem non excedit.

Ad II. inquiunt, suas Dignitates ex Bulla Unionis tamquam præcipua, & indivisibilia Capituli membra teneri ad ferenda omnia onera Missarum, & legatorum, prout revera usque nunc omnia onera æqualiter tulerunt: nihil ideo æquitati, ac justitiæ magis convenire, quam ut onera ferentes æqualiter lucra recipiant *Card. de Luca de Can. disc. 37. num. 2.*, *Scarfant. ad Ceccoper tom. 2. decis. 28. num. 18.* Advertunt itidem, stipendium dictarum Missarum, ac legatorum detrahi ex massa communi per modum antipartis, antequam fiat divisio 64. portionum, atque ita eo minorem reddi distributionum quantitatem, quo major est summa onerum, & expensarum per Capitulum ab integra massa detractarum, qua de re ad participationem dictorum stipendiorum esse admittendas etiam Dignitates, ut sic de eo, quod amittunt in distributionibus quotidianis, congruam recipiant compensationem.

Nec absurdum esse, ut hæ dignitates noviter constitutæ admittantur etiam ad participationem legatorum, & Missarum antiquioribus Collegiatis inhærentium. Nam inprimis novi Canonici non aliter excluduntur a participatione antiquorum legatorum, nisi in limine acceptationis expresse fuerint exclusi *Card. de Luca de Canon. disc. 6. num. 13.*. Ulterius rem hic non esse de Capitulo, in quo adsit distincta classis Canonicorum *primæ*, *& secundæ* erectionis, sed suppressis, ac extinctis antiquis Collegiatis novam ex integro contitutam fuisse, in cujus erectione recensetur dignitas Archidiaconatus, & Archipresbyteratus: nullum hinc concipi posse legatum, quod ad antiquas Communias, seu Collegiatas extinctas pertineat, ac proinde Capitulares omnes in actu erectionis novæ Collegiatæ constitutos, æqualiter ad omnia legata admittendos esse.

Ad III. advertunt, unicam massam communem esse Capitularibus, & ex hac detrahi stipendia Missarum, & legatorum, nec non ratam distributionum. Qua de re jus vocis activæ, & passivæ in concernentibus massam Capitu-

la-

larem suis dignitatibus quoque competere, quæ jus habent percipiendi distributiones, stipendia Missarum, & legatorum, & invigilandi, ne indebitæ fiant detractiones a dicta massa in præjudicium distributionum. Accedere solemnem confessionem Capituli in præterita propositione emissam, nec non perennem observantiam, juxta quam in omnibus actis Capitularibus ambæ dignitates vocem exercuerunt. Nec obesse quod Capitulum se non ingerat in iis, quæ respiciunt Præbendam dictarum dignitatum. Præbenda enim quoad Archidiaconum constituta est in certa annua summa scut.40., & quoad Archipresbyterum in annuis scutis 33., unde portio in distributionum usum conferenda semper certa, & invariabilis est; ac proinde nihil Capituli interesse, num eædem Præbendæ recte, vel minus rectè administrentur: Contra vero maxime suarum dignitatum interesse, vocem habere in iis, quæ respiciunt massam Capitularem, ut stipendia Missarum, legatorumque præstentur, & indebitis detractionibus non minuatur. Unde licet Capitulum arceatur a voce circa Præbendas Dignitatum, non ob id Dignitates excludendas esse a voce in iis, quæ respiciunt Massam Capitularem.

Ad IV. ajunt, jus nominandi ad Beneficium simplex S.Francisci de Paula olim competens Communiæ Ecclesiæ S.Mariæ, modo spectare ad Capitulum novæ Collegiatæ SS. Petronii, & Prosperi, in quam omnia illius jura coaluerunt. Archidiacono propterea, & Archipresbitero, uti membris ejusdèm Capituli, vocem activam, & passivam competère in dicta nominatione, cum ipsi licet exclusi a participatione massæ communis, admittentur ad jura, honores, & prerogativas dicti Capituli. Delendam ideo esse electionem Canonìci Verlicchi clanculum factam sine interventu Archidiaconi, & Archipresbiteri, quia ille licet absens facile evocari poterat, is vero licet suspensus ab Officio, non erat suspensus a juribus Capitularibus. Addunt, spretum quoque fuisse Canonicum Cavanti, nec per diem ante nunciatam fuisse Capitularibus electionem, prout Constitutiones sub pæna nullitatis præscribunt.

Hinc ad V. concludunt, relaxandas esse supplicationes Antonii Brignani tum ob apertam nullitatem dictæ electionis ex causa contemptus Capitularium, & non servatæ Constitutionum formæ, tum quia cum Beneficii vacatio secuta fuerit mense Maii anni 1770., collatio ejusdem tamquam Jurispatronatus Ecclesiastici ad Sanctam Sedem privative spectet, spreta penitus forma nominationis, & extractionis a Fundatore præscripta, cum hæc non comprehendat vacationes in mensibus reservatis, sed intelligenda sit de vacatione, quæ accidit in mensibus Ordinarii *Rot. coram Molin. dec.* 180. *num.*13., *& in Barchinonen. Beneficii* 3. *Junii*

nii 1720. §. *Ne itaque coram Cerro*. Exequibilem vero non esse gratiam pro presentato per Canonicum Verlicchi obtentam, cum hæc aperto ob., & subreptionis vitio laboret, tum quia suppositum fuit, etiam in mensibus reservatis locum esse extractioni, tum quia narratæ non fuerunt nullitates ob contemptum Capitularium, & ob non servatam formam Constitutionum.

Contra vero Capitulum ad I. inquit, utramque Dignitatem Archidiaconatus, & Archipresbyteratus propriam a massa communi omnino distinctam, & ex laicalibus bonis conflatam habere præbendam, de qua cæteri Capitulares nec in minimo participant: Ipsarum proinde Possessores contentos esse debere propria Præbenda; & nonnisi injuria ad alios Capitularium reditus adspirare; Admittit, posse quidem Dignitates juxta quantitatem e propria Præbenda in massam distributionum collatam de distributionibus participare, non vero eis fas esse participare de distributionibus obvenientibus ex portione ab aliis Capitularibus collata. Idque plane consonum esse Benedictinæ Constitutioni, quæ massam distributionum inter omnes interessentes *proportionabiliter* dividi mandavit: hoc enim verbum *proportionabiliter* aperte suadere Geometricam proportionem, ita ut plus, minusque quisque participet, prout plus, vel minus in massam distributionum contulit, idque tum ex juris communis dispositione *leg. 6.*, *& leg. 29. ff. pro socio*, tum ex Concilii Tridentini sanctione in *Seff. 21. cap. 3. de Ref.* ubi idem verbum *proportionabiliter* circa distributionum divisionem usurpatum de eadem geometrica distributione intelligendum esse tradit *Galemart. ad d. Conc. cap. 3. num. 8.*, *Barbos. ad idem Conc. seff. 21. cap. 3. n. 18.*, *Moneta de distrib. part. 2. quæst. 4. num. 5.*, *& Pignat. consult. can. 134. n. 25. tom. 1.*

Perperam vero recurri ad leges fundationum. In his enim non quidem precise, & pure admissi fuerunt Archidiaconus, & Archipresbyter ad distributionum participationem, sed sub expressa conditione quatenus conferrent *nelle spese di Massa commune*. Hoc vero conditionale pactum defecisse ob neglectam contributionem in communem Massam. Hinc in Bulla Clementina tantum Archidiacono assignari reditus ex laicalibus bonis ipsi constitutis, & integram Massam communem aliis Capitularibus privative assignari, omnesque hujus Massæ expensas aliis tantum Capitularibus, non comprehenso Archidiacono, imputari. Nec obesse quod Archidiaconus scuta 150., & Archipresbiter scuta 200. exsolverint pro erectione Collegiatæ. Cum enim res esset de Collegiata erigenda, de dignitatis titulo acquirendo, & de Cappæ magnæ insignibus obtinendis, jure etiam dictæ dignitates præcipuum honorem assequentes concurrere ad expensas erectionis debuerunt, at non inde impleta censeri potest conditio *di concorrere nelle spese di*

Massa commune, inter quas eæ recensendæ sunt, quæ dietim ad Ecclesiæ, Sacrariique servitium, ad culturam bonorum, & ad alia similia fieri ex massa communi debent.

Extraneam vero esse resolutionem Sacræ Congregationis anni 1761. Hoc siquidem anno nondum Capitulum ad præfixum nnmerum redactum fuerat, ac proinde Benedictina forma nondum executionem obtinuerat. Modo vero quum jam secuta sit reductio Capituli, Benedictinæ Constitutionis forma, & methodus sit servanda, juxta quam distributiones nonnisi proportionabiliter inter interessentes sunt dividendæ, habita dumtaxat proportione ad quantitatem a singulis in Massam positam: idque convenire tum Concilii Tridentini sanctioni, juxta quam ad ratam factæ Collationis quisque percipere debet, tum justitiæ, & æquitati, ne dictæ Dignitates minimam portionem in Massam conferentes eamdem recipiant partem, quam Præpositus, Prior, & Canonici longe majorem partem conferentes, tum demum ne data diversa interpretatione sequatur illud maximum absurdum, ut æque Præpositus, Prior, Canonici, & Mansionarii ad distributionum participationem admittantur.

Ad II. advertit, communiam suppressarum Collegiatarum conflatam fuisse ex legatis, aliisque piis relictis: ex utriusque autem communiis constitutam fuisse massam communem novæ Collegiatæ cum onere implendi omnia, & singula onera legatorum piorum. Hinc cum in Bulla Benedictina expresse Archidiaconus, & Archipresbiter exclusi sint a massæ communis participatione, quæ tantum inter alios Capitulares dividenda est, apertum reddi, nulla participatione legatorum dictas dignitates donandas fore. Nec momenti esse, quod sint de gremio Capituli, & unicum corpus constituant. Quoties enim a sa. mem. Benedicto XIV. expresse exclusæ fuerunt a massa communi, licet de gremio Capituli constitutæ, nil magis absurdum esset, quam ut ad ea emolumenta admittantur, a quibus litteraliter exclusæ fuerunt.

Cæterum novum non esse, ut dignitates, & Canonicatus noviter erecti, licet unum corpus constituentes, arceantur ab emolumentis antiquorum legatorum, imo id juris dispositioni consonum esse *Card. de Luc. de Canon. disc. 6. num.* 13. Potissimum quia non modo quæstio est de distributione Candelarum, aliorumque emolumentorum, quæ occasione funerum ab hæredibus defuncti præstantur, sed de legatis infixis, & incorporatis massæ communi privative inter cæteros capitulares repartiendæ. Nec obesse, quod ex Bulla Benedictina etiam dictæ Dignitates ad onus Missæ conventualis, aliarumque Missarum teneantur. Onus enim Missæ Conventualis singulos afficit de corpore Ca-

Capituli, licet de massa communi non partecipantes. Onus vero aliarum Missarum ad eas tantum referendum est, quæ certis diebus post conventualem celebrandæ sunt juxta Missalis Rubricas Generales *cap.3.* in feriis *quadragesimæ*, *quatuor temporum*, *Rogationum*, *& vigiliarum*.

Hinc ad III. concludit, quod sicuti dictæ Dignitates propriam habent Præbendam penitus distinctam a Massa communi, de qua participare nequeunt, ita nec ullam vocem activam, vel passivam exercere valeant in iis, quæ respiciunt dictam Missam communem Sac. Congr. in *Alatrina Canonicatus* 8. *Febr.* 1727., & in *Eugubina erectionis Canonicatus* 26. *Martii* 1763., in *Tolentina Archipresbiteratus* 1. *Febr.* 1766.. Injuria vero opponi contrariam observantiam; Quum ea non constituatur ex unico actu nominationis puellæ ad subsidium dotale relictum a Dominico Facchini; nam is unicus actus penitus ineptus est ad legitimam observantiam inducendam, quia unicus est *Rot. in Primislien. Prepositura* 27. *Febr.* 1760. *§.* 12. *coram Ratta*, & quia Capitulum emissa solemni protestatione jura sua intacta servavit.

Ad IV. contendit, inanes prorsus esse nullitates impictas extractioni Can. Verlicchi. Rem esse de simplici Beneficio, legemque extractionis a fundatore præscriptam probatam fuisse ab Episcopo in decreto erectionis, nec ullo jure improbari, quominus electio per sortes expleatur *Piton. de contr. patron. alleg.*100. *num.* 24., *Fargn. de Iurep. part.* 2. *num.*5., *& Rot. coram Falcon. de Iurep. dec.*39. *num.*8. Non recte vero conqueri dictas Dignitates, quod vocatæ non fuerint in illius nominatione: quum a fundatore jus nominandi relictum fuerit participantibus Communiæ *S.Mariæ*; Quare cum dictæ Dignitates exclusæ sint a massa communi, in quam dicta Communia coaluit, nullo jure vocari debuerunt, nec possunt in illius nominatione se miscere.

Unde ad V. arguit, rejiciendam esse impetrationem a Sacerdote Brignani factam sub ea falsa causa, quod vetita esset extractio sub pæna nullitatis, semelac in casu a jure non improbatur, imo licita, & valida est. Potiori item jure rejciendam alteram impetrationem eiusdem Sacerdotis Brignani inixam reservationi Sedis Apostolicæ ob vacationem in mense reservato. Hæc enim reservatio id quidem efficit, ut beneficia in mensibus reservatis a Sum. Pontifice conferantur, prout revera collatio d. Beneficii per Canonicum Verlicchi a S. Sede fuit obtenta, at non excludit formam electionis a Fundatore præscriptam, nec derogat fundationis legibus *Rot. cor. Caprar. dec.*575. *n.*10.

Quæstio omnis ab interpretatione Bullæ Unionis pendet, in qua Benedictus XIV. statuit *quod secuta numeri reductione bujusmodi fructuum Præpositura, Prioratus, Archidiaconatus*,

& Archipresbyteratus tertia pars, duodecim vero Canonicorum, totidemque Præbendarum, & octo Mansionariorum hujusmodi medietas in usum distributionum quotidianarum inter eosdem futuros Præpositum, Priorem, Archidiaconum, Archipresbyterum, & duodecim Canonicos, ac octo Mansionariatus prædictis pro tempore existentes, & Horis Canonicis, aliisque Divinis Officiis præfatos in dicta Ecclesia SS. Petronii, & Prosperi provisionaliter interessentes juxta illorum, & cujuslibet illorum interessentium proportionabiliter dividendarum convertantur.

Datis Episcopo litteris; ut pro dub. II. dilucidatione referret I. *Num Missarum, & legatorum emolumenta proveniant ex massa distributionum, aut ex aliqua particulari massa detrahantur.* II. *An ea emolumenta inter præsentes tantum, & qua proportione partiri consueverint.* III. *A quibus Missarum, & legatorum onera impleantur, & an omnes de Capitulo comprehensis Archidiacono, & Archipresbytero illorum satisfactioni intersint:* Ad I. responsum dedit, emolumenta Missarum, & legatorum non ex Massa distributionum, aut ex aliqua alia particulari, sed ex unica Massa Capitulari detrahi, Ad II., & III. Missas lectas inter omnes participantes, exclusis Archidiacono, & Archipresbytero dividi, nulla habita ratione ad interessentiam in Choro; emolumenta vero Anniversariorum, & associationis Sanctissimi Sacramenti iis exclusis dividi tantum inter Capitulares præsentes; admissos vero fuisse Archidiaconum, & Archipresbyterum ad emolumenta extraordinaria, quæ Capitulo obveniunt, occasione alicujus festivitatis extra propriam Ecclesiam, ut latius ex Episcopi relatione, quæ inter causæ monumenta habetur.

Judicium hinc Emorum PP. exposcitur ad Dubia, quæ subjiciuntur.

I. *An, & quomodo, & in qua quantitate Archidiaconus, & Archipresbyter Collegiatæ SS. Petronii, & Prosperi participare debeant de distributionibus quotidianis in casu &c.*

II. *An, & de quibus emolumentis Missarum, aliorumque legatorum participare etiam debeant Archidiaconus, & Archipresbyter in casu &c.*

III. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

IV. *An extractio Canonici Verlicchi ad Beneficium simplex S. Francisci de Paula facta exclusis Archidiacono, & Archipresbytero, sit valida, vel potius nulla, in casu &c.*

V. *An supplicationes signatæ, & præsentatæ favore Sacerdotis Brignani sint relaxandæ in casu &c.*

CA-

CAMERINEN. In Ecclesia Divæ Catharinæ Virginis, & Martyris Oppidi S. Ginnesii erectum est simplex Beneficium, cujus pro tempore Rectores non aliud subierunt onus, quàm celebrandi festum ejusdem Sanctæ Titularis, prout semper adimplevit Canonicus Basilius Petrelli, qui ab annis viginti tribus dictum Beneficium possidet. Nuper autem habita notitia, quod in quadam perantiqua Pastorali visitatione mentio habetur de alio onere duarum Missarum quolibet mense eidem Beneficio adnexo, stimulis conscientiæ perculsus dictus Canonicùs Petrelli supplicat ab EE. VV. declarari, quæ onera sint ab eo in posterum adimplenda. *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Interesse habentes ab Episcopo requisiti, nihil certi affirmare posse responderunt, libentique animo Sacræ Congregationis judicio acquiescent. Episcopus verò testatur, nullum extare monumentum fundationis Beneficii, de quo tantùm meminit Pastoralis visitatio gesta in Oppido S. Ginnesii anno 1624., quæque descripta reperitur in libro Actorum Episcopalium dicti anni *fol.* 411. *ter.* Inter cætera autem hæc asserit adnotata reperiri = *Die* 28. *Junii* 1624. *supradictus D. Julius Salioppi Rector præfatæ Ecclesiæ* (scilicet Sanctæ Catharinæ) *& Beneficii simplicis sine cura S. Catharinæ de Jurepatronatus Laicorum assignavit Illustrissimo, & Reverendissimo D. Episcopo Camerinen. in actu Visitationis de ea factæ recipere annuatim de fructibus bonorum stabilium dictæ Ecclesiæ & Beneficii scuta 25. monetæ circiter, & habere obligationem celebrandi duas Missas quolibet mense, nec non facere, & celebrare festivitatem in die S. Catharinæ 25. Novembris quolibet anno.*

Addidit, in quodam perantiquo, & undique corroso Inventario Bonorum, & redituum dicti Beneficii anno 1675. exarato, hæc de illius oneribus adnotata reperiri = *l'obbligo del sudetto Benefizio è di fare la sua festa, e si pagano baj. 70. per spoglie, e mensa Episcopale.* Fatetur tamen, rem esse admodum implexam, nec tutum proferri a se posse judicium, quod proinde ab EE. VV. expectat.

Deficit fundatio, aliaque monumenta deficiunt, ex quibus onera Beneficii deprehendi valeant. Habenda præ oculis sunt acta visitationis anni 1624., quibus Beneficii reditus recensentur in annuis scutis 25., & onus exprimitur celebrationis Festivitatis S. Catharinæ, & duarum Missarum quolibet mense. Nec tamen prætereundum est quidquid de hujusmodi Beneficio transcriptum reperitur in Inventario anni 1675.

Ponderandum, an Oratori prodesse valeat consuetudo celebrandi tantùm festivitatem S. Catharinæ. Quatenus verò ad celebrationem quoque duarum Missarum singulis mensibus illum teneri existimaverint, dijudicandum, qua ratio-

tione quoad præteritum consulendum sit Oratori, qui bona fide ab illarum satisfactione abstinuit.

Hisce perpensis Emi PP. dignabuntur definire.

I. *An Rector Beneficii S. Catharinæ ultra festum ejusdem S. Titularis teneatur ad celebrationem duarum Missarum quolibet mense in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo quoad præteritum sit providendum in casu &c.*

Di-

Die Sabbathi 3. Aprilis 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Binæ in præsenti folio adjiciuntur Causæ aliis septem, quæ ex præcedenti Congregatione indecisæ superfuerunt. Vestrum erit Emi PP. ad singula, quæ proponuntur dubia, sapientissimum dare responsum.

EUGUBINA JURISDICTIONIS.

I. *An electio, & deputatio Vicariorum Curatorum in Ecclesiis Parochialibus nuncupat. S. Benedicti Veteris, S. Crucis de Morena, & S. Petri de Salia pertineat ad Eminentissimum Protectorem Ecclesiæ Sanctæ Agnetis in Platea Agonali de Urbe, sive potiùs ad Reverendissimum Episcopum Eugubinum, in casu &c.* Sess. 24. cap. 18. de Reform.

II. *An iidem Vicarii in dictis Ecclesiis deputati debeant esse perpetui, sivè potiùs amovibiles ad nutum eos eligentis, in casu &c.*

III. *An Vicarii electi ab Eminentissimo Protectore examinari, & approbari debeant ab Examinatoribus Synodalibus Curiæ Episcopalis Eugubinæ, sivè potiùs admittendi sint ad exercitium Curæ Animarum, statim ac habiti fuerint idonei a præfato Eminentissimo Protectore, independenter a prædicto examine, in casu &c.*

IV. *An Vicarii electi ut supra ab Eminentissimo Protectore confirmari, & approbari debeant a Reverendissimo Episcopo Eugubino, ante exercitium Curæ Animarum, sive potius suscipere possint exercitium Curæ independenter a qualibet confirmatione, & approbatione dicti Reverendissimi Episcopi, in casu &c.*

V. *An præfatus Eminentissimus Protector possit in vacationibus dictarum Ecclesiarum Parochialium deputare provisionaliter Æconomos sibi magis benevisos independenter omninò ab Episcopo Eugubino, sive potius dicta provisionalis deputatio spectet ad Reverendissimum Episcopum Eugubinum, in casu &c.*

VI. *An hujusmodi Æconomi provisionaliter deputati ab Eminentissimo Protectore ut supra confirmari, & approbari debeant a Reverendissimo Episcopo Eugubino, sivè potius debeant admitti*

ad

ad provisionalem Curam Animarum independenter omnino a qualibet confirmatione, & approbatione dicti Rmi Episcopi, in casu &c.

VII. An Æconomi in ultimis vacationibus ab eodem Emo Protectore independenter ab Episcopo Eugubino deputati, sint removendi, sive potius manutenendi, in casu &c.

Sess. 24. cap. 1. de Reform.

SENOGALLIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM.

An sit locus assignationi Subsidiorum Dotalium, seu potius sustineantur assignationes factæ a quondam Antonio Lombardi, in casu &c.

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

CALAGURITANA MISSÆ PRO POPULO.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum pro Populo, in casu &c.

Sess. 22. cap. 5. de Reform.

ARIMINEN. REDUCTIONIS.

I. An, & quomodo sit locus reductioni onerum præscriptorum in testamento Petri Ciucci in casu &c.

II. An pro expensis hujus litis, & pecuniis solutis pro compositione, erogandi sint fructus intereà decursi, & inposterum decurrendi ex duabus domunculis, seu potius Confraternitas teneatur de propriis Capitalibus, & fructibus supplere, in casu &c.

SEDUNEN. ANNIVERSARIORUM. *Seff.25. cap.5. de Reform.*
An, & quomodo peragenda sint Anniversaria, in casu &c.

IMOLEN. DISTRIBUTIONUM. *Seff.21. cap.3. de Reformat.*

I. *An, & quomodo, & in qua quantitate Archidiaconus, & Archipresbiter Collegiatæ SS. Petronii, & Prosperi participare debeant de distributionibus quotidianis in casu &c.*

II. *An, & de quibus emolumentis Missarum, aliorumque legatorum participare etiam debeant Archidiaconus, & Archipresbyter in casu &c.*

III. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

IV. *An extractio Canonici Verlicchi ad Beneficium simplex S. Francisci de Paula facta exclusis Archidiacono, & Archipresbytero, sit valida, vel potius nulla in casu &c.*

V. *An supplicationes signatæ, & præsentatæ favore Sacerdotis Brignani sint relaxandæ in casu &c.*

CAMERINEN.

I. *An Rector Beneficii S. Catharinæ ultra festum ejusdem Sanctæ Titularis teneatur ad celebrationem duarum Missarum quolibet mense, in casu &c.* *Sess.25. cap.5. de Refoem.*

Et quatenus affirmativè

II. *An, & quomodo quoad præteritum sit providendum, in casu &c.*

FAVENTINA FUNCTIONUM. Intra limites Ecclesiæ Parochialis *S. Jacobi de Pinna* Civitatis Faventinæ sita est Ecclesia Sodalium *Tertiariorum S. Antonii Patavini*, quæ licet diù sub spirituali regimine Patrum Reformatorum de Observantia fuerit, modo tamen proprium sibi *Sess. 25. cap.4. de Reform.*

 ele-

elegit Sæcularem Sacerdotem in Capellanum pro sacris functionibus peragendis. Exortis autem inter dictum Parochum, & Capellanum variis quæstionibus, Episcopus in Sacra Visitatione anni 1770. decrevit = *jus competere dicto Parocho S. Jacobi I. Functiones Funerales peragendi in Ecclesia dictorum Tertiariorum, licet cadavera ibi tumulanda sint extra ipsam Parochiam S. Jacobi, & ceram, in quantitate tamen debita juxta leges, & mores hujus Civitatis, percipiendi. II. Et populo cum Augustissimo Sacramento occasione quadraginta horarum benedicendi. III. tandem Missam cum Diacono, & Subdiacono in solemniis, quæ in ejusdem Confraternitatis Ecclesia fieri solent celebrandi, ibique juxta consuetudinem receptam in hac ipsa Civitate alias Parochiales functiones etiam ad Sacramentorum administrationem exercendi, omni Confratrum Tertiariorum contradictione remota, & penitus rejecto quoad funeralia ipsorum Tertiariorum Capellano, qui supradicto tantum Parocho permittente benedictionem, & Missam uti supra peragere queat.*

Reclamantibus autem Confratribus quæstio omnis delata est ad hanc Sacram Congregationem, singulaque ejusdem Decreti capita variis distincta dubiis modo expendenda proponuntur.

Ad I. Sodalitium inquit, sibi jus esse ex Indulto Apostolico in qualibet Feria III., & etiam per novem dies ante Festum S. Antonii Patavini exponere Sanctissimam Eucharistiam: Indultum autem hoc consensu Episcopi, & approbatione munitum reperiri: unde indubii juris esse, licere Capellano occasione dictæ expositionis Populo benedicere, cum hæc Benedictio non sit de juribus Parochialibus *Monacell. in Form. tit.10. formul.17. num.4.*, *& Card. de Luca de Paroch. disc.31.num.6.*

Hinc ad II. arguit, eidem Capellano quoque licere Populo benedicere occasione expositionis quadraginta horarum, cum etiam in hoc casu dicta Benedictio non sit de juribus Parochialibus.

Ad III. advertit, celebrationem Missæ solemnis in festo titularis Ecclesiæ, & in aliis festivitatibus Instituti Societatis, nec non in Anniversariis Defunctorum inter functiones Parochiales non comprehendi, sed esse functiones merè Sacerdotales *Rota coram Molin. decis. 990. num. 90.*, recte proinde dictam Missam solemnem celebrari posse a Capellano Societatis, vel ab alio Sacerdote a Confratribus eligendo, quin Parochus contradicere, vel se immiscere queat.

Ad IV. ait, permissum cuique esse in benevisa Ecclesia sepulturam eligere, & in casu electionis alteriùs Ecclesiæ unice Parocho Quartam Funeralem deberi *Cap. Relatum, Cap. Cum semper, & Cap. Nostra 10. de Sepult.*. Parochum ideo *S. Jacobi* nil aliud ultra Quartam Funeralem prætendere posse. Idque ipsum semper in usu fuisse, cum dempta

pta quarta, omnis alia ceræ portio ad Ecclesiam Confratrum integrè pertineat.

Ad V. asserit, inter functiones Parochiales recenseri quidem associationem cadaveris usque ad Ecclesiam tumulantem, sed postquam cadaver ad Ecclesiam delatum est, nullum jus Parocho competere faciendi officium, vel alias funebres functiones super eo peragendi *Card. de Luca de Paroch. disc.* 31. *num.* 7., & *Rot. coram Coccin. dec.* 2089. *n.* 22.. Unde functiones funebres in Ecclesia Confratrum non a Parocho, sed a Capellano explendas esse. Potissimum quia modo tantum quęstio est de funere decedentium extra Parochiam *S. Jacobi*, & non subjectorum eidem Parocho, adeo ut cesset omnis ratio, ob quam ullum jurisdictionis actum idem Parochus exercere queat.

Demum ad VI. inquit, maximum esse Populi concursum in Feria III. ad Ecclesiam Confratrum ob vigentem devotionem erga Divum Antonium Patavinum, ubi utriusque sexus fideles Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ pro indulgentiis lucrandis recipiunt, & Societas ultra proprium Capellanum, alios Sacerdotes vocare solet ad Confessiones excipiendas, nec non Sacramentum Eucharistiæ ministrandum, quod tota mane *Feriæ tertiæ* ibi ea de causa asservatur. Ita porro per plura sæcula, nempe ab anno 1494. usque ad hanc diem servatum jugiter fuisse. Injuria ideo modo Parochum urgere contra tam antiquam, & immemorabilem observantiam, vi cujus quodlibet indultum Apostolicum præsumi potest *Constantin. vot. decis.* 300. *n.* 4.. Potissimum quia res est de consuetudine, quæ tendit in majorem Dei cultum, quæque est fidelibus incitamento ad Sacramenta frequentanda, & ad alia pietatis opera exercenda.

Præfixo jam termino Parocho *S. Jacobi* ad jura sua deducenda, is licet diu expectatus, nihil hactenus deduxit.

Variæ sunt functionum species juxta generalia decreta Sac. Rituum Congregationis edita *anno* 1703. Aliæ enim sunt functiones de jure mere parochiali, quæ privativè ad Parochum spectant, ita ut eo invito ab aliis Sacerdotibus exerceri nequeant. Aliæ licet de juribus mere Parochialibus non sint, & idcirco ab aliis quoque exerceri valeant, Parochis nihilominus maxime conveniunt, & ob id munera Parochialia appellantur, ut sunt Benedictiones Mulierum, Fontis Baptismalis, & hujus generis cætera. Aliæ demum sunt tantùm Ecclesiasticæ, quarum exercitium Capellanis permittitur in Capellis, & Oratoriis a Parochia sejunctis, licet ejus finibus comprehensis. Viden. *Bened. XIV. Instit.* 105. §. 6.

De Benedictione super populum occasione expositionis Sanctissimi Sacramenti in Ecclesiis Confraternitatum Sacra

Congregatio Rituum in dictis generalibus Decretis anni 1703. ad Dubium II. = *An expositio 40. Horarum, & Benedictio, quæ fit super populum, sit de juribus Parochialibus* = rescripsit = *Negativè*. & Sacra hæc Congregatio in una *Ferrarien. Jurium Parochialium 16. Maji 1705.* propositis Dub. I. *An Confraternitati Beatæ Mariæ Lauretanæ liceat exponere in Ecclesia sub invocatione S. Antonii Sanctissimum Sacramentum, cum sola licentia Episcopi, absque licentia Parochi*. II. *An hujusmodi expositiones, & Benedictiones expleri debeant a Parocho, vel ab aliis Sacerdotibus de ejus licentia*, responsum dedit = *Ad I. Affirmativè. Ad II. Negativè*; & in *Cassanen.* 11. *Julii* 1767., in qua proposito dub. IV. = *An, & quomodo liceat eidem Clero, & Presbyteris sine dicta licentia Parochi S. Juliani habere in eadem Ecclesia S. Mariæ Gratiarum expositionem 40. horarum cum Benedictione super populum*, rescripsit = *Affirmativè de licentia Episcopi, & amplius*.

Quo vero ad celebrationem Missarum solemnium S. Congreg. Rit. in dictis Decretis generalibus ad Dub. X. = *An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis, sive pro defunctis sit de juribus Parochialibus*, respondit = *Negative, prout jacet, sed licere Confratribus dumtaxat in Festivitatibus solemnioribus ejusdèm Ecclesiæ, vel Oratorii*; itemque Sacra hæc Congreg. in una *Thelesina Anniversarii, & Missæ solemnis 9. Februarii 1732.*, in qua propositis dubiis = *I. An celebratio Missæ solemnis pro defunctis cum Anniversario in Ecclesia S. Nicolai sita infra limites Parochialis S. Martini spectet ad Archipresbyterum, sive ad Capellanum dictæ Ecclesiæ. II. An celebratio Missæ solemnis cum primis, & secundis Vesperis in die Festo S. Nicolai spectet ad dictum Archipresbyterum, seu potius ad Capellanum dictæ Ecclesiæ independenter, & sine licentia Parochi*, respondit = *Ad utrumque Negativè quoad primam partem, & Affirmativè quoad secundam*; & in *Hortana Jurium Parochialium 9. Julii 1738.*, in qua disputato Dub. = *An in Ecclesiis Confraternitatum Suriani expleri possint functiones non Parochiales, & signanter celebrationis Missarum cum assistentia Diaconi, & Subdiaconi independenter a Parocho in solemnioribus earumdem Ecclesiarum Festivitatibus*, rescripsit = *Affirmativè*.

Eadem vero Sacra Congr. Rituum quoad tumulandos in Ecclesiis Confratrum legem quoque dixit in dictis Decretis Generalibus, ad Dub. XX. *An ad Parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in sæpedictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum*; ad quod rescripsit *Affirmative quando tumulandus est subditus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium*, quod etiam edixit Sac. hæc Congr. in una *Cassanen.* 11. *Julii* 1767., in qua cum quæsitum fuisset VI. = *An Clero, & Præsbyteris liceat facere officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in Ecclesia S. Mariæ*

Gra-

Gratiarum, seu potius spectet ad Parochum S. Juliani, respondit *affirmative ad primam partem quoad tumulandum non subjectum Parocho S. Juliani, negative quoad secundam*.

Si verò defunctus fuerit subditus Parocho, intra cujus Parochiæ fines sit Ecclesia Confraternitatis, ubi tumulari debeat, an in isto usu competat Parocho tota ceræ quantitas, vel solum quarta funeralis, disputatum alias fuit in una *Hortana Jurium Parochialium* 5. *Julii* 1738., in qua proposito = *An occasione tumulationis defunctorum in dictis Ecclesiis debeantur Parochis omnia intorticia, & cera, vel potius debeatur sola quarta funeralis*, rescripsit *servetur solitum ad formam Constitutionis Benedicti XIII.*

Indubii demum juris est, SS. Eucharistiæ Sacramentum asservari, & retineri non posse in Ecclesiis Confraternitatum absque speciali Indulto Sedis Apostolicæ, ut etiàm declaravit *Sac.Congr.Rit.in dictis Decret.general. ad Dub.*26. Inquirendum hinc, an idem indultum præsumendum sit in vim immemorabilis observantiæ, vel saltem cum non de continua retentione Sacramenti quæstio sit, sed tantum de brevi tempore, tota scilicet mane Feriæ tertiæ, sufficiat sola Episcopi licentia. Sacra Congregatio in una *Cassanen.* 12. *Aug.* 1747. proposito Dub IV. *An in Confratrum Ecclesia de sola licentia Episcopi, & per tempora ab ipso præfinita liceat publicæ venerationi exponere SSmum Sacramentum, illudque tamdiù in Tabernaculo retinere*, respondit *Affirmative, & Episcopus prudenter concedat*.

Dignentur itaque EE. Patres definire.

I. *An Capellano Confraternitatis Tertii Ordinis S. Antonii Patavini, vel alteri Sacerdoti a Confratribus pro libito destinando liceat benedicere populo occasione Expositionis SSmi Sacramenti, quæ fieri solet in Ecclesia ejusdem Confraternitatis in qualibet Feria 3., & per novem dies ante festum dicti Sancti in casu &c.*

II. *An eidem Capellano, vel alteri Sacerdoti per Confratres destinando liceat occasione expositionis* 40. *Hararum in repositione SSmæ Eucharistiæ benedicere populo in casu &c.*

III. *An dictus Capellanus, vel alius Sacerdos possit in die festo S. Antonii Patavini, & in aliis festivitatibus Instituti ejusdem Confraternitatis, prout etiam in Anniversario canere Missam solemnem independenter a Parocho in casu &c.*

IV. *An Parocho S. Jacobi ultra quartam funeralem debeatur alia portio ceræ quando Cadavera subditorum ejus Parochiæ tumulantur in Ecclesia dd. Confratrum in casu &c.*

V. *An idem* Parochus *habeat jus peragendi Funerales functiones in Ecclesia eorumdem Confratrum, quando Cadavera in ea tumulanda non sunt de illius Parochia, & an aliqua portio ceræ illi debeatur in casu &c.*

VI. *An liceat eisdem Confratribus in qualibet Feria* 3. *per totum mane*

mane illius diei asservare in Tabernaculo SSmam Eucharistiam ad effectum illam subministrandi Christi fidelibus in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

GADICEN. MISSARUM. In majori Ecclesia Gadicensi Capellaniam anno 1614. instituit Antonius Lopez, assignata dote in binis censibus annui reditus scut. 33. 50. pro celebratione tot Missarum, quot juxta rationem eleemosinæ regalium quatuor cum dimidio celebrari potuissent; designatisque nonnullis diebus, quibus aliquarum Missarum celebratio adimplenda foret, reliquas Capellanorum arbitrio celebrandas reliquit. Viri exemplum sequuta Maria Rodriguez Antonii Uxor Capellaniæ dotem adauxit, eique cessit aliquas Domos, ex quibus annua ducata 18. retrahebantur, ut hujusmodi quoque reditus erogaretur in Missarum celebrationem juxta eleemosinam jam a Viro præfinitam. Decursu temporis factum est, ut adaucto in Civitate Gadicensi Incolarum numero, Domorum etiam pensiones adauctæ fuerint, & ex Capellaniæ reditibus non solum eleemosina pro Missa quotidiana retrahatur in quantitate a dictis Antonio, & Maria coniugibus præscripta, sed insuper aliæ Missæ centum octoginta cum eadem Eleemosina quolibet anno celebrandæ supersint.

Animadvertens autem Sacerdos Franciscus Vargas hodiernus Capellaniæ possessor, Missas tantummodò 76. a suis prædecessoribus fuisse singulis annis celebratas, non satis hoc modo censuit eorumdem Coniugum menti adimpleri; Quaré Curiam Episcopalem Gadicensem adiit, petiitque, Missarum numerum in ea quantitate præfiniri, quæ tamen quotidianam celebrationem non excederet, cum præsumi non possit, gravius onus fuisse a dictis Coniugibus Capellano impositum. Verùm Promotor Fiscalis apertam opposuit Antonii Lopez, ejusque Coniugis voluntatem, ex qua existimavit certum, atque indubium esse, ut omnes omninò reditus in celebrationem Missarum cum præstituta ab

ipsis

ipsis eleemosina debeant erogari; hinc minimè suffragari, quod iidem reditus eam eleemosinæ quantitatem præseferrent, quæ quotidianam celebrationem excederet, cum in jure vetitum non sit, posse a Fundatoribus præter Missam quotidianam, alia quoque Missarum onera in fundatione Capellaniarum injungi, quoties majori ferendo oneri pares reditus comperiantur.

Interim verò Sacerdos Vargas preces Sac. Congregationi exhibuit, quibus definiri postulavit, nullum aliud onus, præter Missam quotidianam, ab ipso fore subendum. Episcopus de more requisitus a voto ferendo se abstinuit; unde sapientissimum EE. VV. hac de re judicium exquiritur.

In Instrumento fundationis Capellaniæ Antonius Lopez ita disposuit = *Fondo una Cappellania perpetua di Messe basse, ed ordino, voglio, e commando, che si celebrino quante Messe basse potranno entrare nella somma di trenta trè ducati, e mezzo di annua rendita, applicando per la limosina di ciascheduna Messa quattro reali, e mezzo, quali debbano percepire il Cappellano, ò Cappellani che le dovranno celebrare nella Chiesa maggiore di questa Città* = Huic Capellaniæ accessit donatio quarumdam domorum facta a Maria Rodriguez Antonii Coniuge, quæ jussit = *Che le dette Case, e tutto ciò, che le appartiene con quello, che fruttano, ò fruttassero per sempre, ed in perpetuo si percepisca interamente dalli Cappellani della medesima con l'obligo di celebrare le Messe, che comportassero alla ragione di quattro reali, e mezzo di limosina per ciascheduna.*

Adauctis reditibus pro celebratione Missarum destinatis, illarum numerum augeri debere plures censent Auctores, quos refert *Perez.de Lara de Anniversariis lib.*1.*cap.*15. *n.*18., ea ratione, quia sicuti imminutis reditibus Missarum numerus imminui debet, ita æquum sit, ut proportionabiliter etiam juxta redituum incrementum augeatur. Alii verò cum distinctione procedunt: Si enim augeantur reditus, quia fructus, qui retrahuntur cariori pretio vendi consueverint, aut quia ex aliqua alia causa crescant in quantitate, tunc Missarum numerum augendum esse putat *Tamburrin. opusc. de Sacrif. Miss. lib.*3. *cap.* 1. §.3. *num.* 29. *vers. Respondeo*. Quando verò reditus adaucti fuerint expensis, & industria Capellani, tunc Missarum quantitatem augeri non debere dixit *Cepoll. cons.*213.*num.*13., *Dec. in Auth. Qui rem num.*14. *Cod. de Sacros. Eccles.*, quia hoc augumentum cedere debet in commodum Capellani, non autem Fundatoris.

Quod si præcisivè a qualibet Capellani industria, & expensis reditus augeantur, & Missarum numerus a Testatore præfinitus non fuerit, in isto etiam casu tenet *Pasqualig. de Sacrif. Miss. quæst.* 1077. *num.* 5. locum esse augumento numeri Missarum, cum mens Testato-

ris

ris fuerit, ut totus proventus in celebrationem Missarum erogaretur, atque idcircò si augeatur, ipsi Testatori augeri debeat. Cum itaque in præsenti casu post expletam Capellaniæ fundationem ita reditus adaucti fuerint, ut unus Capellanus Missarum celebrationi per se adimplere juxta præscriptam eleemosinam non possit, videndum, an hujusmodi augumentum in suffragium supradictorum Coniugum, vel in commodum Capellani cedere debeat. Hinc definiendum erit.

An, & quomodo sit locus adimplemento oneris Missarum in casu &c.

Die Sabbathi 8. Maji 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

POstquam præfinita fuerat dies tertia preteriti mensis Aprilis pro habendo Eminentissimorum PP. Consessu, & distributum extiterat folium Causarum, quæ ea die definiendæ proponebantur, dilata fuit Congregatio, & ad hodiernam diem protracta resolutio dubiorum, quæ in eodem folio transcripta fuerant. Præstat idcircò illud modò resumere, & de causis in eo adnotatis sapientissimum proferre judicium.

EUGUBINA JURISDICTIONIS.

Quamvis Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Eugubinæ, cujus Postulator concordationi dubiorum in præsenti causa consenserat, sæpius postea pulsatus, ac requisitus fuerit, ut jura sua coram Sacra Congregatione deduceret, siluit nihilominus usque ad diem, quo causa descripta jam fuerat in folio, ejusque resolutio imminebat. Tunc autem plura Promotoris Defensor obtulit documenta, quæ nuper sibi transmissa asseruit, paratumque se præbuit libellum edere, si Causæ decisio, quæ pro die 3. elapsi mensis Aprilis præfinita extiterat, ad primam hanc Congregationem post Agnos dilata fuisset. Dilationem, quam tunc petere cogitabat, fortuitò obtinuit, nondum tamen libellum tradidit, quem forsan EE. VV. exhibebit. Superest itaque, ut libratis æqua lance juribus definire dignentur. *Sess. 24. cap. 18. de Reform.*

I. *An electio, & deputatio Vicariorum Curatorum in Ecclesiis Parochialibus nuncupat. S. Benedicti Veteris, S. Crucis de Morena, & S. Petri de Salia pertineat ad Eminentissimum Protectorem Ecclesiæ Sanctæ Agnetis in Platea Agonali de Urbe, sive potiùs ad Reverendissimum Episcopum Eugubinum, in casu &c.*

II. *An iidem Vicarii in dictis Ecclesiis deputati debeant esse perpetui, sivè potiùs amovibiles ad nutum eos eligentis, in casu &c.*

III. *An Vicarii electi ab Eminentissimo Protectore examinari, & approbari debeant ab Examinatoribus Synodalibus Curiæ Episcopalis Eugubinæ, sivè potiùs admittendi sint ad exercitium Curæ Animarum, statim ac habiti fuerint idonei a præfato Eminentissimo Protectore, independenter a prædicto examine, in casu &c.*

IV. *An Vicarii electi ut supra ab Eminentissimo Protectore confirmari, & approbari debeant a Reverendissimo Episcopo Eugubino, ante exercitium Curæ Animarum, sive potius suscipere possint exercitium Curæ independenter a qualibet confirmatione, & approbatione dicti Reverendissimi Episcopi, in casu &c.*

V. *An præfatus Eminentissimus Protector possit in vacationibus dictarum Ecclesiarum Parochialium deputare provisionaliter Æconomos sibi magis benevisos independenter omninò ab Episcopo Eugubino, sive potius dicta provisionalis deputatio spectet ad Reverendissimum Episcopum Eugubinum, in casu &c.*

VI. *An hujusmodi Æconomi provisionaliter deputati ab Eminentissimo Protectore ut supra confirmari, & approbari debeant a Reverendissimo Episcopo Eugubino, sivè potiùs debeant admitti ad provisionalem Curam Animarum independenter omninò a qualibet confirmatione, & approbatione dicti Rmi Episcopi, in casu &c.*

VII. *An Æconomi in ultimis vacationibus ab eodem Emo Protectore independenter ab Episcopo Eugubino deputati, sint removendi, sive potius manutenendi, in casu &c.*

Dilata.

SENOGALLIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM.

Sess. 24. cap. 1. de Reform.

An sit locus assignationi Subsidiorum Dotalium, seu potius sustineantur assignationes factæ a quondam Antonio Lombardi, in casu &c.

Dilata, & coadjuventur probationes juxta mentem, & scribatur Episcopo juxta instructionem, nempe, quod curet, ut pecuniæ dotales non distrahantur, sed fideliter deponantur, & quidquid ab Oratrice perceptum fuerit, refundatur.

CALAGURITANA MISSÆ PRO POPULO.

Sess. 23. cap. 1 de Reform.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum pro Populo, in casu &c.

Pro gratia reductionis ad unam Missam singulis diebus festis pro qualibet ex Ecclesiis Parochialibus Oppidi Encisi, nec non pro reductione ad unam Missam pariter diebus festis in aliis filialibus Ecclesiis per turnum celebrandam, collatis tamen suffragiis in unum pro toto Populo, & detracta eleemosyna ex massa communi, facto verbo cum Sanctissimo.

Sess. 22. cap. 5. de Reform.

ARIMINEN. REDUCTIONIS.

I. *An, & quomodo sit locus reductioni onerum præscriptorum in testamento Petri Ciucci in casu &c.*

II. *An pro expensis hujus litis, & pecuniis solutis pro compositione, erogandi sint fructus interea decursi, & inposterum decurrendi ex duabus domunculis, seu potius Confraternitas teneatur de propriis Capitalibus, & fructibus supplere, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè pro reductione Missarum ad rationem perpetuæ, & scribatur Episcopo juxta instructionem. Ad II. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam.

Sess. 5. 25. cap. de Reform.

SEDUNEN. ANNIVERSARIORUM.

An, & quomodo peragenda sint Anniversaria, in casu &c.

Quoad Anniversaria simpliciter relicta, & absque ulla designatione Missarum, peragenda esse cùm Officio Mortuorum, trium Nocturnorum, vel saltem unius Nocturni Missa cum cantu, & absolutione. Quo verò ad alia peragenda esse juxta formam à Testatoribus præscriptam.

Sess. 21. cap. 3. de Reformat.

IMOLEN. DISTRIBUTIONUM.

I. *An, & quomodo, & in qua quantitate Archidiaconus, & Archipresbiter Collegiatæ SS. Petronii, & Prosperi participare debeant de distributionibus quotidianis in casu &c.*

II. *An, & de quibus emolumentis Missarum, aliorumque legatorum*

rum participare etiam debeant Archidiaconus, & Archipresbyter in casu &c.

III. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

IV. *An extractio Canonici Verlicchi ad Beneficium simplex S. Francisci de Paula facta exclusis Archidiacono, & Archipresbytero, sit valida, vel potius nulla in casu &c.*

V. *An supplicationes signatæ, & præsentatæ favore Sacerdotis Brignani sint relaxandæ in casu &c.*

Ad I. Affirmativè, & participare debere juxta ratam, quam conferunt. Ad II. Affirmativè juxta votum Episcopi quoad legata præexistentia ante erectionem Collegiatæ. Ad III. In decisis, & ampliùs. Ad IV. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam. Ad V. Negativè.

CAMERINEN.

I. *An Rector Beneficii S. Catharinæ ultra festum ejusdem Sanctæ Titularis teneatur ad celebrationem duarum Missarum quolibet mense, in casu &c.* *Sess. 25. cap. 5. de Resoem.*

Et quatenus affirmativè

II. *An, & quomodo quoad præteritum sit providendum, in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

FAVENTINA FUNCTIONUM.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

I. *An Capellano Confraternitatis Tertii Ordinis S. Antonii Patavini, vel alteri Sacerdoti a Confratribus pro libito destinando liceat benedicere populo occasione Expositionis SSmi Sacramenti, quæ fieri solet in Ecclesia ejusdem Confraternitatis in qualibet Feria 3., & per novem dies ante festum dicti Sancti in casu &c.*

II. *An eidem Capellano, vel alteri Sacerdoti per Confratres destinando liceat occasione expositionis 40. Hararum in repositione SSmæ Eucharistiæ benedicere populo in casu &c.*

III. *An dictus Capellanus, vel alius Sacerdos possit in die festo S. Antonii Patavini, & in aliis festivitatibus Instituti ejusdem Confraternitatis, prout etiam in Anniversario canere Missam solemnem independenter a Parocho in casu &c.*

IV. *An Parocho S. Jacobi ultra quartam funeralem debeatur alia portio ceræ quando Cadavera subditorum ejus Parochiæ tumulantur in Ecclesia dd. Confratrum in casu &c.*

V. *Au*

V. *An idem Parochus habeat jus peragendi Funerales functiones in Ecclesia eorumdem Confratrum, quando Cadavera in ea tumulanda non sunt de illius Parochia, & an aliqua portio ceræ illi debeatur in casu &c.*

VI. *An liceat eisdem Confratribus in qualibet Feria 3. per totum mane illius diei asservare in Tabernaculo SS.mam Eucharistiam ad effectum illam subministrandi Christi fidelibus in casu &c.*

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

GADICEN. MISSARUM.

An, & quomodo sit locus adimplemento oneris Missarum in casu &c.

Supplices verò libellos EmiPP. ex præcedenti folio desument.

Dies

Die Sabbathi 12. Junii 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

NOn dedignentur Emi PP. folium resumere Congregationis habitæ die 8. præteriti mensis Maji, & tres ibidem postremo loco descriptas Causas, una cum aliis in hodierno folio relatis assueta maturitate definire.

CAMERINEN.

Sess. 25. cap. 18 de Reform.

I. *An Rector Beneficii S. Catharinæ ultra festum ejusdem Sanctæ Titularis teneatur ad celebrationem duarum Missarum quolibet mense, in casu &c.*

Et quatenus affirmativè

II. *An, & quomodo quoad præteritum sit providendum, in casu &c.*

Ad I. Negativè, Ad II. Provisum in primo.

FAVENTINA FUNCTIONUM.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

I. *An Capellano Confraternitatis Tertii Ordinis S. Antonii Patavini, vel alteri Sacerdoti a Confratribus pro libito destinando liceat benedicere Populo occasione Expositionis SSmi Sacramenti, quæ fieri solet in Ecclesia ejusdem Confraternitatis in qualibet Feria 3., & per novem dies ante festum dicti Sancti in casu &c.*

II. *An eidem Capellano, vel alteri Sacerdoti per Confratres destinando liceat occasione expositionis 40. Horarum in repositione SSmæ Eucharistiæ benedicere Populo in casu &c.*

III. *An dictus Capellanus, vel alius Sacerdos possit in die festo S. Antonii Patavini, & in aliis festivitatibus Instituti ejusdem Confraternitatis, prout etiam in Anniversario canere Missam sollemnem independenter a Parocho in casu &c.*

IV. *An Parocho S. Jacobi ultra quartam funeralem debeatur alia portio ceræ quando Cadavera subditorum ejus Parochiæ tumulantur in Ecclesia dd. Confratrum in casu &c.*

V. *An idem Parochus habeat jus peragendi Funerales functiones in Ecclesia eorumdem Confratrum, quando Cadavera in ea tumu-*

mu-

mulanda non sunt de illius Parochia, & an aliqua portio ceræ illi debeatur in casu &c.

VI. *An liceat eisdem Confratribus in qualibet Feria 3. per totum mane illius diei asservare in Tabernaculo SSmam Eucharistiam ad effectum illam subministrandi Christifidelibus in casu &c.*

Dilata.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

GADICEN. MISSARUM.

An, & quomodo sit locus adimplemento oneris Missarum in casu &c.

Celebrandas esse tot Missas, quot comportant fructus ad rationem regalium quatuor cum dimidio pro qualibet Missa,

Sess. 25. cap. 15. & 19. de Regular.

MEDIOLANEN. PROFESSIONIS. Postquam Petrus Antonius Mauri Regulare Institutum professus fuerat in Congregatione Barnabitarum, renuit nihilominus Sacris Ordinibus initiari, suamque professionem irritam declarari postulavit. Actum de nullitate primum fuit in Civitate Mediolani, ubi resistentibus illius Matre, & Fratribus, vario marte pugnatum est; nam Curia Archiepiscopalis pro validitate sententiam dixit, contra verò Delegatus a Superiore Regulari pro nullitate definivit. Devoluta Causa ad Sacram Congregationem non destitit Petrus Antonius sua jura proponere, & typis edere libellum, quo ex triplici capite suæ professionis nullitatem eruere conatus est, tum scilicet ex defectu interni consensus, tum etiam ob intermissum tyrocinii tempus, tum denique ob illud non completum: E'converso autem Professionis Defensor suas ex officio animadversiones, & cuilibet ex allatis causis oppositiones exhibuit; quibus insuper accessit alter libellus pro parte Matris, & Fratrum ejusdem Petri Antonii distributus, quo professionis validitas protuebatur.

In folio diei 29. Augusti 1772. fusius relatum est quidquid Petrus Antonius ad irritandam professionem in suo libello deduxerat, & expositæ etiam sunt animadversiones, quæ Professionis Defensor opposuerat. Verùm dum Causæ propositio imminebat, noluit idem Petrus Antonius libellum EE. PP. distribuere, totusque fuit in petenda tum dilatione, tum litteris compulsorialibus, nec non adsportatione ad Urbem cujusdam libri originalis, acta continentis Provincialis Barnabitarum Mediolani, sed in Congregatione diei 19. Septembris ejusdem anni 1772. perpensis juribus in

præ-

præcedenti folio relatis, propositoque dubio = *An constet de nullitate Professionis, in casu &c.* = responsum fuit = *Negativè*.

Tunc autem adversus hujusmodi resolutionem reclamavit Petrus Antonius, novamque audientiam obtinuit, & præmitta fuit secunda Congregatio post Ferias autumnales pro nova Causæ propositione, quæ tamen ipso non comparente, proponi non potuit. Interim verò facultatem a Summo Pontifice impetravit dimittendi habitum Religiosum, & transeundi ad statum Presbyteri sæcularis, *servatis substantialibus votorum suæ Professionis Religiosæ, donec discussa Causa juris ordine servato, aliter super eorum validitate, vel nullitate fuerit decisum*, & cum facultate, ut *causam nullitatis suæ Professionis prosequi licitè, ac validè queat, perindè ac si intra claustra degeret*, quemadmodum ipsemet narravit in protestatione, quam contra Matrem, & Fratres in actis emisit.

Hæc autem protestatio eo directa fuit, ut nova Causæ propositio protraheretur usque dum Petrus Antonius & pecunias, & nova documenta comparasset. Cum tamen alter ex illius Fratribus, qui ab anno, & ultra Romam venerat, ut contra eumdem Petrum Antonium causam ageret, inutile fore cognovisset urgere Causæ propositionem, nisi succumbentis jura primum Defensori Professionis, qui suas ederet animadversiones, deinde verò Sacræ Congregationi exhibita fuissent; diuturniori mora pertesus, supplicem Sanctissimo Domino Nostro porrexit libellum, quo præmissa rerum omnium, & circumstantiarum narratione, petiit, ut novus, sed peremptorius præfigeretur terminus eidem Petro Antonio ad jura sua deducenda, eoque elapso Causa ipso etiam contumace denuò proponeretur, & quatenus præcedens resolutio confirmata fuisset; pro absoluta haberetur; atque ex Audientia Sanctissimi diei 15. elapsi mensis Februarii sequens prodiit rescriptum = *Sanctissimus annuit pro præfixione termini arbitrio Emi Præfecti, quo elapso mandavit proponi Causam etiam unica*.

Ad tramites hujusce rescripti Fratres de Mauris citato Petro Antonio institerunt usque ab initio præteriti mensis Martii pro præfixione termini ad reproponendam Causam, eamque Eminentissimus Præfectus *mandavit reproponi in prima Congregatione post Agnos omninò, & infallanter etiam unica*. Dilata nihilominus est repropositio ad hodiernam diem, absque eo quod Petrus Antonius unquam comparuerit; Quare instantibus Fratribus de Mauris, ipsisque adhærens Professionis Defensor, dijudicandum erit

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 25. cap. 15. & 19. de Regular.

VALENTINA PROFESSIONIS. Decessit anno 1740. Philippus Lino de Castelui, Carleti Comes, naturali relicta filia, cui nomen Maria Francisca, quam quatriduo ante susceperat. Quinquennis Puella a Sorore Donna Josepha de Castelui, quæ post Patris obitum Familiæ dominabatur, detrusa fuit in Monasterium S. Mariæ Magdalenæ Ordinis S. Dominici Civitatis Valentiæ. Undecimum ætatis annum nondum egressa Religiosum habitum assumpsit, & vix per ætatem licuit, Monasterii Tyrocinium incæpit, quo completo Professionem emisit. Septendecim annorum spatio in Monasterio permansit, & tandem reclamavit contra suam Professionem, utpote factam per vim, & metum, & absque libera voluntate, atque consensu; ac die 16. Septembris 1769. supplicem Sanctissimo Domini no Nostro obtulit libellum, quo petiit in integrum restitu- ob lapsum quinquennii. Ablegatæ sunt preces Sacræ huic Congregationi, quæ vacante Sede Archiepiscopali Valentina, Vicario Capitulari commisit, ut auditis Monialibus, aliisque interesse habentibus, processum more solito conficeret.

Absoluto processu, ex eo deprehendi sustinent Mariæ Franciscæ Defensores illius constantem a Regulari statu aversionem, quam lacrymis, obtestationibus, & luctu semper patefecit. Hinc irritam dijudicari debere Professionem etiam post lapsum quinquennii, a quo conceditur restitutio in integrum, *Barbos. in Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 19. num. 9.*, *Rota coram Molines dec. 798. num. 2.*, quia quælibet obligatio vi, metuque extorta nulla est *Leg. 1. & 2. ff. de in integr. restit.*, *L. 1. ff. de eo quod met. caus.*. Multoque minus subsistere potest Religiosa Professio, pro cujus validitate mutuus Religionem inter, & Professum consensus, ac libera voluntas requiritur *Tamburin. de jur. Abbat. tom. 3. discept. 6. quæst. 26. num. 5.*, *Pignatell. consult. 173. n. 92. tom. 9.*, *Rot. dec. 205. num. 24. cor. Buratt.*

Defuisse autem Mariæ Franciscæ consensum, liberamque voluntatem ex eodesumunt, quod ipsa semper a cœlibatu, & a Claustro aliena fuerit, & quod per vim, & metum sollemnia vota emiserit. Hac in re præmittunt, aversionem, & metum esse internam affectionem, quæ animo inhæret, quæque nonnisi indiciis, & argumentis probari potest *Ciarlin. controvers. 108. num. 29. & 30. lib. 1.*, *Pignattell. loc. cit. num. 148. & 149.*, *Rot. in Recent. dec. 211. num. 16 part. 13.*, ac proinde spectari debere Personarum conditionem, nec non rerum, & temporum circumstantias, ut rectum de Professione proferri valeat judicium *Card. de Luca disc. 44. de Regular. sub num. 4.*

Animadvertunt autem, ipsam detrusam fuisse in Monasterium dum quintum ætatis annum ageret, & vix duodecimum Sacris Vestibus fuisse indutam, contra decretum Sac. Con- gre-

gregationis Episcoporum, & Regularium diei 23. Maji 1659. relatum a *Passarin. de stat. homin. tom.13. quæst.189. num.17.*, quo vetitum fuit Puellas religioso habitu induere, nisi annum decimumquintum complevissent, prout tradit etiam *Ferrar. Biblioth.Canon. verb.Moniales n.72.*. Addunt, nullam fuisse præmissam voluntatis explorationem, nullum a Superiori, aut Monialibus requisitum consensum, nunquam è Monasterio eductam, nec Sacramento Confirmationis munitam, priusquam ad Professionem admitteretur, quemadmodum fieri debuisset *Tamburin.de Jur. Abbatiss.disp.41.tit.4.num.1.*, *Gavant. in Manual.Episcop. verb. Monialium receptio num.36.*

Observant præterea, suam a Regulari instituto aversionem, constantemque animum nubendi in sæculo Mariam Franciscam semper patefecisse tum pluribus Sacerdotibus, tum ipsis etiam Monialibus, aliisque, quorum testimonia in processu relata sunt. Certius autem a Monastica vita repugnantiam ex eo deprehendi, quod Tyrocinii tempore ægro semper animo religiosa munia gesserit, immo connubii desiderio succensa, captaque amore cujusdam Fabri Murarii, fidem de matrimonio huic dare non dubitaverit, eamque etiam dum Tyrocinium ageret, servare promiserit. Impossibile idcirco esse putant, ut quæ maritales amplexus concupiverat, de vovenda virginitate cogitaverit.

Hæc autem professionem præcessisse dicunt, sed professionis tempore non defuisse gemitus, lacrymas, & suspiria, ita ut in ipso met sollemni professionis actu gravi pressa dolore respondere non posset, ejusque vices Novitiarum Magistra suppleverit. Post professionem vero prosequutam fuisse clamores, & execrationes, quibus suam repugnantiam ostendit. Hinc concludunt, a Religioso instituto alienam semper fuisse Mariam Franciscam, quæ a prima ætate, & dum Tyrocinium ageret, de contrahendo matrimonio cogitavit, quæque tam ante, quam in ipso professionis actu, & post professionem assiduis clamoribus, & declamationibus a monastico statu abhorruit, *Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 4. num.11.*, *Rota coram Panimoll. decis. 29. num. 19.*, Sacra Congregatio in *Ulyxiponen. Orientalis restitutionis in integrum 4. Augusti 1736.*

Nec obesse putant, quod aliquæ ex Monialibus hujusmodi repugnantiam, & aversionem in Maria Francisca non agnovisse deposuerint. Primò siquidem respondent, Moniales plus æquo professioni adhærere, atque idcircò suspectum esse, & non integræ fidei illorum testimonium. Deindè verò contendunt, plurimi attendendos esse Testes Sacerdotali caractere insignitos, qui Mariæ Franciscæ lacrymas, & suspiria exceperunt *Leg. ob Carmen. 21. §. Si Testes ff. de*

Testib., *Rot. decis.* 15. *num.* 9. *de Fideicom. cor. Falconer.* addita etiam plurium Monialium depositione, quæ id ipsum testatæ sunt. Despiciendam idcircò unius, aut alterius Monialis attestationem, cum in iis, quæ facti sunt, & sub sensu cadunt, eorum depositio præferri potius debeat, qui omnia propriis oculis viderunt, quam aliorum, qui de libera voluntate, quæ solum in animo latet, testati sunt *Ventrigl. in prax. part.* 1. *annot.* 4. §. 3. *num.* 8. *Rot. cor. Emerix Jun. dec.* 732. *num.* 8. Præsertim quia tres tantùm Moniales, quæ Mariæ Franciscæ repugnantiam non agnovisse asseruerunt, de ea tamen ab aliis Monialibus notitiam habuisse non negarunt.

Transeunt deindè ad demonstrandum metum, quo Mariam Franciscam ad profitendum traductam fuisse affirmant. Hunc autem non melius probari posse dicunt, quam jurata illius declaratione, quæ metum passa est; Maximè si alia concurrant adminicula, ex quibus plena metus probatio eruatur. *Pignatel. consult. canon.* 4. *num.* 9. *tom.* 1., *Piton. discept. Eccles.* 110. *num.* 20. Provocant itaque ad Testes, qui violentiæ actus retulerunt, vel quia interfuerint, vel quia a Consanguineis audiverint, eisque plenam fidem adhibendam esse sustinent; Accedente præcipue publica voce, & fama *Spada cons.* 95. *num.* 2. *lib.* 3., *Boss. de Matrim. cap.* 12. §. 22. *num.* 359., *Rot. in Recen. dec.* 221. *n.* 17. *part.* 13., & *dec.* 212. *n.* 6. *part.* 16. *Recen.*

Perpendunt insuper circumstantias, quod scilicet quinquennis in Monasterio inclusa fuerit, ut Monasticæ vitæ assuesceret, & cui statim ac per ætatem licuit, violentiæ illatæ sunt a Consanguineis alimenta denegantibus, & mortem ipsam minitantibus, nisi regulare institutum professa fuisset. Advertunt autem, quod licet leviores in fæmina requirantur metus causæ, levioresque probationes *gloss. in cap. cum locum* 14. *de Sponsal.*, *Passarin. de Stat. homin. quæst.* 189. *art.* 10. *inspect.* 3. *num.* 55, nihilominus gravem metum Mariæ Franciscæ illatum fuisse deprehendi. Hinc fusius enarrant quæ Doctor Peris, quæ Donna Josepha Castellui dixerint, aut gesserint, ut illam deterrerent, quibus nec vires deerant, nec animus ad exequendas minas, quæ fortem quemcumque virum concutere debuissent *Abb. in cap.* 2. *num.* 1. *quod met. caus.*, *Anaclet. in jus Canon. lib.* 3. *tit.* 31. *num.* 162., *Rot. cor. Ludovis. dec.* 326. *num.* 19.

Hisce ergo in facto perpensis, animadvertunt in jure, obligationem, quæ regulari professione contrahitur, non a lege oriri, sed ex libera voluntate pendere; proindeque etiamsi nulla illata violentia fuisset, nihilominus si deficiat voluntas, ipsa quoque obligatio corruere debeat *Can. Præsens caus.* 20. *quæst.* 30., & *cap. Venerabilem qui filii sint legitimi*, *Pignattell. consult.* 163. *num.* 163. *tom.* 9., *Piton. discept. Eccles.* 110. *num.* 11. Defuisse autem in Maria Francisca

ſca animum profitendi, ſatis reſultare exiſtimant ex iis, quę ſuperius in facto relata ſunt, atque idcircò concludunt, irritam fuiſſe profeſſionem abſque Profitentis conſenſu emiſſam *Cap. Vidua de Regular. gloſſ. ibid. in verb. licet, Rot. dec.* 859. *num.*4. *cor. Seraphin.*, & *dec.*499. *num.*2., & *ſeqq. part.*14. *Recen.*

Neque etiam defuiſſe juſtam ſimulandæ profeſſionis cauſam, quam deſumunt ex reclusione in Monaſterio, ex aſſiduis, atque importunis ſuaſionibus, violentiis, ac minis *Anaclet. in jus Canon. lib.*3. *tit.*31. §.4. *num.*154., & 165., *Rot. deciſ.*396. *num.*12. *cor. Ludoviſ.*, & *dec.*798. *num.* 29. *coram M lin.* Nec obiici poſſe, quod intra quinquennium Maria Franciſca non reclamaverit, tum quia nunquam deſtitit ſuam reluctantiam omnibus pateficere, qua quidem in re extrajudiciales etiam querelæ ſufficiunt, *Barboſ. ad Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.*19. *num.*10. tum etiam quia eadem ſemper perduravit metus cauſa, cum viveret adhuc Joſepha Soror, quæ violentias intulerat, inſuperque Mariæ Franciſcæ modus deeſſet adverſus ſuam profeſſionem reclamandi.

Contra verò Profeſſionis Defenſor inutile putat de cauſa agere ob patentem Proceſſus nullitatem, proindeque inſtat vel ut Mariæ Franciſcæ inſtantia reijciatur, vel confectio novi Proceſſus Ordinario committatur. Nullitatem autem ex eo ſcatere ſuſtinet, quod Teſtes ad probandam coactionem inducti, examinati dumtaxat fuerint ſuper Articulis a Moniali productis; quando Benedictina Conſtitutio ſub pæna nullitatis præcipit, ut dentur etiam interrogatoria a Defenſore Profeſſionis, & Teſtes tam ſuper articulis, quam ſuper interrogatoriis examinentur.

Addit præterea, in memorata Conſtitutione decerni, ut in Cauſis nullitatis Profeſſionum examen Teſtium fieri debeat juxta formam præſcriptam in alia Conſtitutione ædita ſuper cauſis Matrimonii nullitatem reſpicientibus, in qua ſtatuitur, ut Matrimonii Defenſor ex Officio deputatus in quolibet actu citari, & examini Teſtium intereſſe debeat. In præſenti caſu obſervat, deſpectam fuiſſe hujuſmodi formam, cum Profeſſionis Defenſor nunquam citatus appareat, nec examini interfuerit, quod ſolum a Notario Curiæ Archiepiſcopalis expletum fuiſſe conſtat. Irritum proindè hujuſmodi examen dijudicari debere contendit, & Teſtium depoſitiones omninò poſthabendas *Rot. in Gneſnen. Matrimonii* 16. *Martii* 1772. § 6. *cor. R.P.D. Herzan.*

Atque hæc quidem eo magis adimplenda fuiſſe dicit, quia in litteris S. Congregationis Vicario Archiepiſcopali Valentino expreſſe mandatum fuit, ut ſub pæna nullitatis Actorum omnia ſervaret, quæ in Benedictina Conſtitutione præſcripta ſunt. Denique cavendum advertit ab æquivoco, in quem irrepſit Actuarius Valentinus aſſerens, Teſtes re-

respondisse *ad Interrogatoria*; Advertit enim, nunquam exhibita fuisse interrogatoria, sed solum articulos ab Actrice productos. Longe autem distare affirmat articulos ab interrogatoriis, & Testium depositiones super Articulis editas nullam probationem constituere *Rot. dec.* 774. *sub num.*3. *part.*3., *& dec.*430. *num.*4. *part.*18. *tom.*2. *Recen.*

Hæc pro suo munere animadvertenda ex Officio proponit Professionis Defensor. Quid ergo in præsenti casu agendum sit, dijudicabunt EE. VV. a quibus quæritur.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Dilata, & conficiatur novus Processus, servata forma Constitutionis Benedicti XIV. = *Si datam* =

*Sess.*25. *cap.*9. *de Reform.*

ALEXANDRINA PRÆPOSITURÆ. Vacavit anno 1770. Præpositura, quæ quarta Dignitas est Collegiatæ Ecclesiæ SS Petri, & Dalmatii Civitatis Alexandrinæ, ad eamque Comes Lucas Pertusati Patronus præsentavit Gherardum Franciscum Calliani Ecclesiasticæ militiæ nondum adscriptum. Hic acceptis nominationibus petiit ab Ordinario Clericali Tonsura insigniri, & ad Beneficium institui; Episcopus verò congruum tempus sibi reservavit ad deliberandum super Oratoris instantia. Post hæc Callianus gratiam, quam dicunt *pro Præsentato* a Dataria Apostolica obtinuit, cujus executioni contradixit Promotor Fiscalis asserens, eumdem Callianum vocatione ad statum Ecclesiasticum omnino destitutum, quia licet Clericales vestes assumpserit, Clericali tamen Militiæ nunquam adscribi curaverit.

Censuit Eminentissimus Pro-Datarius hujusce controversiæ examen committere Sacræ huic Congregationi, coram qua comparuit etiam Sacerdos Carolus Franciscus Berio, qui subsidiariam nominationem ad Præposituram a Patrono reportaverat, petiitque facultatem jura sua experiendi. Res tota EE. PP. judicio subjecta fuit tribus dispertita dubiis I. *An Gherardus Franciscus Calliani sit initiandus Tonsura, & promovendus ad Ordines minores in casu &c.* II. *An supplicatio sit signanda, & relaxanda in casu &c.* Et quatenus negativè III. *An sit danda institutio Sacerdoti Carolo Dominico Berio in casu &c.*. Sed in Congregatione diei 31. Augusti 1771. nulla capta resolutione rescriptum fuit = Ad I *Dilata*, *& ad mentem*; mens est, *quod Callianus se recipiat in aliquam Ecclesiasticam Domum ab Episcopo destinandam, ibique commoretur per annum.* Ad II. *Dilata, & tempus, & tempora non currere*. Ad III. *Dilata*.

Mandatis Sacræ Congregationis paruit illico Callianus, & jussu Episcopi a mense Novembris 1771. ad hæc usque tempora permansit in Domo Congregationis Missionis Civitatis Tau-

Taurini, & in Seminario Episcopali spiritualibus exercitiis vacavit. Modò autem ad Præposituram institui, & dubiorum, quæ denuò proponuntur definitionem ab EE. VV. expostulat. Asserit enim, a legitimo Patrono fuisse præsentatum, & ad Præposituram juxta fundationis legem passivè vocatum. Observat etiam, rem esse de Beneficio habitu dumtaxat, non verò actu Sacerdotali, ipsumque in ea ætate reperiri, ut infra annum ad Sacerdotium promoveri possit; quod quidem facile assequuturum non desperat, cum ei faveat Ordinarius, qui ab oppositione recessit, ipsique Clericalem Tonsuram conferre, & institutionem ad Præposituram concedere non recusat. Nec obesse putat nominationem a Sacerdote Carolo Dominico Berio reportatam, cum illa subsidiaria fuerit, & in eo solum casu locum habere potuerit, quo prior nominatio ab Oratore obtenta exequi non valeret.

Episcopus omnia confirmat, quæ in novis precibus ab Oratore exposita sunt, ac refert, Sacerdotem Berium in subsidium ad Præposituram præsentatum a Summi Pontificis munificentia Canonicatum cum onere residentiæ, prorsusque cum Præpositura incompatibilem in Cathedrali Alexandrina obtinuisse. Quare votum suum aperiens, ita concludit = *Hæc ita cum se habeant, quatenus EE. VV. sentiant, posse me Oratorem prima Tonsura initiare, & in memorata Præpositura instituere, ultro moram geram* = Nil ergo superest, nisi ut Eminentissimi PP. resumere dignentur folium diei 31. Augusti 1771., ubi tota Causa fusius descripta fuit, & sequentibus dubiis, quæ iterum transcribuntur, respondere

I. *An Gherardus Franciscus Calliani sit initiandus prima Tonsura, & promovendus ad Ordines minores in casu &c.*

II. *An Supplicatio sit signanda, & relaxanda in casu &c.* Et quatenus negativè

III. *An sit danda institutio Sacerdoti Carolo Dominico Berio in casu &c.*

Ad I. Affirmativè. Ad II. Affirmativè. Ad III. Provisum in antecedenti.

NULLIUS LEPRINIANI CAPELLANIÆ. In testamento, quod anno 1696. condidit Joannes Angelus Cardari, hæreditatis usumfructum reliquit Angelæ Uxori cum onere unius Officii in die Anniversaria sui obitus, nec non celebrationis Missæ singulis diebus Dominicis, & Festis in Capella ab ipso Testatore constructa in Ecclesia Confra- *Sess.23.cap.8. de Reform.*

fraternitatis Sanctæ Mariæ Angelorum Lepriniani, ac tandem alterius Missæ cum cantu in die festo Divi Josephi. Post obitum Uxoris hæreditatem deferri voluit ad dictam Confraternitatis Ecclesiam, cujus Sodalibus nedum satisfactionem eorumdem onerum injunxit, sed insuper mandavit, ut in adimplenda Missarum celebratione præferrent Sacerdotes filios Augustini Cardari, ac in istorum defectu alios Sacerdotes eidem Augustino proximiores, & a Familia Cardari descendentes, præfinita pro his eleemosina in ratione obulorum 20. pro qualibet Missa, eisque insuper hujusmodi Missarum legatum titulo Capellaniæ pro Sacris Ordinibus deservire posse permisit. Hanc autem methodum spatio annorum centum post sui obitum servari jussit, deindeque Capellani electionem Sodalium arbitrio reliquit.

Anno 1759. Capellaniæ nominationem a Sodalibus assequutus fuit Clericus Carolus Cardari, qui cum in Urbe studiorum causa moraretur, facultatem obtinuit adimplendi per alium Missarum oneribus cum eleemosina manuali, sibique reliquos Capellaniæ reditus applicandi. Quamvis nominationis validitatem impugnaverit Josephus Cardari nomine Dominici filii, nihilominus a lite postea recessit, & Clericus Carolus Capellaniam ad annum usque 1770. pacificè possedit. Eo autem anno Sodales in novum Capellanum elegerunt Nicolaum alterum dicti Josephi filium, qui suæ nominationis confirmationem a Sacra Congregatione postulavit: Restitit tamen Clericus Carolus, disputatoque dubio = *An, & cui sit adjudicanda Capellania in casu &c.* = die 14. Martii anni elapsi rescriptum fuit = *Capellaniam esse adjudicandam Carolo*.

Post hæc Sodales existimantes, illam nonnisi a Sacerdote posse retineri, recursum denuo habuerunt ad Sac. Congregationem, ut Clericus Carolus adigeretur ad Sacros Ordines suscipiendos: Hic autem nullimodè ad id teneri sustinet, proindeque novæ istius controversiæ definitio ab EE. VV. exquiritur.

Inquiunt itaque Sodales, Clericum Carolum Capellaniæ nominationem postulasse, ut Sacris Ordinibus initiari posset, eamque sub hac conditione fuisse eidem collatam; non igitur modò fas esse a nominationis lege recedere. Addunt, Capellaniam, de qua agitur, qualitatem Sacerdotalem in Capellano requirere, cum Testator non ex certis bonis illam instituerit, aut Capellano administrationem commiserit, sed Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum hæredi institutæ onus injunxerit celebrationis Missarum, tributa solum hac in re prælatione Presbyteris de Familia Cardari, quibus eleemosinam manuali majorem assignavit. In hisce ergo circumstantiis absurdum esse dicunt, ut a simplici Clerico percipiatur eleemosina, quæ solis Presbyteris de ea familia fuit constituta. Ob-

Obstare etiam sustinent Testatoris voluntatem, qui jus eligendi Capellanum Sodalitio concessum eo tantum casu coercuit, quo extarent Presbyteri ex Familia Cardari descendentes. Hoc autem intelligendum esse tantummodo de prælatione tributa Presbyteris illius Familiæ in celebratione Missarum, quæ quidem Clericis nullimodè convenire potest. Hinc inferunt, licitum non esse Clerico Carolo eleemosinam percipere obulorum 20. a Testatore præfinitam pro Presbyteris de Familia Cardari, & Sacerdoti celebranti manualem eleemosinam rependere, cum id sapiat turpe lucrum pluries ab Ecclesia damnatum in *Constitut. Nuper Urbani VIII.* 21. *Junii* 1625. §.5., & in *Constitut. Quanta Cura Benedicti XIV.* 30. *Junii* 1741.. Nec relevare gratiam jam alias obtentam, quia tunc Carolus in Urbe studiorum causa morabatur, ut ad suscipiendos Sacros Ordines idoneus fieret, nunc autem annum agit 36., & nonnisi injuria a data fide recedit.

Contra verò Clericus Carolus duo potissimum requiri affirmat, ut ad suscipiendos Sacros Ordines adigi valeat, tum scilicet, quod Capellania sit Ecclesiastica, tum etiam, quod ex Testatoris dispositione Capellanus per se ipsum Missas celebrare teneatur. Neutrum in præsenti casu verificari contendit, cum Capallania ipso imperante Testatore independenter ab Ordinario erecta fuerit, nec onus celebrationis per se ipsum unquam Capellano injunctum extiterit. Infert proinde, simplex Missarum legatum fuisse demandatum, quod ad onerum dumtaxat implementum, non autem ad susceptionem Sacrorum Ordinum compellit, *Fargn.de Jurepatr.par.2.con.2.cas.8.2num.3.,Piton.de controv. Patron. alleg.33.num.2.*

Nec obesse, quod Testator descendentes Presbyteros de Familia Cardari præferri voluerit, cum Presbyteri nomen usurpaverit ad designandum munus, non autem ad distinguendam qualitatem; idque etiam ex eo deprehendi putat, quod iisdem descendentibus indulserit, ut Capellania pro titulo Patrimonii Sacri deservire possit. Nihili verò habendam esse expressionem in quodam supplici libello adjectam, ubi Capellania tanquam Sacerdotalis fuit appellata, cum nec a Patronis, neque a Proviso, nec ab ipso Ordinario Beneficii, aut Capellaniæ qualitas extra actum erectionis valeat immutari, *Fagnan.in cap.significatum de Presbyt. num.2., & seq.*

Præ oculis habenda est Testatoris dispositio, ex qua præsententis causæ definitio pendet. Joannes Angelus Cardari post obitum Uxoris de bonis suis ita disposuit = *Nomino per mio Erede universale la Chiesa della Madonna Santissima degl' Angeli di Leprignano, con questo però, che la detta Compagnia, e Chi esa come sopra sia obbligata far celebrare nell' Altare di S. Giuseppe in perpetuo durante il Mondo una Messa la*

Settimana cioè tutte le Domeniche dell'anno, ed anco una Messa tutte le feste di precetto di tutto l'anno, ed una Messa cantata il giorno di S. Giuseppe, ed un esequie ogni anno il giorno della mia morte. Patet ex his, Testatorem nec Capellaniæ, nec Beneficii erectionem demandasse, sed solum Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum hæredi institutæ Missarum celebrationem iniunxisse.

Deindè verò quoad descendentes de Familia Cardari, & Augustino proximiores Testator subdidit = *Che essendovi Preti figli di Agostino Cardari, quello le debba celebrare, e per sua elemosina ordino, che lo debba soddisfare la detta Chiesa della Madonna degl'Angeli con pagarli due giulj per Messa, e questo gli debba servire anche per titolo di Cappellania*. Quamvis in beneficialibus nomine Præsbyterorum comprehendantur etiam Clerici *Rot. in Imolen. Jurispatronatus super pertinentia* 3. *Martii* 1738. §.17. *cor. de Vais*; præsertim si onus celebrandi per se ipsum iniunctum non fuerit, *Rot. cor. Falconer. de Jurepatr. decis.* 7. *per tot.*, nihilominus ponderandum in præsenti casu, an prælatio tributa Præsbyteris de Familia Cardari ad solam celebrationem referri debeat, seu potius legati fruitionem compræhendat. Id autem dijudicabunt Emi PP., a quibus quæritur.

An Clericus Carolus Cardari teneatur suscipere sacros Ordines in casu &c.

Affirmativè.

Sess. 25. *cap.* 4. *de Reform.*

ROMANA CELEBRATIONIS MISSARUM. Inhærentes voluntati bo: mem: Præsulis Caroli Gonzaga, Comes Nicolaus Periberti, & Benedictus Festa illius hæredes fiduciarii ex residuo pecuniæ, & argenteis hæreditariis Capellaniam erigere statuerant in Parochiali Ecclesia S. Nicolai de Perfectis Ordinis Prædicatorum cum onere Missarum 222., quæ singulis annis celebrari debuissent. Existimarunt Religiosi, hujusmodi Capellaniam ad ipsos pleno jure pertinere debere; contra verò hæredes fiduciarii contenderunt, solam Missarum celebrationem in ea Ecclesia fuisse præscriptam. Primò itaque institerunt Religiosi pro facultate experiendi jura sua in judicio super erectione Capellaniæ, atque insuper petierunt, ut adigerentur hæredes ad exhibendum apud acta folium fiduciæ, sed decreto Eminentissimi Pro-Auditoris SSmi fuerunt rejecti. Postea verò hæredes postularunt, ut præfigeretur Religiosis terminus ad declarandum, an vellent præstare patientiam pro celebratione Missarum in propria Ecclesia: Ac tandem sublatis judicialibus dissidiis amicabili-

biliter inter Partes conventum fuit, ut Religiosi Missas celebrarent cum eleemosina manuali, & superextantes Capellaniæ reditus relinquerentur Capellano ab hæredibus nominando;

Juxta hanc conventionem ad Instrumenti stipulationem deveniendum erat, solumque præfinienda supererat summa pro utensilibus, pro quibus scuta centum investimento collocanda hæredes obtulerant. Tunc autem novæ excitatæ sunt contentiones, quarum causa a transactione recessum fuit, & Religiosi heredibus nuntiarunt, nolle se Capellaniæ erectioni in propria Ecclesia consentire. Hinc iidem hæredes supplicant, ut illius translatio ad aliam Ecclesiam ipsis permittatur; Sustinent enim, quod cum Testator erectionem demandaverit in Ecclesia Regularium, liberum sit hæredibus Missarum celebrationem committere vel ipsis Regularibus, vel Sacerdotibus Sæcularibus, quia electio Capellani non ad Regulares pertinet, sed ad hæredes Testatoris *Monacell. form. Legal. pract. for. Eccles. tom.*1. *tit.*10.

Quod si Regulares renuant præstare patientiam pro adimplenda Missarum celebratione a Sacerdote ab hæredibus destinando, tunc Capellaniæ translationem ad aliam Ecclesiam permitti affirmant, *Monacell. loc. citat. num.* 18., *& seqq.* quo in loco refert nonnullas resolutiones Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium. Id autem eo magis in præsenti casu locum habere contendunt, quia Testatoris Cadaver non in Ecclesia S. Nicolai de Perfectis fuit tumulatum, sed in Basilica Vaticana, ubi vivens Canonicum egit.

Emus Urbis Vicarius prius quam super precibus hæredum referret, Religiosos requisivit, qui capitulariter congregati decreverunt a Capellaniæ acceptatione abstinere juxta modum ab hæredibus propositum, & scripto resolutionem hujusmodi exhibuerunt. De ea itaque laudatus Emus Vicarius hæc habet = *Verùm quidem est, hujusmodi sive jus, sive onus celebrandarum Missarum non fuisse a Patribus repudiatum, nisi quale illud asseritur ab hæredibus, qui proprietatem, seu titulum Capellaniæ ad se pertinere declararunt; quando è contrario Patribus altè omnibus insedit opinio, quod Testator Capellaniam voluerit esse liberam, plenoque jure ad Ecclesiam pertinere* = Deindè suam sententiam his verbis exprimit = *At enim verò Testatoris legem, quæ Missas continenter præcipit satis urgere putem, ut alia nihilominus designetur Ecclesia loco repudiantis; præsertim cum controversia proprietatis Capellaniæ non modo ex testamento non videatur posse moveri, sed principali, quod amplius est, sit jam sublata rescripto, quo fuit rejecta instantia Patrum petentium veniam sibi in judicio asserendi eamdem Capellaniæ proprietatem adversus testamentum, quo fiduciariis hæredibus contradicere vetabatur.*

 Post

Post æditum ab Emo Pro-Auditore SSmi decretum, quod superius relatum est, emissamque a Religiosis Capellaniæ renunciationem, unicè inquirendum superest, an iidem Religiosi patientiam præstare teneantur, ut in propria Ecclesia Missæ celebrentur a Capellano per hæredes destinando, seu potius sit locus Capellaniæ translationi ad aliam Ecclesiam,

Non videtur constans Doctorum opinio in decernendo, an Regulares consentire teneantur, ut in propriis Ecclesiis ab exteris Capellanis Missæ celebrentur, quæ ibidem Testatores celebranda mandaverint. Negativam sententiam tuetur *Scarfanton. in animadverf. ad tit. 13. lib. 3. Lucubrat. Canonic. Ciccoperii num.* 30., ubi sustinet, non teneri Regulares invitos recipere fundationes Missarum perpetuarum, quæ in eorum Ecclesiis celebrandæ sint a Sæcularibus Præsbyteris, quemadmodum nec Parochi, aut Rectores Ecclesiarum cogi possunt ad acceptandas fundationes, quæ a Regularibus adimpleri debeant; tantummodò examinandum relinquit, an sine legitima causa Regulares, aut Parochi, vel Ecclesiarum Rectores, dissentire valeant. In hanc Sententiam descendere videtur *Ferrar. in Bibliothec. verb. Missæ Sacrificium art.*4. *num.*23.

Verum contrariam opinionem sequitur *Nicol. lucubrat. Canon. lib.*3. *tit.*31. *sub num.*15., ubi ait, Regulares teneri præstare patientiam, & consensum, ut Beneficiorum Rectores Missas celebrent, quas ratione fundationum in eorum Ecclesiis celebrare debent, solutis tamen utensilibus, & in id refert resolutionem Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium in *Romana ultima Februarii* 1605. Enim verò pro utraque Sententia ratio aliqua militare videtur, cum ex una parte Regularium libertas non sit coercenda, & nemo contra proprium sensum cogi debeat alios in Domo sua recipere; ex alia verò parte Testatores non sint deterrendi, nec a piis fundationibus retrahendi, prout revera retraherentur, si scirent, fundationes in Ecclesiis Regularium ab ipsis demandatas, & a Præsbyteris sæcularibus adimplendas, vacuas, inanesque futuras.

Videndum itaque, an spectari debeat causa, ob quam Regulares renuant præstare consensum celebrationi Missarum in propria Ecclesia. Sacra Congregatio juxta rerum circumstantias aliquando censuit, non posse Regulares Missarum celebrationem Sacerdotibus Sæcularibus præpedire, ut in *Romana* 15. *Januarii* 1639., in qua declaravit = *Regulares teneri patientiam præstare, ut in eorum Ecclesiis Sacerdotes sæculares Missas relictas celebrent; eisdem tamen Regularibus fieri debere contributionem pro cera, vino, hostiis, & usu Paramentorum. Lib.*16. *decret. pag.*13.

Aliquando verò minimè cogendos existimavit Regulares, sed translationem Missarum ad aliam Ecclesiam permisit, ut

in

in *Venetiarum* 24. *Septembris* 1639. relat. per eumdem *Nicol. loc. super citat.*, & in *Tybartina Celebrationis Missarum* 24. *Septembris* 1735. *ad II. dub.* Cohærent plures resolutiones Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium in *Burgi S. Sepulchri* 7. *Octobris* 1617., in *Balneoregien.* 18. *Martii* 1622., *in Firmana* 28. *Aprilis* 1656., aliæque allatæ a *Card. de Luc. de Legat. disc.* 25. *num.* 11., & a *Nicol. loc. cit.*

Dijudicandum igitur, quid in præsenti casu expediat. Jam supra animadversum est, Testatoris Cadaver non in Ecclesia S. Nicolai de Perfectis, sed in Basilica Vaticana fuisse tumulatum. Sacra Congregatio fere semper denegavit translationem Missarum ab Ecclesia, in qua tumulatum esset Cadaver Testatoris, ut in *Æsina Legatorum* 21. *Augusti* 1706., in *Ulixiponen. Translationis oneris Missarum* 28. *Junii* 1731., & alibi passim; Verum hac deficiente circumstantia, & justa suadente causa, translationi annuit, prout tradit Rota in *Romana Celebrationis Missarum* 13. *Junii* 1732. §. *Istamque sententiam cor. Calcagnino*.

Perpensis itaque circumstantiis Emi PP. decernent.

I. *An Religiosi Ecclesiæ S. Nicolai de Perfectis teneantur præstare patientiam pro celebratione Missarum in casu &c.*

Et quatenus Negativè.

II. *An, & quomodo sit locus translationi Capellaniæ in casu &c.*

Non proposita cum altera.

BALNEOREGIEN. Post plura Missarum legata, quæ Dominicus Orgoni de Terra Viturclani reliquit in testamento condito anno 1752., hæredes instituit Margharitam Gabrielli ejus Sororem, ejusque filios Lucam, Joannem, & Catharinam, cum Lege, *che la Vigna posta in questo Territorio in contrada Chiaviche, assieme con il Tinello posto in questa Terra sotto la Parochia della SSma Trinità, unitamenmente con Tina, e Botti in esso esistenti l'infrascritti suoi Eredi debbano goderla communemente senza che se ne faccia divisione alcuna, ed altresì che non possino ne venderle, ne impegnarle, ed il tutto dopo la di loro morte si debba vendere, ed il ritratto debba erogarsi nella celebrazione di tante Messe basse in Suffragio dell'Anima di esso Testatore.* *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

Nonnullis ab obitu Testatoris elapsis annis Joannes, & Lucas Gabrielli supplicem SSmo Domino Nostro exhibuerunt libellum, quo sibi adscribi postularunt eorumdem bonorum proprietatem, liberamque dispositionem, cum onere adimplendi intra quinquennium tercentum Missarum celebrationi. Hujusmodi petitio ablegata fuit sapienti EE. VV. judicio, quibus Oratores animadvertendum proponunt,

nunt, satis provisum esse spirituali Testatoris suffragio plurium Missarum celebratione, quas ipse Testamento mandaverat, aliarumque, quæ Oratores intra quinquennium celebrari facere promittunt, si petitam gratiam adsequantur. Hinc nullum subesse periculum, quod Testatoris anima suffragiis fraudetur.

Observant præterea, quod quamvis dictorum bonorum valor ad scuta 108. modo pertingat, incertum tamen esse num post ipsorum obitum hujusmodi prætium retrahi valeat, tum ob deteriorationem, cui vel temporis injuria, vel ex natura rei subesse possunt, tum etiam quia non alia supersunt Testatoris bona, quæ in casu evictionis favore Emptoris hypothecæ subjiciantur. Inferunt proinde, oblatam ab Oratoribus conditionem non esse despiciendam; præsertim quia animabus in Purgatorio degentibus magis prosunt anticipata suffragia, licet in minori numero, quam alia plura post longissimum tempus præstanda. Nec attendendum esse votum Episcopi, qui etsi Oratorum petitioni non adversetur, putat nihilominus non tantum tercentum, sed quingentas Missas fore ab ipsis celebrandas, cum impares omninò se esse dicant ad gravius hujusmodi onus subeundum, atque ex dispositione Testatoris alia nonnulla legata adhuc implere teneantur.

Episcopus refert, Oratores in florida ætate constitutos reperiri, ita ut bonorum usufructu per alios circiter annos viginti quinque frui valeant. Testatur insuper, eorumdem bonorum prætium ad scuta 108. modo ascendere, sed valde imminui posse putat, nisi illorum proprietas Oratoribus tribuatur, proindeque concludit, *quod attenta anticipata celebratione Missarum, aliique veris, & rationabilibus motivis adductis, Oratorum instantiæ sit annuendum*. Addit tamen, *quod attento valore prædictorum bonorum scutorum centum, & octo, prædicti Fratres Oratores Missæ saltem quingentæ satisfieri faciant*.

Quamvis piæ decedentium voluntates servari adamussim debeant, commutationi tamen aliquando sunt obnoxiæ, si necessitas urgeat, vel utilitas suadeat, ne Testatorum Animæ suffragiis fraudentur, *Monet. in tract. de commut. ultim. volunt. cap.6. num.86.*, & 110., *Barbos. ad Concil. Trident. sess.22. cap 6. de Reform. num.2.* Exhibent nunc Oratores celebrationem tercentum Missarum, loco earum, quæ ex prætio supradictorum bonorum celebrari deberent. Videndum, an expediat suffragium, licet diminutum, anticipatè præstare ad occurrendum periculo, quod Oratores evenire posse timent ob difficultatem venditionis, & bonorum deteriorationem. Habenda præ oculis est relatio Episcopi, ejusque sententia, ut Eminentissimi PP. dijudicare valeant.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu.

Die

Die Sabbathi 17. Julii 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

BInæ ex præcedenti Congregatione indecisæ supersunt Causæ, quibus aliæ septem adjiciuntur, ut juxta consuetem morem, numerus impleatur.

ROMANA CELEBRATIONIS MISSARUM. *Sess.25. cap.4. de Reform.*

I. *An Religiosi Ecclesiæ S. Nicolai de Perfectis teneantur præstare patientiam pro celebratione Missarum, in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus translationi Capellaniæ, in casu &c.*

Ad I, Negativè. Ad II. Arbitrio Eminentissimi Urbis Vicarii.

BALNEOREGIEN. *Sess.22. cap.6. de Reform.*

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum, in casu &c.

Negativè, & Episcopus incumbat conservationi bonorum Legatarii.

FAVENTINA FUNCTIONUM. *Sess.22. cap.6. de Reform.* In Pastorali Visitatione habita anno 1770., Episcopus Faventinus nonnulla edidit decreta, quibus Parocho S. Jacobi de Pinna jus esse censuit peragendi funerales functiones, nec non canendi Missam sollemnem, ac benedicendi Populo occasione expositionis Augustissimi Sacramenti in Ecclesia Sodalium Tertiariorum S. Antonii Patavini, quæ intra limites illius Parochiæ sita est. Quamvis ab hisce decretis Confratres reclamaverint, eorumque rationes, septem dispertitæ dubiis, fusiùs relatæ fuerint in folio diei 3. præteriti mensis Aprilis, nihilominus in postrema Congregatione ha-

habita die 12. Junii proxime elapsi, quo die eorumdem dubiorum definitio imminebat, Eminentissimi PP. resolutionem differre existimarunt. Præbuit dilationi causam reflexio, quod licet Parochus gravi pressus paupertate, inhabilis omninò esset ad subeundas hujusce litis expensas, nonnulla tamen Episcopo exhibuerat folia Italico idiomate ab ipso exarata, quibus suæ Ecclesiæ jura meliori, quo posset modo, vindicare conatus fuerat: Hinc quidquid hujusmodi folia continerent prudenti consilio prænoscere voluerunt EE.VV., priusquam ad causæ definitionem procederent. De his igitur in præsenti ratio habenda est, & quoniam Parochus plures in iisdem foliis absque delectu, atque ordine rationes exposuit, operæ pretium erit singula, quæ ibidem recensentur ad infrascriptorum dubiorum ordinem redigere.

Itaque ad I., & II. dubium fatetur Parochus, expositionem Sanctissimæ Eucharistiæ, & benedictionem, quæ cum ea fit super Populum non esse de juribus merè Parochialibus: Contendit nihilominus Parocho præpediri non posse, quominus, si velit, benedictionem per se impertiatur. Id decisum refert a S. Congregatione in *Ferrarien. Jurium Parochialium* 22. *Martii* 1698., apud Monacellum *tom.* 1. *tit.* 6. *form.* 20. *num.* 3.. Neque ullimodè adversari sustinet posteriora decreta S. Rituum Congregationis anni 1703., cum in hisce decretis nil aliud declaratum fuerit, nisi quod expositio Sanctissimi Sacramenti, & benedictio non sit de juribus strictè Parochialibus, & utrumque in Oratoriis Confraternitatum etiam contradicente Parocho fieri possit, ut ad *XI.*, *& XIII. dub.*. Hinc arguit posteriora hujusmodi decreta nihil derogasse priori Sacræ hujus Congregationis decreto anni 1698., proindeque, rejecto Capellano Confraternitatis, posse Parochum, si velit, benedictionem Populo elargiri.

Idque ex eo confirmat, quod quamvis in citatis decretis anni 1703. definitum fuerit ad VI., & VII. dubium, benedictiones Mulierum, & Fontis Baptismalis, nec non celebrationem Missæ sollemnis feria V. in Cœna Domini non esse de juribus merè Parochialibus, nihilominus additum fuit, benedictiones *fieri debere a Parocho*, & celebrationem *spectare ad Parochum*. Quare concludit ex memoratis generalibus decretis nil aliud ad summum inferri, nisi quod Parochus impedire non possit quominus a Capellano Confraternitatis, vel alio Sacerdote benedictio fiat, quoties tamen ipse nolit eam elargiri.

Ad III. quod attinet, provocat Parochus tum ad Constitutiones Synodales Diœcesis Faventinæ, quibus præcipitur, ut in Oratoriis Confraternitatum *nullo modo sollemniter celebretur*, *nec Sacramenta ministrentur*, *vel hujusmodi ad Parochum de jure spectantia peragantur absque nostra*, *Parochive* ex-

expressa licentia, tum etiam ad immemorabilem consuetudinem Faventiæ vigentem, quorum utrumque servari jussit Sac. Rituum Congregatio in *cit. decretis generalibus*.

Quoad IV. animadvertit, duobus tantum titulis Confratres S. Antonii Patavini vindicare sibi posse partem Ceræ, quæ superest, detracta quarta funerali Parocho debita, vel scilicet titulo *solius, & nudæ Sepulturæ*, vel titulo *Oblationum occasione funerum*. Neutrum tamen in præsenti casu subsistere affirmat. Non primum, quia obstat SS. Canonum dispositio *Cap. Cum in Ecclesia de Simonia*. Non secundum, quia oblationes, quæ fiunt ratione Parochialitatis, quocumque in loco fiant Parochiali acquiruntur *Cap. Cum inter nos de verb. signif.*, *Rot. in Bracharen. Oblationum 17. Decembris 1612. coram Pamphil.*, *& in Lunen. Sarzanen. 8. Februarii 1627. coram Merlin. dec. 37.*. Sustinet autem oblationes occasione Sepulturæ fieri ratione Parochialitatis *Barbos. de potest. Paroch. part. 2. cap. 25. num. 37.*, *Rot. coram Mantica decis. 294.*

Nec obesse, quod Ecclesiæ Regularium privilegio gaudeant his oblationibus fruendi. Respondet enim Regularium Ecclesiis sive ex jure, sive ex privilegio jus funeris competere, & jus quasi Parochialitatis, cum in iis Sacramenta ministrentur, ibique functiones Parochiales, & funerales peragantur. Id autem, præsertim quoad functiones funerales, minimè convenire Ecclesiis Confraternitatum Civitatis Faventiæ, easque idcircò allegare non posse Ecclesiarum Regularium exemplum.

Super V. dubio innititur Parochus Constitutionibus Synodalibus Faventinis. Asserit enim in Synodo I. Card. Rossetti *tit. de Sacrosan. Eccles. cap. 5. num. 3.* statutum fuisse, *functionem sepeliendi* Cadavera tumulanda in Ecclesiis Confraternitatum *spectare ad Parochum, sub cujus Parochia sunt, & non ad eorum Capellanum*. Hoc autem in loco advertit, verba *functionem sepeliendi*, idem indicare, quod legitur in Synodo Bononiensi Card. Boncompagni *lib. 5. cap. 6.* his verbis = *Assistat Parochus officio, & Missam cantet* = idque ipsum probare conatur constanti, & immemorabili observantia in Civitate Faventiæ vigente, quæ optima est cujusque legis interpres *Leg. Sed & Julianus §. Proinde ff. ad Maced.*, *Rot. dec. 70. num. 27. par. 7. Recent.*

Perperam fortasse opponi dicit, Constitutiones Synodales minus verè supponere *functionem sepeliendi* esse Parochialem, falsamque hujusmodi suppositionem patere ex his verbis, quæ immediatè sequuntur = *Sicut etiam omnes functiones Parochiales ad ipsum spectare decernimus*. Nam primo animadvertit, quod licet functiones funerum non sint strictè de jure Parochiali, *Fagnan. in Cap. Fraternitatem de Sepulturis num. 4.*, *Rot. coram Priol. dec. 365. num. 6.*, *& coram Mantica dec. 294. num. 1.* omnimodam tamen a juribus merè

Parochialibus habent dependentiam, & ideo in *Cap. Cum in Ecclesia de Simonia* hujusmodi functiones benedictioni nubentium æquiparantur. Deinde subdit, dictionem illam *etiam* sensum præseferre omnino a prioribus verbis distinctum, ejusque esse indolis, ut extendat, & explicet, quod prius dictum fuerat, *Dec.conf.*142.*n.*7.*verf.*2., *Rot.cor.Mantic. dec.*342.*num.*2.

At tandem observat in Synodalibus Bononiæ Constitutionibus *loc. cit.* eamdem, immo ampliorem adhiberi loquendi formulam. Siquidem post ea verba = *Assistat Parochus officio, Missam cantet, & idem servetur in Anniversariis quoties facienda sit absolutio*, statim additur = *Nec Capellanus Societatis jura Parochialia perturbet sub pæna suspensionis*. Eisque Constitutionibus adhærens Sacra hæc Congregatio in *Bonon en.* anni 1724. declaravit, expleri a Capellanis Confraternitatum non posse officium, aliasque functiones super Cadaveribus, nisi Parochus vocatus renuat, vel alium Sacerdotem non substituat. Nec mirum esse, quod sicuti in Diœcesi Hortana hujusmodi non adsunt Constitutiones, idcirco S. hæc Congregatio ad formam generalium Decretorum anni 1703. definierit in Causa *Hortana Jurium Parochialium* 5. *Julii* 1738-, Capellanos Confraternitatum Oppidi Suriani recitare posse Officium Defunctorum, & canere Missam, antequam sepeliantur Cadavera in Ecclesiis earumdem Confraternitatum illata.

Atque hæc omnia ab observantia confirmari affirmat. Præmisso autem, quod observantia alia *præscriptiva* sit, alia *interpretativa*, sustinet, in præsenti casu locum non habere observantiam præscriptivam, cum non agatur de functionibus, quæ aliqua lege Parochis sint interdicta, sed sufficere observantiam interpretativam, quæ non requirit præscriptionem, nec longi temporis spatium, solumque exigit, ut probetur id aliquando gestum fuisse *Rot.coram Cavaler.dec.*80 *num*:5., vel ad summum requirit lapsum decennii *Rot. in Geruvden. Servitutum* 23. *Februarii* 1731. *§.Nihilominus coram Cincio*. Neque his adversari putat clausulam adjectam decretis generalibus anni 1703. *salvis consuetudinibus immemorabilibus, aut saltem centenariis*, hanc enim asserit intelligendam esse tantummodo de functionibus, quæ aliqua lege Parochis vetita sint *Rot. in citat.Gerunden. num.* 40., cum tamen in præsenti Causa agatur de functionibus, quæ Synodali Diœcesis Faventinæ Constitutione Parochis tribuuntur.

Hæc summatim delibata, habentur in foliis Episcopo Faventino a Parocho traditis. Non incongruum proinde erit hoc in loco referre, quod ad imponendum finem controversiis, quæ Parochos inter, & Confraternitates Sæculares, earumque Capellanos, & Officiales super juribus Parochialibus, & functionibus Ecclesiasticis, nonnullisque præ-

præeminentiis, seu prærogativis frequentissime oriri solebant, Sacra Congregatio Rituum anno 1703., triginta tribus propositis quæstionibus, necessarium duxit totidem generalia edere decreta, quæ dijudicandis in posterum hujusmodi controversiis normam præberent. Hujusmodi decreta san.mem. Clemens XI. die 12. Januarii an. 1704. auctoritate sua probavit, ac publicari jussit, & quibuscumque in contrarium non obstantibus servari mandavit.

In his porro decretis, quemadmodum adnotatum est in folio istius Causæ diei 3. præteriti mensis Aprilis, apposite secernuntur tres functionum Ecclesiasticarum species: prima videlicet earum, quæ sunt de juribus mere Parochialibus, & quæ proinde privative spectant ad Parochum, intra cujus fines est Ecclesia, seu Oratorium Confraternitatis; secunda earum, quæ de juribus Parochialibus non sunt, sed quia honorificentiam quandam, seu præeminentiam præseferunt, ideo Parocho conveniunt, & Parochiales functiones improprie appellantur: hujusmodi sunt benedictio Mulierum, & Fontis Baptismalis, & celebratio Missæ sollemnis feria 5. in Cœna Domini, quas functiones eadem S.Rituum Congreg. ad dub. VI., & VIII. declaravit non esse de juribus Parochialibus, addidit tamen fieri debere a Parocho, & ad Parochum spectare. Tertia tandem species earum est, quæ mere Sacerdotales dicuntur, quasque Parochus jus non habet prohibendi Rectori alterius Ecclesiæ, dummodo peculiaris aliquis titulus non concurrat desumptus vel ex Synodalibus Constitutionibus, vel ex vetusta, & legitima consuetudine. Ad hanc postremam classem præcipue referuntur, celebratio Missarum sollemnium per annum in festivitatibus sollemnioribus Ecclesiæ, vel Oratorii Confratrum, uti *ad dub.X.*; expositio 40. Horarum, & benedictio, quæ fit super Populum, uti *ad dub.XI.*, Officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in dictis Ecclesiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum, quando tumulandus non est subjectus Parocho, intra cujus fines sita reperitur Ecclesia, vel Oratorium, uti *ad dub.XX.*

Quamvis autem prædicta S. Rituum Congregatio iisdem in decretis plura concesserit Sodalitiis, eorumque Capellanis quoad functiones peragendas in publicis illorum Ecclesiis, vel privatis Oratoriis a Parochiali sejunctis, integra tamen servari mandavit pacta in erectione Confraternitatum inita, nec non transactiones cum Partibus diffidentibus factas, probatasque a Sede Apostolica, item Indulta, Synodales Constitutiones, vel Provinciales, & consuetudines immemorabiles, aut saltem centenarias. En verba, quæ ad prædictorum Decretorum calcem leguntur: *Et ita, salvis tamen conventionibus, & pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis, & a Sancta Sede ap-*

probatis, Indultis, Constitutionibus Synodalibus, ac Provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis, declaravit, & decrevit

His itaque decretis constanter adhæsit Sacra hæc Congreg., ita tamen ut rationem semper habendam duxerit vel Constitutionum Synodalium, aut Provincialium, vel consuetudinis immemorabilis, aut saltem centenariæ. Exemplo esse potest Causa *Bononien.* die 28. Junii an. 1724. proposita. Exortis enim controversiis inter Archipresbyterum Vicarium Foraneum Castri Medicinæ, & Sodalitium B. Mariæ Salutis ejusdem Castri, subscripta fuerunt quindecim dubia, & inter cætera quæsitum fuit VIII. = *An liceat eidem Confraternitati celebrare per annum Missas privatas, & sollemnes tam pro vivis, quam pro defunctis in casu &c.* IX. *An liceat Confraternitati Salutis sepelire in propria Ecclesia Cadavera Confratrum, & Consororum, qui ibidem elegerint Sepulturam, & an ejusdem Capellanus, absente Parocho, valeat officium, aliasque functiones super iisdem Cadaveribus explere in casu &c.* XI. *An liceat dictæ Confraternitati facere Novenas ante sollemniores suæ Ecclesiæ festivitates cum expositione Sanctissimi, nec non tempore infirmitatis alicujus Confratris velatam Pixidem exponere, & ipsius Capellanum in prædictis functionibus Populum benedicere in casu &c.* Responsum prodiit: Ad VIII. *Affirmativè quoad Missas privatas tam pro vivis, quam pro defunctis, quo vero ad sollemnes pro vivis Affirmativè, & quoad sollemnes pro defunctis serventur Constitutiones Synodales.* Ad IX. *Affirmativè ad primam partem, & quoad secundam Negativè, nisi Parochus vocatus renuat, vel alium Sacerdotem non substituat.* Ad XI. *Serventur Constitutiones Synodales.* Diversitas inter hujusmodi responsa, & generalia decreta S. Congregationis Rituum tota pendet a Constitutionibus Synodalibus, quas eadem S. Congregatio in iisdem decretis servari præcepit.

Sic etiam die 15. Maji 1728. in altera *Bononien.*, in qua agebatur de controversia inter Parochum S. Mamantis Bononiæ, & Sodalitium nuncupatum a Beata Virgine Libertatis, cum quæsitum fuisset ad dubium XIV. = *An Confraternitas ultima Dominica Septembris ducere possit Processionem cum Imagine S. Mariæ de Libertate ad plateam magnam Civitatis cum assistentia Parochi, vel eo deficiente, proprii Capellani, ac Populo benedicere tam in dicta platea, quam in stillicidiis propriæ Ecclesiæ, & intra eamdem:* Sacra Congregatio juxta sanctiones Synodorum Bononien. respondit = *Affirmativè, accedente tamen licentia Ordinarii, & comitante Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia.* Ad rem quoque facit Causa *Comen. Functionum.* Propositis enim dubiis I. *An in Festo Titulari Ecclesiæ, de qua agitur, aliisve festis Missæ decantari valeant independenter a Parocho.* III. *An in supradicta Ecclesia per Sacerdotes ab Ordinario approbatos excipi valeant quo-*

cum-

cumque tempore Sacramentales Fidelium Confessiones independenter a dicto Parocho. IV. *An independenter a Parocho extra tempus Paschale administrari possit in eadem Ecclesia Ven. Eucharistiæ Sacramentum*. VII. *An, & cui competat jus peragendi exequias, & officium funebre super Cadaveribus, quæ tumulantur in sepulchro dictæ Ecclesiæ*. Sacra hæc Congregatio die 17. Maji 1749. respondit ad I. *Negativè*: Ad III. *Negative*: Ad IV. *Negativè præterquam in actu celebrationis Missarum*: Ad VII. *Competere Parocho*. Et hujusmodi responsa repeti similiter debent ex Synodo Diœcesana Cardinalis Ciceri, ubi *cap.6. constitut.* 7. prohibetur *in Ecclesiis Filialibus, seu Oratoriis quibuscumque etiam Confratrum, Confessiones audire sine Episcopi approbatione, Parochorum licentia, prout sine hac Missas sollemnes vel cum cantu celebrari, sepelliri, alia Sacramenta ministrari*.

In præsenti Causa habenda quoque ratio est non tantum Decretorum generalium Sacræ Congregationis Rituum, sed etiam Constitutionum Synodalium Faventinæ Diœcesis, & legitimæ consuetudinis. Ad Constitutiones Synodales quod attinet, ex libro inscripto: *Constitutiones Synodales Emi Rossetti Episcopi Faventini*, Faventiæ 1676. sequentes particulæ extractæ afferuntur. Ex Synodo I. *Tit. de Sacrosanctis Ecclesiis cap.5.num.*13. = *In Ecclesiis Confraternitatum nulla defunctorum, etiam Sodalium, Cadavera sepeliantur, nisi id eis licere Privilegio, aut consuetudine ostendatur, & tunc functio sepeliendi spectet ad Parochum, sub cujus Parochia sunt, & non ad eorum Capellanum, sicut etiam omnes functiones Parochiales ad ipsum spectare decernimus, in quibus nullo pacto Capellani audeant se intromittere sub pæna arbitrio nostro imponenda*. Ex Synodo IX. *part.*2. *cap.*10. *num.* 21. = *Non extraneorum modo, sed ipsorum quoque Sodalium Cadavera in Ecclesiis, aut Oratoriis Confraternitatum sepeliri prohibemus, nisi de privilegio, vel legitima consuetudine in contrarium dilucidè constiterit; quo tamen jure sive ex privilegio, sive ex consuetudine uti non poterunt, nisi proprio Parocho (non vero Capellano Confraternitatis) Parochiales omnes functiones peragente, aliàs pæna Capellano constituta sit nostro arbitratu infligenda*. Ac tandem ex eadem Synodo IX.*part.*2.*cap.*10.*n.*3.= *Ante Missam Parochialem non celebretur Missa in Oratoriis Confratrum, ibidemque nullo modo sollemniter celebretur, nec Sacramenta ministrentur, vel hujusmodi ad Parochum de jure spectantia peragantur, absque nostra, Parochive ipsius expressa licentia*.

Ex his itaque Constitutionibus Synodalibus Faventinæ Diœcesis *functiones sepeliendi* Cadavera, quæ in Ecclesiis Sodalitiorum tumulantur, *spectant ad Parochum, sub cujus Parochia sunt* eædem Ecclesiæ; ad eumdem etiam Parochum spectare decernuntur *omnes functiones Parochiales* in dictis Ecclesiis peragendæ; ac demum in iisdem Ecclesiis *sol-*

lemniter celebrari, aut *Sacramenta ministrari*, vel *alia hujusmodi ad Parochum de jure spectantia fieri* prohibentur absque Episcopi, *Parochive ipsius expressa licentia*. Expendenda serio hæc sunt, ut dijudicari valeat, quid Parocho S. Jacobi, quid Capellano Confraternitatis S. Antonii Patavini tribuendum sit.

Præter Synodales Faventiæ Constitutiones habenda quoque est ratio *consuetudinis immemorabilis*, *vel saltem centenariæ* quam Sac. Rituum Congregatio servari mandavit. De hac porro immemorabili consuetudine Testimonium perhibent omnes ferè ejusdem Civitatis Parochi, qui sub Sacramenti fide testantur, in Ecclesiis Confraternitatum a respectivis Parochis, excluso Capellano earumdem Confraternitatum, sequentes functiones peragi, & emolumenta percipi consuevisse: 1. *delle funzioni funerali, che occorrono sopra li cadaveri portati ad esse Chiese da quale siasi parte, e Parochia della stessa Città, comprese anche l'ultime esequie, vulgo benedizioni prima di darli alla Sepoltura*: 2. *di dare la benedizione colla SS. Eucaristia esposta per le* 40. *Ore, o altra funzione, che possa farsi con l'esposizione di essa*. 3. *di cantare la Messa solenne con Diacono, e Suddiacono nelle feste di esse Chiese*. 4. *che tutti gl'avvanzi delle Cere, che hanno arso intorno ai Cadaveri esposti in esse Chiese si lucrano dai Parochi delle rispettive Parochie, nelle quali è situata la Chiesa della Confraternita; e così tutte le già dette funzioni si fanno da Noi altri Parochi privativamente à Cappellani di esse Confraternite, e da noi pure si lucrano le limosine destinate dalle Costituzioni Sinodali, e dalla consuetudine per simili funzioni. E questa tale è prattica tanto antica, che eccede la memoria di tutti gli Uomini viventi, ed è stata sempre inviolabilmente osservata senza contradizione alcuna dalle Confraternite, o dai Capellani di esse &c.* Id ipsum de Ecclesia Sodalium Tertiariorum S. Antonii Patavini deponunt in specie quatuor Testes, non quidem ex immemorabili, aut centenaria consuetudine, sed ab anno 1748., quo Patres Minores Reformati S. Francisci, *reservata sibi tantummodo spirituali directione ejusdem Sodalitii*, renunciarunt, ac restituerunt Ecclesiam ipsis Confratribus.

Denique dissimulandum non est, nonnullos Confratres ad præcavendum præjudicium Confraternitatis (quæ ut ait Episcopus in suis litteris ad Sac. Congregationem *non habet undè in integrum deperditam sortem restituat, tantum abest, ut Causæ expensis Loci Pii dici possint*] Episcopo supplicasse, ut EE. VV. referret damnum eidem Confraternitati obventurum, si hæc causa illius pecuniis ageretur. Hæc non inopportunè adnotanda erant, ut EE. PP. tutius dijudicare possent:

I. *An Capellano Confraternitatis Tertii Ordinis S. Antonii Patavini, vel alteri Sacerdoti a Confratribus pro libito destinando liceat benedicere populo occasione Expositionis SSmi Sacramen-*

menti, quæ fieri solet in Ecclesia ejusdem Confraternitatis in qualibet Feria 3., & per novem dies ante festum dicti Sancti in casu &c.

II. *An eidem Capellano, vel alteri Sacerdoti per Confratres destinando liceat occasione expositionis 40. Hararum in repositione SSmæ Eucharistiæ benedicere populo in casu &c.*

III. *An dictus Capellanus, vel alius Sacerdos possit in die festo S. Antonii Patavini, & in aliis festivitatibus Instituti ejusdem Confraternitatis, prout etiam in Anniversario canere Missam sollemnem independenter à Parocho in casu &c.*

IV. *An Parocho S. Jacobi ultra quartam funeralem debeatur alia portio ceræ quando Cadavera subditorum ejus Parochiæ tumulantur in Ecclesia dd. Confratrum in casu &c.*

V. *An idem Parochus habeat jus peragendi Funerales functiones in Ecclesia eorumdem Confratrum, quando Cadavera in ea tumulanda non sunt de illius Parochia, & an aliqua portio ceræ illi debeatur in casu &c.*

VI. *An liceat eisdem Confratribus in qualibet Feria 3. per totum mane illius diei asservare in Tabernaculo SSmam Eucharistiam ad effectum illam subministrandi Christi fidelibus in casu &c.*

Ad I., & II. Affirmativè. Ad III. Negativè, & serventur Constitutiones Synodales. Ad IV. Dilata, & coadjuventur probationes. Ad V. Quoad primam partem affirmativè, & serventur Constitutiones Synodales: Quoad secundam dilata, & coadjuventur probationes. Ad VI. Affirmativè de licentia Episcopi.

NOVARIEN. In Ecclesia Sac. Montis Calvarii, qui est prope Oppidum Domus Ossulæ, Cappellaniam instituit Anno 1680. Joannes de Cupis, & plura designata bona pro illius dote constituit. Plura etiam onera Capellano imposuit, scilicet residentiæ in Loco, necnon celebrationis Missæ ad Altare Majus illius Ecclesiæ singulis diebus festis de præcepto, exceptis festivitatibus B. Virginis, quibus Missam ad Altare S. Mariæ Lauretanæ celebrari mandavit. Onus etiam adiecit alterius Missæ qualibet feria V. cujuslibet hebdomadę celebrandæ in Sacello SSmi Sepulchri, ac insuper excipiendi Sacramentales fidelium Confessiones, & recitandi Litanias singulis diebus Sabbathi, vel si ea die concursus deficeret, singulis festivitatibus B. Mariæ Virginis, convocato prius Populo per sonitum Campanæ. Voluit etiam quod Capellanus esset Sacri Montis diligens custos, & Rector, *ac venerandam Fabricam modis omnibus promovere, & augere* curaret, cum consilio, & in-

Sess. 22. cap. 6., & 8., & Sess. 25. cap. 5. de Reform.

interventu aliorum Exequutorum. Capellaniæ patronatum reliquit Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ Domus Oſſulæ, & ſuæ voluntatis Exequutorem nominavit ipſum met Capellanum cum aliis duobus deputatis ab Epiſcopo eligendis.

Prævidit autem Fundator caſum, quo bona pro Capellaniæ dote aſſignata aut imminuerentur, aut deteriorationem ſubire poſſent, & in iſto caſu duo alia prædia ſubrogari mandavit, unum ſcilicet in Vocabulo *Mattarella*, quod pro majori Capellaniæ cautione, & in commodum Sacri Montis ſpeciali hypothecæ ſubiecit, alterum nuncupat *del Gerbiazzo*, quod tunc diſtrahi poſſe permiſit, quando aut neceſſitas urgeret, aut Fabricæ Sacri Montis expedire Ordinarius cognoviſſet. Præterea Annua ſcuta 25. Capellano conſignari præcepit, ut ſcuta 23. titulo elæemoſinæ traderet Religioſis Ordinis Cappuccinorum, reliqua vero duo pro ſe ipſo ratione incomodi, & curæ retineret. De aliis autem bonis hæc edixit = *Diſtrahi, ac alienari volo, ac mando, præhabita tamen facultate, ac norma ab Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo ne pretium in aliam cauſam convertatur, quam ad commodum Ven. Fabricæ Sacri Montis*.

Cum adhuc viveret Fundator actum fuit de erigenda Capellania in Canonicatum Collegiatæ Domus Oſſulæ, cum eadem dote, & reſervatione Patronatus favore Capituli, actumque etiam fuit de adijciendis Canonico aliis oneribus præter ea, quæ jam impoſita reperiebantur, nempe intereſſendi Miſſæ Conventuali diebus feſtis, Diaconi munere fungendi, & aſſiſtendi Capitulis, in quibus de negociis, etiam ad Sacrum Montem pertinentibus ageretur. Conventum tamen fuit ut ſi Canonicus in Sacro Monte reſidere ad ſua munia obeunda cogeretur, vel ob aliquod impedimentum Collegiatam adire non poſſet, punctaturis minime ſubiiceretur; Sed ſi negligens fuiſſet nonnihil de fructibus omitteret, ſi vero diligens, de quibuſdam officiorum proventibus participaret, ſoluta media annata ad formam Synodalium Decretorum.

Quamvis ante Canonicatus erectionem deceſſiſſet Fundator, nihilominus erectio ſequuta fuit anno 1681. non auctis, neque imminutis reditibus, & hoc pacto ad Annum uſque 1702. protracta. Eo autem Anno, occaſione Paſtoralis Viſitationis Canonicus tunc temporis Rector Epiſcopo Viſconti expoſuit tenuitatem fructuum, ac multiplicia ſui beneficii onera, quarum cauſa Choro intereſſe non poterat, & idcirco multas cogebatur amittere diſtributiones, quas lucrare potuiſſet. Addidit, Fundatorem morte præventum augere non potuiſſe Canonicatus dotem, prout animo præconceperat. Hinc Canonicatui petiit perpetuò uniri ſcuta 50., quæ jam triennio ante ſibi aſſignata aſſeruit ex fructibus prædii pro ſecuritate fructuum Capellaniæ ab ipſomet

met Fundatore destinati. Annuit hisce precibus Episcopus, edito die 22. Augusti 1702. rescripto = *Consito Nobis de tenuitate redituum beneficii ab Oratore possessi, attentis præcipuè incommodis, & gravaminibus eidem ex administratione dictæ hæreditatis, & incumbentiis provenientibus quoad Fabricam &c. superadditis oneri injuncto in erectione dicti beneficii, supplicanti ex facultate Nobis per dispositionem Testatoris competente, & omni alio meliori modo &c., assignamus ex hæreditate prædicta scuta 50. singulis Annis percipienda in compensationem laborum, & sedulitatis in Administratione bonorum Sacr Montis &c.*

Ex eo autem tempore Canonici Rectores eamdem summam singulis annis perceperunt, quin unquam de adimplenda venditione bonorum Fundatoris cogitaverint. Cum verò hodiernus Episcopus fundationem Canonicatus perlustrasset, aliasque scripturas in Archivo Sacri Montis diligentius perquisivisset, in Pastorali Visitatione Oppidi Domus Ossulæ habita anno 1770. mandavit Canonico Rectori, & Exequutoribus, ut statum tum activum, tum passivum ejusdem S. Montis conficerent, atque transmitterent, deindéque decrevit, ut pii Fundatoris bona venderentur, iis tantùm exceptis, quorum venditionem ipsemet Fundator prohibuerat. Timens ex his Sacerdos Franciscus Antonius Malavi Rector, ne augumentum sc. 50. nutaret, aut deperderetur, illius confirmationem a Sac. Congregatione supplex postulavit. Super hac petitione auditus fuit Episcopus, qui plura contra illam retulit maturiori examine nunc discutienda.

Advertit itaque Episcopus, nullimodè subsistere assertam a Rectore fructuum tenuitatem, cujus causa augumentum ab Episcopo Visconti obtinuerit, nec verificari præjudicium ex residentia in Sac. Monte, ob quam plures distributiones amittere dixit, cum Canonicatus sufficientibus reditibus sit ditatus, & Canonicus exemptus ex pacto sit a Chori servitio, quoties vel opportunitas, vel necessitas suadeat. Nihil ergo sive ex fundatione, sive ex erectione Beneficii in Canonicatum desumi, quod augumentum præseferre possit, cum iidem semper fuerint reditus, prout in fundatione, & erectione præfiniti extiterant. Hinc a veritate alienum esse quidquid in precibus Episcopo Visconti oblatis a Rectore tunc temporis fuit expositum, ac præcipuè falsum omninò dijudicari debere, quod Fundator Beneficii dotem augere cogitaverit, cum de hoc nullo modo constare valeat.

Observat, perperam ab Episcopo Visconti deventum fuisse ad augumentum scut. 50. *ex facultate Nobis per dispositionem Testatoris competente,* . . *Et in compensationem laboris, ac sedulitatis in administratione bonorum*, cum facultas pro augumento nullibi tributa legatur, & administratio bonorum Re-

Rectori cum aliis duobus Exequutoribus absque ullo emolumento demandata fuerit. Idque ex eo etiam clarius deprehendi putat, quod si pro cura tradendi singulis annis eleemosinam Religiosis Capuccinis, Fundator scuta duo Rectori assignavit, multò sanè magis peculiare emolumentum pro bonorum administratione constituisset, si illud ultra beneficii reditus assignare voluisset.

Quoties autem non constat de imminutione fructuum Beneficii, sustinet nil Beneficiato tribuendum præter quantitatem in fundatione eidem reservatam; Et quatenus etiam augumento locus esset, ad illud deveniri non posse affirmat, cum omnia ferè bona vigore sui decreti vendita jam fuerint, ut Fundatoris voluntas impleretur. Quare concludit = *Ex his manifeste conficitur, prætensionem moderni Canonici Rectoris nullo jure fulciri, ac proindè Voti essem, nullimodè ab EE. VV. confirmandam, & approbandam esse assignationem scut.50. ab Episcopo Vicecomite obtentam.*

Pastoralis Episcoporum sollicitudo in eo præcipuè versari debet, ut pia decedentium voluntas non fraudetur, eorumque dispositio adamussim impleatur. Ita planè statuit S. Gregorius Magnus in *Cap. Nos quidem de testam.*; cum enim Summo Pontifici nunciatum fuisset ab hæredibus cujusdam defunctæ Mulieris exequutam nondum fuisse erectionem Monasterii, quam ipsa testamento præscripserat, Episcopo Calaritano ita mandavit = *Volumus, ut Fraternitatis tuæ ædificetur studio, ordinatisque omnibus, res, atque reditus, qui relicti sunt per Te loco ipsi venerabili sine diminutione qualibet assignentur. Sic enim, & ante tremendum Judicem Tuum Sententiam remissionis effugies, & secundum piissimas leges dilatas Defunctorum pias voluntates Episcopali supplebis studio* = Ita etiam in *Cap. Tua Nobis eod. tit.* Episcopo Nomon. scripsit = *Tua Nobis Fraternitas intimavit, quod nonnulli tam Religiosi, quam Clerici Sæculares, & Laici, pecuniam, & alia bona, quæ per manus eorum ex testamentis decedentium debent in usus pios expendi, non dubitant aliis usibus applicare. Cum igitur in omnibus piis voluntatibus sit per Locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a Testatoribus id contingeret interdici, mandamus, quatenus Exequutores Testamentorum hujusmodi, ut bona ipsa fideliter, & plenarie in usus prædictos expendant, monitione præmissa compellas.*

Cohæret dispositio Concilii Tridentini *Sess.* 22. *cap.*8. *de Reform.*, ubi Episcopis expresse injungitur, ut *etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint Exequutores* = Super his autem verbis *in casibus a jure concessis* sa. mem. Benedictus XIV. *de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ult. num.*1. hæc animadvertit = *Quibus verbis innuitur ea facti species, qua alter in alterius supplementum datus fuerit*

Exe-

Exequutor = Hinc *Fagnan. in Comment. ad citat. cap. Tua Nobis num.* 2., *& seqq.* putat, Episcopum exequutorem esse piarum voluntatum, vel quando nulli sunt Exequutores in testamento designati, vel quando Exequutores post monitionem defuncti voluntatem adimplere negligant. Et clarius *eodem in loc. num.* 5. ait = *Itaque Episcopi non sunt generaliter, & indistinctè Exequutores piarum voluntatum, sed ad juris communis præscriptum, & sic in subsidium, idest cum nulli sunt Exequutores a Testatore deputati, vel si sunt, tamen moniti voluntatem Testatoris renuant adimplere, nisi in hunc quoque eventum Testator providerit sibi de alio Exequutore, ut dictum est supra, licet indistinctè jus habeant morosos Exequutores compellendi.*

Ex his proindè dijudicandum erit, an voluntati Fundatoris quidquam detractum fuerit per augumentum scut. 50. ab Episcopo Visconti anno 1702. factum, & an idem Episcopus rité potuerit hujusmodi augumentum decretò suo demandare. Ignoratur porrò undè nam eadem summa detrahatur, an scilicet ex reditibus prædii pro cautione, & securitate Beneficii a Fundatore destinati, seu potius ex aliis hæreditatis reditibus. Non satis constat, num beneficii reditus imminutionem passi fuerint, & qua de causa: Id autem falsum omninò asserit Episcopus, qui in eadem quantitate eos esse testatur, prout ab initio constituti fuerant. Videndum an expediat præfinitum ab Anno 1702. augumentum imminuere, aut tollere, vel potius auctoritate Sac. Congregationis sit confirmandum, quemadmodum hodiernus Canonicus exposcit, quo instante quæritur.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Scribatur Episcopo juxta instructionem.

LEODIEN. Statuta Collegiatæ Ecclesiæ S. Adalberti Civitatis Aquisgranæ præcipiunt, ut quilibet Canonicus, dum Canonicatus possessionem assequitur, *jure*, quod dicitur *receptionis*, persolvere debeat in beneficium Fabricæ Ecclesiæ scuta 36. monetæ Romanæ, & hæc solutio duplicari etiam solet, si novus Canonicus resignationem Canonicatus obtinuerit ab alio, qui jura receptionis non persolverit. Cum anno 1708. Capituli reditus adeo decrevissent, ut necessaria Canonicis deesset sustentatio; idcircò Capitularibus Comitiis resolutum fuit, ut quicumque in posterum Canonicatus, vel Præbendas obtinuisset, præter dictam præstationem, quam *jura ordinaria* appellarunt, persolvere etiam teneretur *jura extraordinaria*, nempe *Sess. 24. cap. 14. de Reform.*

summam biscentum Imperialium in censibus, vel bonis stabilibus collocandam, quorum fructus loco quotidianarum distributionum inter Inservientes dividerentur. Hujusmodi Capitularem resolutionem confirmavit anno 1709. Nuntius Coloniensis, & præfinitam solutionem per annos dumtaxat 50. servari mandavit, quam tamen postea clar. mem. Cardinalis Oddi cum Apostolici Nuntii munere in Colonia fungeretur, ad alios annos 50. protraxit.

Canonicatum memoratæ Ecclesiæ S. Adalberti favore Guillelmi Josephi Dubois resignavit quidam nomine Vvathor, qui illius resignationem a Canonico Gillard obtinuerat. Cum tamen neuter jura receptionis persolverit, idcirco Capitulum antequam dictum Dubois ad possessionem Canicatus admitteret, triplicatam solutionem jurium tam *ordinariorum*, quam *extraordinariorum* ab eo postulavit. Renuente autem eodem Dubois triplicatæ huiusmodi præstationi sese subjicere conventum inter Partes fuit, ut super Capituli petitione sapientissimum EE. VV. judicium exquireretur.

Inquiunt Capituli Defensores, Statuto, vel consuetudine fieri posse, ut Canonicus noviter admittendus adigi valeat ad solutionem alicujus summæ, in pios usus erogandæ *Guttier. Canonic. quæst. lib. primo cap. 29. num. 26.*, *Garzias de Benefic. part. 18. cap. 1. num. 85.*. Asserunt præterea, tum in Ecclesia Collegiata S. Adalberti, tum etiam in aliis Collegiatis Diœcesis Leodiensis consuetudine receptum esse, & diuturna observantia firmatum, ut novi Canonici jura receptionis in certa summa persolvant, quæ in augumentum Divini cultus erogetur, & hujusmodi solutionem duplicari etiam solere a Resignatario, si Resignans receptionis jura non persolverit, eademque ratione triplicari quoque debere, quoties plures Resignantes in solutione defecerint. Hinc arguunt, nonnisi perperam Canonicum Dubois denegare triplicatam jurium solutionem, cum ipse Canonicatum obtinuerit a duobus aliis resignatum, quin illius possessionem adepti fuerint, nec jura receptionis persolverint *Cap. Consuetudo distinct. 5.*, *Gibell. de Jur. Canon.*, *& Eccles. tom. 2. lib. 6. cap. 2. quæst. prima num. 3.*

Nec obesse, quod diversus sit jurium sive *ordinariorum*, sive *extraordinariorum* usus, cum illa in beneficium fabricæ Ecclesiæ, hæc verò in quotidianas distributiones erogentur. Respondent enim utraque jura in Ecclesia S. Adalberti sub nomine *jurium receptionis* comprehendi, nec diversum illorum usum id importare, ut ejusdem rei qualitas, & natura immutata censeatur: Præsertim quia nulla lege cautum reperitur, ut ea tantùm sint *jura receptionis*, quæ pro fabrica Ecclesiæ persolvuntur: Cumque antiquæ solutioni, alia

alia postea legitima Superioris auctoritate adjecta fuerit, hanc etiam primevæ solutionis qualitates assumpsisse contendunt *Rot. in Tuden. Parochialis de Tenton. super pertinentia Parochialis 12. Martii 1756. §. 13. coram Bussio, & in Sabinen. annuæ Præstationis 13. Februarii 1758. §. 5. coram Rmo Ratta.*

Et minus rectè opponi sustinent, quod nullum afferatur exemplum duplicatæ, aut triplicatæ solutionis *jurium extraordinariorum*, cum solutio jurium ordinariorum præbeat argumentum pro juribus extraordinariis, & deficientia exempli tribui debeat casui, qui non nisi raro evenire solet. Advertunt insuper hujusmodi exempli deficientiam tunc solùm Canonico Dubois prodesse posse, quando contrariam consuetudinem ipse probaret; putant enim Capitulo S. Adalberti sufficere probationem consuetudinis quoad actus magis frequentes, ut ea aptetur etiam casibus, qui raro admodùm contingunt *Rot. in Leodien., seu Colonien. Jurisdictionis 8. Maii 1752. §.4. cor. Bussio.*

Canonicus Dubois nihil hactenus deduxit. Nuntius Apostolicus Coloniensis testatur de consuetudine vigente tam in in Ecclesia S. Adalberti, quam in aliis Collegiatis Civitatis Leodiensis quoad modum percipiendi jura receptionis, atque existimat *Capitulum contentum esse debere de juribus duplicibus ordinariis, & simplicibus extraordinariis.*

Allegat Capitulum S. Adalberti resolutionem anni 1708., nec non consuetudinem, qua constat *jura ordinaria* aliquando simpliciter, aliquando verò duplicatè fuisse soluta. Videndum an hæc trahi possint ad præsentem casum, quo juxta petitionem Capituli agitur de triplicata solutione *juris* tum *Ordinarii*, tum *extraordinarii*. Post annum 1708., quo tempore jura *extraordinaria* fuerunt introducta, accidit factum cujusdam Canonici Schillinges, qui cum pulsatus fuisset pro duplicata jurium solutione, obtulit per modum transactionis duplicatam solutionem jurium ordinariorum, & simplicium extraordinariorum, atque ulterius donum gratuitum Ecclesiæ applicandum, & hanc oblationem acceptavit Capitulum, sine ullo in similibus casibus præjudicio.

Non graventur Emi PP. declarare.

An, & quomodo sint solvenda emolumenta, sive jura tam ordinaria, quam extraordinaria receptionis in casu &c.

Non proposita, cum sequentibus.

NUL-

Seff. 22. cap. 8. de Reform.

NULLIUS LEPRINIANI CAPELLANIÆ. Poſtquam Clericus Carolus Cardari auctoritate Sac. Congregationis ſibi vindicaverat Capellaniam inſtitutam a Joanne Annelo Cardari, ad quam anno 1759. nominatus fuerat a Sodalibus S. Mariæ Angelorum Lepriniani, denuò in judicium vocatus fuit ab iiſdem Sodalibus contendentibus Capellaniam nonniſi a Sacerdote poſſe retineri, proindeque dictum Clericum Carolum cogendum eſſe aut ad illam dimittendam, aut ad Sacros Ordines ſuſcipiendos. Actum hac de re fuit in poſtrema Congregatione diei 12. elapſi menſis Junii, & in folio ea die diſtributo relatæ fuerunt rationes tum a Sodalibus, tum ab eodem Clerico deductæ. Propoſito autem dubio = *An Clericus Carolus Cardari teneatur ſuſcipere Sacros Ordines in caſu &c.* = reſponſum fuit = *Affirmativè* =

Quamvis dictus Clericus ſuum libellum dederit pro extenſione folii, illum tamen EE. VV. exhibere prætermiſit. Hinc ratus ſuorum jurium experimentum facere, adverſus captam reſolutionem audiri poſtulavit, & nova præſentis cauſæ propoſitio conſenſientibus Partibus hodierna die fuit præfinita. Cum autem Collitigantium jura expoſita fuerint in præcedenti folio, quod opportunè reſumi poterit, nec quidquam addendum videatur iis, quæ jam perpenſa ſunt, idcircò rogantur Emi PP. definire.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Seff. 22. cap. 1. de Reform.

FULGINATEN. MISSÆ PAROCHIALIS. In Sacrario Collegiatæ Eccleſiæ SSmi Salvatoris Civitatis Fulginei publica extat Miſſarum Tabella, in qua ejuſdem Collegiatæ Priori, cui Animarum cura adnexa eſt, onus injunctum legitur celebrationis Miſſæ ſingulis diebus Dominicis, & qualibet feria II. cujuslibet hebdomadæ, pro reliquis verò diebus Miſſarum onus aliis Canonicis impoſitum noſcitur. Conſueverunt prædeceſſores Priores Miſſam diebus Dominicis celebrare tanquam Parochi, in feriis autem ſecundis uti Priores. Dubitans tamen Sacerdos Chriſtophorus Marcelli hodiernus Prior, & Parochus, an hoc modo ſatisfactum remaneat oneri celebrationis Miſſæ Parochialis a Tridentina Synodo, & a Benedictina Conſtitutione iis præſcripto, qui Animarum Curam exercent, id ipſum ab EE. VV. declarari poſtulat, ut conſcientiæ ſuæ conſulat, & tutam agendi rationem ſucceſſoribus proponat.

Super hac petitione auditus fuit Epiſcopus, qui in ſuis Litteris ad Sac. Congregationem datis refert, onera Miſſarum, quæ tum a Priore, tum a Canonicis Collegiatæ SSmi Salvatoris adimplentur, traſcripta indiſtinctè reperiri, abſque ulla

ulla five teftamenti, five Donationis, five Legati adnotatione, & absque ulla temporis, aut Notarii mentione, in quadam pervetufta tabella ufque ab anno 1612. exarata, quæ in Sacrario ejufdem Collegiatæ palam expofita confpicitur, & in nonnullis Epifcoporum vifitationibus, ex quibus dicta Tabella defumpta fuit. Addit nullimodè erui poffe, an Prior diebus Dominicis five pro ovibus fuis, five ob aliam caufam Miffam celebrare teneatur, cum prædeceffores Priores Miffarum celebrationem fimpliciter, & absque ulla defignatione adnotaverint in Libris ad id deftinatis, & ab anno 1643. confectis. Ac demum rationes exponit, ob quas hodiernus Prior exiftimat, fuos anteceffores diebus quidem Dominicis *uti Parochos* Miffam pro Populo applicaffe, in feriis vero fecundis *uti Priores*.

Primo, inquit, *quia fi Miffarum Tabella fit attendenda, quemadmadum finguli Canonici unam Miffam certa hebdomadæ die debeant celebrare, ita Orator uti Prior in qualibet feria fecunda jam celebrat. Neque fatis intelligere profitetur, quam ob caufam quotiefcumque diebus Dominicis Sacrificium pro ovibus neutiquam offeratur, duplex onus fubire uti Prior debeat, eaque propter in fubeundis oneribus Prioris conditio non veniat Canonicis faltem comparanda. Canonicis quidem titulo dumtaxat, & præcedentia excellit; fi tamen Oratorem refpicias uti Parochum iifdem Canonicis eft major, cum, & actualis, & habitualis Animarum cura fit Priori omninò commiffa; ideoque in qualibet feria fecunda fe Canonicis æquando uti Priorem, diebus verò Dominicis eofdem Canonicos exuperando uti Parochum pro ovibus Miffam applicare Orator dijudicat.*

Secundò, quia a nullo unquam Ordinario, aut Sacras peragente Vifitationes, aut Miffarum recenfente onera fuit applicatio pro ovibus decreta, atque pronunciata, cui profectò applicationi ne Epifcopus Jofaphat Baptiftellius quidem confuluit; qui tamen in Diœcefana Synodo multò ante Benedictinam Conftitutionem celebrata, & prævio iftius met Sac. Congregationis examine propter acerrimam univerfi Cleri contradictionem typis deinde commiffa in Cap. VII. §.7. ita decreverat = *Verum fruftranea effet refidentia Parochorum nifi etiam verbo Dei, & Sacramentis Oves fuas pafcerent; ideo omnes faltem quolibet die fefto de præcepto, quo Parochiani Miffam audire tenentur, in propria Parochiali hora Populo comodiore in ullius privati gratiam non invertenda, eam celebrare non omittant, illamque pro Ovibus fuis, five habeant, five non habeant congruam omninò applicent, abfque eo quod pro tali Miffa eleemofinam accipere, aut illam pro aliis applicare valeant.*

Ex his inferri, dicit, ab hodierno Priore, tam Epifcopum Baptiftellium, quam alios Fulginatenfes Epifcopos in ea fuiffe fententia, ut Miffa ad præfcriptum Tabellæ diebus Dominicis celebranda pro ovibus applicata fuerit, & applicari debeat; alioquin Epifcopi, & præfertim Baptiftel-

stellius aut in Pastoralibus Visitationibus, aut in recensendis Missarum oneribus, hujusmodi applicationi consuluissent. Post hæc subdit nihil prorsus inveniri de fundatione Paræciæ, & Prioratus, unde intelligi valeat quid cautum fuerit de Missa diebus Dominicis applicanda.

Capitulum Collegiatæ quod S Congregatio audiri mandavit, nihil hac super re aut apponendum, aut animadvertendum censuit.

Præter ea, quæ in Episcopi relatione continentur, juvat etiam adnotare, Tabellam, de qua superius sermo habitus est, sic inscribi = *Tabella, in qua continentur, quæ pertinent ad Ecclesiam Collegiatam, & Parochialem Sancti Salvatoris* = & in ea recenseri onera Missarum cuilibet Canonico inhærentia, ac in primis de Priore sic legi = *Admodum R. D. Cherubinus Barnabò Prior tenetur celebrare die Dominico, & die Lunæ* = postea vero pro aliis hebdomadæ diebus singulos Canonicos numerari.

Sacrosanctum Missæ Sacrificium ab Animarum Pastoribus applicandum pro Populo ipsorum curæ commisso, expresse præscribit Tridentina Synodus *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* Exortis autem super hoc pluribus controversiis, sa. mem. Benedictus XIV. ad eas penitùs præcidendas, notissimam anno 1744. edidit Constitutionem incipien. *Cum semper oblatas*, qua declaravit gravissimo huic oneri satisfieri minimè posse, nisi ii, qui Animarum curam exercent Sacrificium Missæ pro Populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum festis diebus de præcepto. Videndum igitur an hujusce legis præscripto satisfaciat Prior Collegiatæ SSmi Salvatoris, dum diebus Dominicis Missam celebrat vigore oneris descripti in Tabella, in qua tamen nulla de applicatione legitur expressio. Ponderandum, an celebratio diebus Dominicis Priori injuncta præseferre possit adimplementum oneris inhærentis Animarum Pastoribus, quamvis hujusmodi onus non solùm Dominicis, sed singulis per annum festis diebus impositum dignoscatur.

Hisce perpensis dignabuntur Emi PP decernere.

An Prior Collegiatæ Ecclesiæ SSmi Salvatoris per celebrationem Missæ diebus Dominicis juxta Tabellam possit satisfacere oneri Missæ pro Populo in casu &c.

Sess. 14. *cap.* 7. *de Reform.*

MARIANEN. IRREGULARITATIS. Quidam Simon Paulus odio prosequebatur Sacerdotem Petrum Philippum Perfetti, quem cum die 10 Februarii 1765. invenisset in via, illum sclopo armatus aggressus est, & ad necem usque lacessivit; Sacerdos verò, qui, & ipse armatus incedebat, nec ab aggressore aufugere poterat, prout

prout Vicarius Generalis testatur, Sclopum explosit, dictumque Simonem Petrum lætaliter vulneravit, qui sequenti die occubuit. Curia Episcopalis statim in Sacerdotem Perfetti inquisivit, ejusque bona proscripsit; sed cum postea Phisci Promotor ab ulteriori causæ prosequutione cessaverit, idcircò Sacerdos a pæna absolutus remansit. Nunc autem obtenta a defuncti Consanguineis venia, supplicat pro dispensatione ab irregularitate, ne ab Altaris ministerio diutius arceatur.

Sustinet a qualibet irregularitatis nota eum censeri immunem, qui vim vi repellendo suum aggressorem occiderit ad *Text. in Clement. si furiosus de homicid.*, *Rot. cor. Panimoll. decis.* 48. *num.* 14., *&* 26., nec irregularitatem incurrere Sacerdotem, etiamsì in ipso actu celebrationis Missæ, ut mortis periculum evadat, invasorem interfecerit *Pignatel. consult.* 20. *num.* 2., *Bellect. disquisit. Cleric. part.* 1. *tit. de disciplin. Cleric.* §. 5. *num.* 117. Necessarium verò fuisse dicit homicidium, cum non animo vindictæ, neque ex præconcepto odio, sed ad sui defensionem, & ad propriam vitam tuendam sclopum exploserit. Nilque obesse, quod, & ipse arma gestaret, nec fines inculpatæ tutelæ servaverit: Respondet enim, tueri se debuisse ab insidiis sui inimici, atque ex testimonio proprii Ordinarij, & ex depositione Parentum defuncti satis compertum esse, in talibus constitutum fuisse circumstantiis, ut sine evidenti periculo fugam arripere, & a fatali conflictu abire non posset. Cæterùm in quocumque casu denegandam sibi non esse putat dispensationem post diuturnam plurium annorum pænitentiam, peractamque cum Populi ædificatione vitam Ecclesiastico viro non indignam.

Vicarius Generalis, absente Episcopo, omnia confirmat, & Oratorem hostem interfecisse dicit, *dum sibi mortem minitabatur, ita ut terga vertere non posset sine magno, & evidenti vitæ periculo*. Testatur etiam tum de satisfactione Partis, & Phisci, tum de Oratoris honestate, bonisque moribus, eumque dignum existimat, *ut ab Irregularitatis vinculo dissolvatur*.

Concilium Tridentinum *Sess.* 14 *cap.* 7. *de Reform.* postquam voluntarium homicidam ab Altari perpetuò arcendum decrevit, hæc habet = *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur . . . . committitur Loci Ordinario . . . quod nonnisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare possit*. Ad tramites istius Conciliaris dispositionis, Sac. hæc Congregatio, quoties actum fuit de dispensatione ab Irregularitate ex homicidio, sedulò expendendas censuit circumstantias, ex quibus deprehendi posset, an homicidium voluntarium fuerit, seu potius casuale, ac ad propriam defensionem, &

cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut videre est *in Thesauro Resolutionum*, ubi hujusmodi causæ frequentius occurrunt.

Has autem circumstantias fusius recenset *Fagnan. in Cap. Henricus de Cleric. pugnan. in duello*, ubi ait perpendendum esse, *An homicidium commissum fuerit per industriam, seu præmeditatè, & per insidias: An occidens fuerit rixæ auctor, vel provocatus*: Præterea quantum tempus excesserit a die patrati homicidii, an Orator fuerit bonæ conditionis, & famæ, & laudabiliter vixerit, & hujus generis alia. In præsenti casu exponit Sacerdos Perfetti, patratum a se fuisse homicidium ad propriæ vitæ defensionem, & huic assertioni cohæret depositio Patris, & Fratrum defuncti, qui professi sunt *aver avuto principio il detto incontro dal predetto Simon Paolo, che con spari di Fucile di ambe le parti restò colpito, e morto il detto Simon Paolo dal detto Prete Pietro Filippo Perfetti, che per suo unico riparo a tanto l'indusse*. Consona quoque est relatio Vicarii Generalis, qui de bonis Oratoris moribus testatur, eique favet.

Quæritur ergo

An sit locus dispensationi ab Irregularitate in casu &c.

Sess. 12. cap 6., & sess. 25. cap. 4. de Reform.

AMERINA REDUCTIONIS, ET DISPENSATIONIS. In Parochiali Ecclesia Castri Pinnæ, Bartholomæus Jannuzzi Capellaniam instituit sub titulo Divi Antonii Patavini, cum onere duarum Missarum singulis hebdomadis, ejusque Patronatum transtulit in Vincentium Armillei, & Liviam Costantini Conjuges, qui decursu temporis tum illius redditus, tum etiam onera auxerunt. Nonnulla enim propria bona per actum inter vivos eidem Capellaniæ donarunt, & Capellano injunxerunt, ut *teneatur, & debeat residere in dicto Castro Pinnæ, & debeat ipse celebrare, seu celebrari facere Missas tres in qualibet hebdomada, unam in die Dominico, aliam in die Lunæ, & aliam ad beneplacitum dicti Capellani, & teneatur facere duo Officia, unum scilicet in Festo S. Antonii, & alium pro Defunctis ad beneplacitum dicti Capellani in quolibet anno in perpetuum donec Mundus durabit, & in quolibet Officio debeat, & obligatus sit celebrare facere Missas decem, & manutenere, & conservare paramenta, & ornamenta.*

Hujusmodi Capellania collata fuit Laurentio Geraldini Presbytero Congregationis Missionis, qui ejus titulo ad Ordines fuit promotus. Hic autem a Castro Pinnæ abesse cogitur, & stipendium persolvere debet alteri Sacerdoti, qui in designata Ecclesia Missarum oneri adimpleat. Verùm Capel-

Capellaniæ reditus pro integra stipendii solutione non sufficiunt: siquidem ob sequutam a longo jam tempore bonorum deteriorationem nil aliud ex iis retrahi potuit, quam summa scutorum 15., prout patet ex authentico inventario usque ab anno 1725. exarato; pro stipendio autem Sacerdotis, qui Missas celebret Capellanus rependere tenetur annua scuta 17. 46.; illudque etiam gravius accedit, quod ob exiguum in Castro Pinnæ Sacerdotum numerum, nullus eo in Loco reperiri potest, qui oneribus Capellaniæ satisfaciat, & si aliquis hac de causa evocandus sit Sacerdos è Civitate Amerina, quæ sex milliariis distat, stipendium in duplo augeri debet.

In his ergo circumstantiis hodiernus Capellanus, qui nec Capellaniam dimittere potest, ne suspensus remaneat, nec in Castro Pinnæ commorari, supplicat vel pro translatione Missarum ad Ecclesiam Minorum Conventualium Civitatis Amerinæ, ubi Fundatorum cadavera tumulata sunt, vel pro onerum reductione.

Episcopus, qui redituum imminutionem confirmat, & testatur etiam de exiguo Sacerdotum numero in Castro Pinnæ, Oratoris instantiam vel pro translatione, vel pro reductione justam existimat: Deinde hæc ait = *Quatenus translationi locus esse debeat, eo casu designanda foret Ecclesia Minorum Conventualium hujus Civitatis. Ibi namque piorum Institutorum cineres, ossaque conquiescunt. Pro mea tamen sententia, Animabus Castri Pinnæ, menti Institutorum, & sacris ipsis sanctionibus magis accommodatam censerem Missarum reductionem, quæ eleemosinæ respondeat scut. 60. pro qualibet Missa quotidiana. Satis namque evincitur, eosdem Testatores voluisse potius prospicere Pinnensium commodo, quam sibi, seu eorum suffragiis. Iidem Capellaniam constituerunt, se tamen sepelliri mandarunt in Ecclesia Minorum Conventualium. Capellano potestatem fecerunt Missas celebrandi per alium, & apertissimè ei injunxerunt firmam residentiam; quod onus quis neget totum spectare quandam Pinnensium facilitatem, ne, prout fit in cæteris Pagis, bono carerent alterius Sacerdotis, adeoque commodo plures Missas habendi, Dominicis præsertim diebus, quos dies insuper expresse præfinivere.*

Post hæc advertit neque Oratorem, neque Capellanos prædecessores unquam in Castro Pinnæ resedisse. Ac demum ita concludit = *Cumque Orator Presbyterorum Sæcularium Congregationi nomen dederit, neque moram habere in Castro Pinnæ, neque valet se Capellania abdicare, ne fiat suspensioni obnoxius, propterea quod eam loco patrimonii habet. Qua de re attenta tam gravi redituum imminutione, & tenuitate, pro summa, qua EE. VV. pollent potestate, quatenus eisdem videatur, æquissimum crederem, ut eumdem Oratorem ab onere residentiæ liberarent, & Missarum reductionem concederent ad rationem eleemosinæ obulorum decem & septem pro qualibet Missa.*

Conveniunt Doctores, quod dum agitur de Missarum translatione, Testatorum dispositio præcipuè spectari debeat; num scilicet Animæ suffragium, vel Populi commodum; aut Ecclesiæ decorem primariò respexerint; In primò enim casu facilius, justa tamen concurrente causa, translatio conceditur, quia quacumque in Ecclesia Missæ celebrentur, idem semper habetur suffragium, quod Defunctis eodem modo prodest *Fargn. de Jurepatr. part. 1. tom. 1. commen. 6. cas. 4. num. 2.*, *Mantica de conject. ultim. volunt. lib. 6. tit. 14. num. 18.*, *Rota coram Seraphin. decis. 1149. num. 10.* In secundo verò casu nonnisi rarò, ac difficillimè translatio permittitur, ob specialem Testatoris erga Ecclesiam devotionem, aut ne Populus alterius Missæ commodo, & utilitate fraudetur *Farg. loc. citat. num. 1.*, *Navar. consil. 14. de Testam. num. 10.*, Sacra Congregatio in *Cremonen. Erectionis Collegiatæ 26. Martii 1695.*, in *Derthonen. translationis Capellaniæ 9 Februarii*, & in *Cervien. translationis piorum onerum 18 Maji 1715.* Habenda igitur præ oculis est superius transcripta dispositio, & seriò ponderandum, an ea locum habeant, quæ in sua relatione Episcopus animadvertit.

Ad reductionem quod attinet, hæc denegari non solet quoties de redituum imminutione constat, & nisi onera per contractum acceptata, aut bona pro Capellaniæ dote *demonstrativè* relicta fuerint. Observandum in præsenti casu, fructuum decrementum a longo jam tempore sequutum fuisse, prout deprehenditur ex inventario anno 1725. exarato. Denique, quod spectat ad residentiam notandum, eam nec a Capellanis prædecessoribus fuisse servatam, quemadmodum refert Episcopus, nec servari posse ab hodierno Capellano, utpote quia inter Presbyteros Congregationis Missionis adscriptus sit.

Dijudicandum proinde erit ab EE. VV.

I. *An, & quomodo sit locus translationi, seu potius reductioni Missarum in casu &c.*

II. *An favore Sacerdotis Laurentii Geraldini sit locus dispensationi a residentia in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 7. Augusti 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

IN amplissimo EE. VV. Consessu habito die 17. elapsi mensis Junii definiri non potuerunt Causæ, quæ aliis in præsenti folio relatis præmittuntur.

LEODIEN.

An, & quomodo sint solvenda emolumenta, sive jura tam ordinaria, quam extraordinaria receptionis, in casu &c. *Sess. 24. cap. 14. de Reform.*

Affirmativè juxta votum Nuncii Apostolici.

NULLIUS LEPRINIANI CAPELLANIÆ.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c. *Sess. 22. cap. 8. de Reform.*

In decisis, & amplius.

FULGINATEN. MISSÆ PAROCHIALIS.

An Prior Collegiatæ Ecclesiæ Sanctissimi Salvatoris per celebrationem Missæ diebus Dominicis juxta Tabellam possit satisfacere oneri Missæ pro Populo, in casu &c. *Sess. 23. cap. 1. de Reform.*

Affirmativè, ita tamen ut teneatur etiam aliis diebus Festis applicare Missam pro Populo ad formam Constitutionis san. mem. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*.

MA-

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

MARIANEN. IRREGULARITATIS.

An sit locus dispensationi ab Irregularitate, in casu &c.

Negativè.

Sess. 22. cap. 6., & sess. 25. cap. 4. de Reform.

AMERINA REDUCTIONIS, ET DISPENSATIONIS.

I. *An, & quomodo sit locus translationi, seu potius reductioni Missarum, in casu &c.*

II. *An favore Sacerdotis Laurentii Geraldini sit locus dispensationi a residentia, in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

Sess. 24. cap. 18. de Reform.

EUGUBINA JURISDICTIONIS. In Litteris Apostolicis sa. me. Innocentii X. amplissima tributa legitur facultas Emo Cardinali pro tempore Protectori Ecclesiæ D. Agnetis in Platea Agonali administrandi, regendique in spiritualibus, & temporalibus tum Ecclesiam S. Sebastiani propè, & extra muros Civitatis Alatrii, tum etiam suppressum Monasterium S. Benedicti de Monte Polio, seu de S. Benedicto Veteri Diæcesis Eugubinæ, nec non deputandi Capellanos ad nutum amovibiles, & eligendi, confirmandique personas ad vacantia ibidem beneficia, absque ulla Episcoporum licentia, immò *illis quomodocumque invitis, & reclamantibus*. Cum igitur vigore istarum facultatum Emus Cardinalis Pamphilius Ecclesiæ D. Agnetis vigilantissimus Protector nuper devenire cogitaverit ad electionem Vicariorum vacantium Parochialium S. Benedicti Veteris, & S. Crucis de Morena, credidit Episcopus Eugubinus, jura sua ex hoc admodum lædi; quare laudatus Emus Protector veritus ne quid minus accurate, diligenterque perageret, suspensa Vicariorum electione censuit duos interim in iisdem Parochialibus Œconomos constituere, donec Sac. Congregationis ea de re judicium accederet.

Itaque septem super hujusmodi controversia propositis dubiis, descripta primùm fuit causa in folio diei 13. præteriti mensis Martii, ibique fusius relatæ fuerunt rationes pro parte Emi Protectoris adductæ. Siluit tamen Defen-

for

ior Promotoris Fiscalis Curiæ Episcopalis Eugubinæ usque ad diem 8. Maii, quo causæ propositio imminebat; tunc autem libellum edidit, cujus examen ad hodiernam diem protractum fuit, ut maturè perpensis, libratisque hinc inde juribus definitio prodeat, quæ futuris etiam temporibus certam agendi normam, ac regulam præbeat.

Nihil quoad I. dubium obiicit Promotor Fiscalis. Fatetur enim, jus competere Emo Protectori Ecclesiæ S. Agnetis eligendi, ac deputandi Vicarios Curatos in Ecclesiis, de quibus agitur, non tamen vigore Brevis fa. mem. Innocentii X., sed ex *consuetudine*, atque ex *observantia*.

Ad II. verò contendit, Parochiam S. Benedicti Veteris esse amovibilem, Vicariam autem S. Crucis de Morena, & Prioriam S. Petri de Salia esse perpetuas; idque constare dicit ex pluribus actis, quibus qualitas amovibilitatis Ecclesiæ S. Benedicti, & aliis Ecclesiis S. Crucis, ac S. Petri qualitas perpetuitatis adiecta noscitur. Non igitur fas esse putat perpetuitatem iisdem Ecclesiis tollere, tum quia hæc magis conformis est dispositioni juris communis requirentis deputationem Vicariorum, qui perpetui sint, in Parochialibus unitis alicui Dignitati, Ecclesiæ, aut Monasterio *Cap. Extirpandæ §. Qui vero de Præbend.*, *Cap. unic. de Capell. Monach.*, *Gonzal. ad reg.* 8. *glofs.* 5. *§.* 3. *num.* 10., tum etiam quia etiamsì eædem Ecclesiæ amovibiles olim fuissent, nihilominus qualitas perpetuitatis per annos supra centum servata, illarum qualitatem, & statum immutavit, cum ad immutandum statum beneficii lapsus annorum tantum 40. sufficiat *Cap. Cum de benef. de Præben. in 6.*, *Rot. in Recen. dec.* 465. *num.* 6. *part.* 4. *tom.* 2.

Maximè quia centenaria coniuncta fuit cum scientia, & consensu interesse habentium, idest Cardinalium pro tempore Protectorum, qui in nominatione, & præsentatione ad easdem Ecclesias qualitatem *perpetuitatis* expresse retulerunt, quo casu etiam sola quadragenaria tribuit titulum coloratum *Piton. discept. Eccles.* 112. *num.* 43. *tom.* 4.. Atque insuper accessit adprobatio, & institutio Episcopi, qui per spatium temporis centenariam excedens titulum *perpetuitatis* Parochis attribuit.

Nec adversus hujusmodi centenariam obiici posse Breve fa. mem. Innocentii X. facultatem tribuentis Cardinalibus Protectoribus amovendi Vicarios. Respondet enim, eam esse vim centenariæ, ut illius vigore optimus quicumque titulus allegari possit, videlicet vel renunciatio amovibilitati, vel conventio auctoritate Apostolica roborata, vel novum privilegium a Summo Pontifice impertitum *Rot. coram Kaunitz dec.* 117. *num.* 28., *&* 29., *& coram Falconer. de union. benef. dec.* 6. *num.* 16.

Præ-

Præmittit ad III., examen præeicendorum ad Ecclesias Parochiales fieri debere ab Episcopo per Examinatores Synodales *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.* idque procedere non solum quoad loca simpliciter exempta absque *Territorio separato*, & qualitate *Nullius*, sed etiam quoad Loca, quæ sunt verè *Nullius*, & *Territorium* habent *separatum*, quoties Prælato inferiori deest jus congregandæ synodi, eligendique Examinatores synodales *Barbos. in d. loc. Concil. Trident. num.* 28., *Piton. discept. Eccles.* 95. *num.* 29. *tom.*3., *Rot. coram Falconer. de Offic. Ordin. dec.* 10. *num.* 33., idque locum sibi vindicare sive examen fiat per concursum, sive absque formali concursu *Barbos. idid. num.* 16., *Card. de Luc. annot. ad Concil. disc.* 32. *num.* 35.

Neque officere auctoritates, quæ in oppositum allegari possent, cum eæ licet ex *unione*, & *manualitate* beneficiorum Parochialium statuant, hujusmodi beneficia conferenda esse absque formali concursu, supponunt nihilominus, & apertè asserunt, examen coram Episcopo esse peragendum *Rot. dec.* 204. *num.* 1. 10., & 12. *coram Ratto*. Hinc arguit, Vicarios deputatos ab Emo Protectore examinandos esse ab Examinatoribus Synodalibus Diæcesis Eugubinæ, cum Emus Protector nec jus habeat convocandi Synodum, & Examinatores Synodales eligendi, nec Territorium habeat separatum, & cum qualitate *Nullius*, immò in ipso Pontificio Brevi Ecclesiæ, de quibus agitur, appellantur *Diæcesis Eugubinæ*, tam in parte narrativa, quam in dispositiva.

Provocat iterum ad observantiam, ex qua desumi sustinet, nonnisi ab Episcopo Eugubino examinatos fuisse quotquot ad Curam Animarum in iis Ecclesiis præfici debuerunt. Id autem non *delegata*, sed *ordinaria* auctoritate factum affirmat, quia Alexander Sperellus Episcopus Eugubinus anno 1667. ad Curam Saliæ, & anno 1670 ad Vicariam S. Crucis de Morena Præsbyterum quemdam *ordinaria auctoritate* confirmavit, approbavit, & instituit, & hoc ipsum, deficiente contraria Episcoporum declaratione, in successivis vacationibus evenisse existimari debet. Addit, Cardinales Protectores in suis litteris testimonialibus exposuisse tantummodo jus electionis, & deputationis, non verò confirmationem, & adprobationem.

Observat insuper laudatos Cardinales Protectores declarasse, electionem, & deputationem pendere ab examine Episcopi Eugubini, dum in iisdem litteris hanc adhibuerunt formulam = *postquam tamen*, vel *dummodo ad hoc munus idoneus reperiaris a Reverendissimo D. Episcopo Eugubino*, *sive ejus Vicario Generali per ejus Examinatores Synodales examinatus* = nullamque adhibuisse clausulam, quæ delegationem præseferret. Ex hoc infert, perspectum satis fuisse jus privativum Episcopi Eugubini pro examine, & adproba-

batione, quod Episcopus Sperellus in supra relatis casibus expresserat.

Negat, delegationem probari posse ex verbis, quæ in actu institutionis adhibentur, nempe = *ad formam, & tenorem rescriptarum Bullarum, & Litterarum Eminentissimi Protectoris* = Ait enim, hujusmodi verba ita esse intelligenda, scilicet = *ad formam Electionis, & deputationis contentæ in retroscriptis Bullis, & Litteris Eminentissimi Protectoris* = & hanc intelligentiam eo magis amplectendam esse, quia nullum in memoratis Litteris delegationis verbum adiectum legitur.

His autem minimè refragari putat Motum proprium sa. mem. Innocentii X., cujus exemplar nunquam exhibitum fuisse conqueritur. Advertit enim, in eodem Motu proprio nihil decerni quoad examen Vicariorum, qui ab Emo Protectore deputantur, atque idcircò illud reservatum censeri Episcopo Eugubino, quippè quia, dum agitur de exemptione, quæ odiosa est, reservatum existimari debet quidquid non fuerit expresse ademptum *Rot. cor. Falconer. de Offic. Ordin. dec. 23. num. 16., & cor. Rezzonico decis. 16. num. 12.*

Nullamque habendam esse rationem verborum, quæ in sæpius relato Motu proprio adjecta noscuntur = *Ordinariorum Locorum, seu quorumvis aliorum licentia desuper minimè requisita, quin immò illis quandocumque invitis, & reclamantibus* = Hæc enim verba intelligi tantummodò posse dicit de beneficiis, simplicibus, non autem de iis, quæ curam Animarum adnexam habent; idque patere non solum ex integro contextu, & verbis, quæ immediate ante leguntur, sed multo magis ex immemorabili observantia, qua constat, Episcopum Eugubinum jura sua exercuisse in deputationibus, & adprobationibus tùm Æconomorum, tum Confessariorum privativè factis, in facultatibus tributis absolvendi a casibus in Synodo reservatis, in proponendis Ædictis respicientibus disciplinam Populi, & præsertim Cleri, in cognoscendis causis matrimonialibus, aliisque gerendis actibus, quæ Populum, & Clerum quoad Curam Animarum concernunt.

Quod verò respicit Personarum exemptionem, asserit, hanc esse tantùm *passivam*, & intra ambitum suppressi Monasterii, & muros Ecclesiarum coercitam. Idque importare ipsa met motus proprii verba = *Ac similiter suppressi Monasterii, & S. Sabastiani Ecclesias prædictas, Loca Personas, res . . . . . ab Eugubini, & Alatrini, & Abbatum prædicti Ordinis S. Benedicti . . . . visitatione . . . . liberamus, absolvimus &c.* = Ex his autem verbis deprehendi passivam exemptionem Monasterii, Ecclesiarum, Monachorum, & Clericorum in illorum ambitu existentium, atque inservientium, non tamen Populi, Cleri Sæcularis, & Parocho-

rum *Cap. Per Exemptionem 9. de privil. in 6.*, *Rot. cor. Moliv. decis. 770. num. 3.*, *& cor. Falconer. de Offic. Ordin. dec. 10. num. 13.*

Hinc arguit ad IV. dubium, jus esse Episcopi Eugubini approbare Vicarios ab Emo Protectore electos, cum illorum idoneitatem ipse in examine cognoscere debeat. Idemque jus illi competere pro *confirmatione*, seù *institutione*, quæ solum Episcopo tribuitur, non verò Prælatis inferioribus, nisi jurisdictionem quasi Episcopalem habeant in Clerum, & Populum *Fagnan. in Cap. In eam num. 3.*, *& 4. de ætat.*, *& qualit. Ordin.*, *Abb. in Cap. Cum plantare num. 5. de privil.* Maximè quia loca, de quibus agitur, sita sunt in Diœcesi Eugubina, destituuntur insuper qualitate *Nullius*, & sola gaudent exemptione *passiva*, quæ *activæ* jurisdictioni Episcopo de jure competenti nullo modo officere potest.

Passivam autem eorumdem Locorum exemptionem præcipuè probare nititur ex unione, & incorporatione, cum in Motu proprio non alia expressa fuerit causa, nisi ut Ecclesiæ S. Agnetis *de aliquo subventionis auxilio* provideretur. Hinc infert, passivam tantum exemptionem Emo Protectori fuisse tributam, sed prorsus exulare concessionem activæ jurisdictionis, nec sublatum fuisse jus Episcopi instituendi ad Curam Animarum. Advertit insuper, unionem factam extitisse Ecclesiæ D. Agnetis, in qua Emus Protector nullam in Populum, & Clerum habet activam jurisdictionem, cum Emus Urbis Vicarius omnia in ea decernat, quæ ad Clerum, ad prædicationem Verbi Dei, & ad Sacramentorum administrationem pertinent, proindèque incongruum esse dicit plus juris tribui super Ecclesiis accessoriis, quam quod super principali competere possit.

Atque his nihil obstare existimat verba illa Motus proprii = *Suppressi Monasterii in spiritualibus, & temporalibus administrare, & si quæ Cura Animarum illis immineat per Vicarium, seu Vicarios ad ejusdem* Cardinalis *Protectoris nutum ponendos, & amovendos exercere* = Regerit enim, priora verba intelligenda tantum esse de exemptione *passiva* quoad personas in ambitu suppressi Monasterii existentes; posteriora verò, quæ de exercitio Curæ Animarum ibidem habentur, referenda esse vel ad Patronatum, & Vicariorum deputationem, vel potius ad jura Parochialia *Card. Petra ad Constit. 6. Alexandri III. sect. 1. num. 31. tom. 2.* Neque aliter intelligi posse juxta mentem Sac. Congregationis, quæ id ipsum sensiit etiam in casu, quo privilegia hujusmodi amplioribus clausulis concepta viderentur, ut in *Nullius S. Severini jurisdictionis 2. Augusti 1670.*, *& 4. Februarii 1702.*, *& in Mileten. 29. Aprilis ejusdem anni*.

Provocat iterum ad observantiam tum quoad adprobationem, & institutionem ab Episcopis Eugubinis Vicariis concessam, tum etiam quoad titulum perpetuitatis

tis Ecclesiis Moreuæ, & Saliæ impertitum, indeque arguit, quodcumque privilegium in desuetudinem abiisse, vel nil aliud nisi passivam jurisdictionem importare: Absque eo quod activa Episcopi jurisdictio referri possit ad actum merè facultativum, cum ex multiplicatis actibus, & ex immemorabili consuetudine, quælibet facultatis præsumptio reiiciatur *Rot. cor. Seraphin. decis.* 212. *num.* 2., *&* 3.

Contendit ad V., deputationem Æconomorum in vacationibus Ecclesiarum Parochialium, de quibus agitur, ad solum Episcopum pertinere, idque conforme esse decreto Concilii Tridentini *sess.* 24. *Cap.* 18. *de Reform.*, nec non pluribus Sac. hujus Congregationis declarationibus apud *Marant. de potest jurisdict. part.6. cap.* 2. *num.* 50., atque etiam rationi, quia Animarum cura dilationem non patitur, eique citius, ac melius consulere potest Episcopus, qui præsens est in Diæcesi, & Præsbyteros ad illius exercitium idoneos cognoscit. Hoc etiam in loco recurrit ad observantiam, quam nunquam a Cardinalibus Protectoribus in controversiam revocatam fuisse affirmat. Nihil de hujusmodi deputatione decerni subdit in citato Motu proprio, sed etiamsì aliquid ibidem statueretur, regerit quodcumque privilegium per contrariam immemorabilem consuetudinem fuisse sublatum. Hinc rursus animadvertendum proponit verba illa Brevis Innocentiani. *Per Vicarium, seu Vicarios idoneos ad ejusdem Cardinalis Protectoris nutum ponendos, & amovendos exercere &c.* = non indigitare omnimodam jurisdictionem, aut facultatem instituendi, & destituendi, sed tantummodò amovibilitatem ex parte solius Emi Protectoris, quæ per contrariam observantiam in desuetudinem abiit, nihil tamen fuisse innovatum quoad Episcopum, cui jus examinandi, & instituendi ad Curam Animarum fuit præservatum.

Super VI. dubio observat, idoneitatem Æconomorum, qui exercitio Curæ Animarum ad tempus præficiuntur, perspectam esse debere Loci Ordinario, atque idcircò illorum confirmationem, & adprobationem unicè ad Episcopum pertinere. Hinc ad VII. concludit, removendos esse Æconomos ab Emo Protectore in ultimis vacationibus independenter ab Episcopo deputatos, ipsumque manutenendum in sua possessione cum juris assistentia coniuncta.

Hæc in libello Promotoris Fiscalis continentur, quæ quidem conferenda erunt cum juribus pro parte Emi Protectoris relatis in folio diei 13. præteriti mensis Martii, quod opportunè resumi poterit, & cum aliis, quæ in illius responsione EE. VV. exhibenda discutientur. Quod alibi adnotatum est, præstat hoc in loco repetere, præsentis Causæ indaginem non ex dispositione juris Canonici esse desumendam, sed ex Motu proprio sa. mem. Innocentii X.,

cujus verba in citato folio fuerunt accuratius transcripta: Ex eo namque constat, Cardinalibus pro tempore Protectoribus Ecclesiæ Divæ Agnetis amplissimum concessum fuisse privilegium exemptionis a qualibet Episcoporum Alatrini, & Eugubini jurisdictione, ita quidem, ut *suppressi Monasterii S. Benedicti Veteris, & S. Sebastiani Ecclesiæ, Loca, Personæ, res, & bona quæcumque ab Eugubini, & Alatrini Episcoporum visitatione, correctione, jurisdictione, & quavis alia superioritate tam in spiritualibus, quam in temporalibus penitus, & omninò etiam perpetuò liberata fuerint, absoluta, & exempta.*

Non est autem prætereunda vulgaris illa exemptionis distinctio in *activam*, & *passivam* quarum una coercita est ad Monasteria, Ecclesias, Monachos, & Clericos intra illorum ambitum existentes, alia verò protrahitur etiam ad Populum, ad Clerum Sæcularem, & Parochos Animarum Curam exercentes. Ex textu in *Cap. Per exemptionem 9. de Privil. num. 6.* hæc habentur = *Per Exemptionem Ecclesiæ concessam, ipsa Ecclesia, & ipsius Monachi, vel Canonici, Clerici etiam, & Conversi, perpetuòque Oblati (non autem ejusdem Præsbyter, qui Parochianorum Curam habet quoad ea, quæ ad curam eamdem pertinent, nec ipsi Parochiani etiam) exempti intelligantur.* Perpendendum igitur, cujus generis sit exemptionis privilegium, de qua in sæpius relato Motu proprio sermo habetur, idque patebit tum ex verbis, tum ex mente Pontificis concedentis, tum etiam ex consuetudine, atque ex observantia.

Hanc autem exemptionis distinctionem servandam censuit tum Sac. Rotæ Tribunal, tum etiam Sac. hæc Congregatio, quemadmodum constat ex decisionibus, & resolutionibus in libello Promotoris Fiscalis relatis, quibus, aliisque ad rem perpensis dignabuntur EE. PP. respondere dubiis, quæ denuò proponuntur.

I. *An electio, & deputatio Vicariorum Curatorum in Ecclesiis Parochialibus nuncupat. S. Benedicti Veteris, S. Crucis de Morena, & S. Petri de Salia pertineat ad Eminentissimum Protectorem Ecclesiæ S. Agnetis in Platea Agonali de Urbe, seu potius ad Reverendissimum Episcopum Eugubinum in casu &c.*

II. *An iidem Vicarii in dictis Ecclesiis deputati debeant esse perpetui, seu potius amovibiles ad nutum eos eligentis in casu &c.*

III. *An Vicarii electi ab Eminentissimo Protectore examinari, & approbari debeant ab Examinatoribus Synodalibus Curæ Episcopalis Eugubinæ, sive potius admittendi sint ad exercitium Curæ Animarum statim ac habiti fuerint idonei ab Eminentissimo Protectore independenter a prædicto examine in casu &c.*

IV. *An Vicarii electi ut supra ab Eminentissimo Protectore confirma-*

mari, & approbari debeant a Reverendissimo Episcopo Eugubino ante exercitium Curæ Animarum, sive potius suscipere possint exercitium Curæ independenter a qualibet confirmatione, & approbatione dicti Reverendissimi Episcopi in casu &c.

V. *An præfatus Eminentissimus Protector possit in vacationibus dictarum Ecclesiarum Parochialium deputare provisionaliter Œconomos sibi magis benevisos independenter omninò ab Episcopo Eugubino, sive potius dicta provisionalis deputatio spectet ad Reverendissimum Episcopum Eugubinum in casu &c.*

VI. *An hujusmodi Œconomi provisionaliter deputati ab Eminentissimo Protectore ut supra confirmari, & approbari debeant a Reverendissimo Episcopo Eugubino, sive potius debeant admitti ad provisionalem Curam Animarum independenter omninò a qualibet confirmatione, & approbatione dicti Reverendissimi Episcopi in casu &c.*

VII. *An Œconomi in ultimis vacationibus ab eodem Eminentissimo Protectore independenter ab Episcopo Eugubino deputati, sint removendi, sive potius manutenendi in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

PISTORIEN. JUBILATIONIS. In Cathedrali Ecclesia Pistoriensi Franciscus, & Joannes Baptista de Alfarolis Beneficium erexerunt, *Sacristiam* nuncupatum, quæ esset octava, & ultima Capituli Dignitas, atque hujusmodi erectionem san. mem. Gregorius XV. per suas Literas Apostolicas anni 1621. roboravit. Istius Beneficii Præbenda in Locis Montium fuit constituta, ejusque possessori concessum fuit stallum in Choro, nec non locum, ac vocem in Capitulo, in Processionibus, & in quibusque actibus Capitularibus immediatè post alias Dignitates. Adinissus quoque fuit possessor ad participationem distributionum, lioraumque emolumentorum a Capituli Massa provenientium. *Sess.22.cap.3. de Reform.*

tium, dummodo tamen vel ex Præbenda, vel ab Institutoribus tot bona in eam collata fuissent, quæ proventibus ab aliis Dignitatibus lucrari solitis responderent.

Novæ huic Dignitati onus injunctum extitit interessendi singulis diebus horis dumtaxat diurnis, nec non diebus Paschatis Resurrectionis, aliisque sollemnioribus infra annum festivitatibus etiam matutinis officiis; sed iis de Familia Institutorum, qui Dignitatem possiderent, per alias Apostolicas Literas ejusdem anni concessum fuit, ut *perpetuis futuris temporibus . . . . apud præfatam Ecclesiam residere minimè teneantur, sed extra dictam Civitatem quoties, & quandiu eis placuerit degere, & commorari possint, & valeant, & ob non residentiam hujusmodi dicta Sacristia privari, seu illius fructibus, reditibus, & proventibus in toto, vel in parte mulctari, aut alias desuper molestari nequeant, ita tamen quod interim distributiones quotidianas minimè percipiant. Cum hoc tamen, quod quotiescumque a dicta Civitate absentes fuerint, duas Missas qualibet hebdomada in dicta majori Ecclesia pro animabus ipsorum Fundatorum, & eorum Consanguineorum celebrare, seu celebrari facere teneantur.*

Ab anno 1717. hanc Dignitatem possidet Attho Maria Alfaroli a Fundatorum Familia descendens. Hic per annos supra quadraginta continuò, & laudabiliter Ecclesiæ inserviit, omniaque sibi injuncta onera adimplevit, cumque septuagenario major pluribus adversæ valetudinis, præsertim oculorum incommodis, afficiatur, quæ illum a Civitate Pistorii abesse cogunt, idcirco jubilationis indultum efflagitat, cujus vigore tum a Choro recedere, tum ab onere duarum Missarum qualibet hebdomada in casu absentiæ a Civitate eximi valeat.

Episcopus, qui exposita confirmat, testatur Capitulum Oratoris precibus assentiri, ipse verò existimat eumdem Oratorem *dignum petita jubilatione cum perceptione omnium fructuum ejus Canonicatus, & Præbendæ, ac emolumentorum, & distributionum, quæ lucraret si resideret, & ut antea inserviret, absque onere prædictarum Missarum in casu ejus absentiæ a Pistorio.*

Jubilationis Indultum post laudabiliter expletum per annos quadraginta Ecclesiæ servitium conceditur, cum omnimoda fructuum, & emolumentorum perceptione, ejusque vigore Jubilati eximuntur ab onere celebrationis Missæ Conventualis, vel in aurora, aliasque peragendi functiones, & adimplendi onera Capitulo inhærentia, quemadmodum censuit Sacra Congregatio in *Aquilana Servitii 27. Septembris 1659 lib.21. Decret. pag.77.*, in *Aquipendien. 20. Martii 1693.*, & alibi, non tamen eximuntur ab oneribus Missarum, quæ Canonicali Præbendæ sunt adnexa, aut unicuique de Capitulo incumbunt vigore divisionis factæ inter singulos. Hinc eadem Sac. Congregatio in *Prænestina*

Di-

Distributionum 11. *Martii*, & 1. *Aprilis* 1662. decrevit, Canonicum Vincentium Capponi teneri per alium celebrare Missas lectas ratione sui Canonicatus, non tamen Conventuales.

De laudabili servitio ab Oratore præstito per annos supra 40. non dubitatur; Videndum tamen, an post jubilationem teneatur ad celebrationem duarum Missarum singulis hebdomadis, quarum celebratio ex fundatione demandata fuit in casu discessus a Civitate Pistorii, quasi in pœnam absentiæ, & defectus in servitio Ecclesiæ. Sanè Jubilati exempti etiam sunt a residentia locali, & licet absentes omnes fructus, & distributiones lucrantur. Hinc cum Capitulum Cathedralis S. Angeli in Vado persolvere detrectaret Canonico Bartholomæo Fabri distributiones quotidianas, eo quia post jubilationem in longinquas Regiones abierat, proposito dubio = *An Jubilato non residenti debeantur distributiones* = Sac.Congregatio die 15. Aprilis 1690. respondit = *Canonico Jubilato deberi distributiones, nec ad residentiam localem teneri* = *lib.*40. *Decret. pag.* 256., idque etiam sensit in *Patavina* 9. *Junii* 1714., & definivit in generalibus dubiis Jubilationis *die* 10. *Decembris* 1718. *ad V. dubium*.

Quæritur

An, & quomodo sit concedendum indultum Jubilationis in casu &c.

PLACENTINA TRANSLATIONIS. In Parochiali Ecclesia Loci Massanti erecta reperitur Societas sub titulo Beatæ Virginis Rosarii, cui ab antiquo tempore relictum fuit prædium in Villa *Cravi* subjectam oneri unius Missæ quolibet die Sabbathi celebrandæ. A sæculo, & ultra huic oneri satisfecit Parochus, cum nemo alius ferè Sacerdos in Loco inveniatur; & quemadmodum prædii reditus eleemosynam Missæ hebdomadalis olim excedebant, idcirco consuevit Parochus juxta superextantes reditus nonnullas Missas aliis infra hebdomadam diebus celebrare. *Sess.*22. *cap.*6. *de Reform.*

Quinquaginta, & ultra Familiæ sunt in Loco Massanti, quæ totam Parochiam, & Societatem SS. Rosarii constituunt. Animadvertentes istius Societatis Moderatores, quos *Massarios* vocant, unicam Missam, quæ diebus Dominicis, & Festis celebratur a Parocho, totius Populi multitudini non sufficere, institerunt coram Episcopo pro translatione ad dies Festos illius

illius Missæ, quæ diebus Sabbathi celebrari debuisset. Diligentius tunc perquisivit Episcopus Legati institutionem, quam tamen invenire non potuit; audivit quoque Parochum, qui ob inopiam Parochialium redituum renuit translationi consentire, ne Missæ eleemosyna diebus Sabbathi privatus remaneret. Hinc Massarii pro hujusmodi translatione preces exhibent, atque ut commodo alterius Missæ per alium Sacerdotem singulis anni festivitatibus Populus non destituatur, exhibent de proprio supplere quidquid ultra prædii reditus ad Missæ eleemosynam necessarium fuerit.

Hujusce petitionis fundamentum in eo constituunt, quod in Loco, qui pluribus constat habitatoribus, & ubi nullus alius præter Parochum adest Sacerdos, non omnes unius Missæ sacrificio festivis diebus interesse possunt, & paupertas vetat, quominus alius Sacerdos continuò eodem in Loco alatur, vel diebus saltem festis pro alterius Missæ celebratione sumptibus Populi evocetur. Contra verò Parochus, qui petitioni contradicit, tenuitatem redituum Parochialium allegat, nec non deficientiam obventionum, & eleeemosijnarum, ita ut subsidium aliquod recipiat ex eleemosyna Missæ, quam celebrat die Sabbathi, & aliis infra hebdomadam diebus, juxta quantitatem fructuum, qui ex prædio retrahuntur. Innititur præterea antiquæ possessioni, & consuetudini a sæculo, & ultra servatæ, & rogat, ne hujusmodi subventione fraudetur.

Episcopus post quam rem totam accuratius perscrutavit, retulit *satis expedire, ut diebus Dominicis, & Festis eidem Ecclesiæ de duplici Missa provideatur. Populum verò, ex quo inopia laborat, non aliunde hujusmodi commoditatem sibi comparare posse, quam per petitam Missæ Sabbathi translationem; Quod quidem ægrè ferret Parochus, non jure, prout mihi videtur, sed antiquo dumtaxat more suffultus, nisi tenuitati ejus Beneficii Parochialis habenda sit ratio.*

Pias Testatorum voluntates nonnisi justa, & necessaria causa commutandas decrevit Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 6. de Reformat.*. De hisce verò causis sæpius actum est in Sacra Congregatione, quæ juxta rerum, temporum, ac Locorum circumstantias commutationem aut permisit, aut denegavit. Sæpius etiam disputatum fuit, an verè commutatio dicatur, quando salva dispositionis substantia, agitur de variando tantummodo modo exequutionis. Ad rem quod attinet, justam commutandæ voluntatis causam habitam fuisse, quæ respicit opus magis pium, atque Ecclesiæ utilius, & Animarum saluti magis proficuum, pluribus adductis tradit *Barbos. in Comment. ad cit. cap. 6. sess. 22. Concil. Trident. num. 6.*

Quanta olim fuerit Ecclesiæ sollicitudo in providendo, ne Christifideles Missæ sacrificio diebus festis destituerentur, osten-

ostendit *S. Leo Papa in epist.* 4. *alias* 81. *ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum cap.* 2., *& san.mem. Bened. XIV. de Sacrific. Missæ lib.*3. Constat enim, permissum quandoque fuisse Parochis, ut bis eadem die celebrarent, si duabus Ecclesiis inter se dissitis præficerentur; & utriusque Parochiæ Populus in unam Ecclesiam convenire non posset. Celebre est, & in Ecclesiastica historia notissimum exemplum S. Leonis III., qui septies, aut etiam nonies eodem die Sacrificium offerre consueverat teste *Strabon. de reb.Eccles.cap.*21., si quando tamen aut Populi frequentia, aut pietas sollemnioribus diebus id requirere cognovisset, prout multi tradunt.

Facultatem iterandi Sacrificium Parochis in Hispania, & Indiis tribuit S. Turribius in Synodo Limana VII., ut Populorum necessitatibus occurreret. Et in Concilio Nemausensi anni 1284. sub Martino IV. ita legitur = *Si omnes Parochiani ad unam Missam simul non possint convenire, eo quod in diversis Locis habitant . . . ., & dicta prima Missa postmodum Parochiani venientes postulent Missam aliam sibi dici, poterit tum Sacerdos Missam aliam celebrare* =

In præsenti casu ponderandum, an saltem sit locus translationi Missæ de una ad aliam diem, quando aut maxima difficultas, aut moralis impossibilitas urgeat, quæ totum Populum ab audienda unica Missa retrahat. Dum agitur de translatione, distinguendum putat *Passarin. de stat. homin.quæst.*187. *artic.*4.*num.*1166., asserens, quod si Testatoris intentio directa fuit ad commodum Loci, ut scilicet Missa singulis hebdomadis habitatoribus non deesset, tunc locum minimè esse censuit anticipationi, aut cuilibet translationi. Si verò Testator per singulas hebdomadas, immò etiam per uniuscujusque hebdomadæ dies Missarum celebrationem demandavit, in isto casu, Missarum implementum transferri posse credidit, quia Testatorem tantummodo respexisse præsumitur Ecclesiæ, & Sacerdotum commodum. Excepit tamen casum, quo ex conjecturis; aut ex toto dispositionis contextu diversa erueretur Testatoris voluntas, vel si determinatæ Missæ celebratio præscripta fuerit, ut scilicet die Sabbathi Missa de Beata Virgine, quia tunc ejus intentio fertur in diem determinatam.

Verùm si Testator certam diem pro celebratione destinaverit, existimavit *Amostaz. de causis piis lib.*2. *cap.*3. *num.* 43. cum aliis pluribus, permitti translationem non debere, nec per anticipatam Missæ celebrationem Testatoris voluntati satisfieri. Demum *Monacell. Formul. Legal. pract. part.*1. *form.*7.*tit.*13. *num.*61. immutari posse dixit diem a Testatore præfinitum, quoties rationabilis causa, legitimumque impedimentum concurrat: Idque etiam sensit *Pasqualig. de Sacrific. nov.Leg. quæst.*118.*num.*6. dum inquit,

præsumptam voluntatem suadere, ut justa concurrente causa Missarum implementum ad aliam diem transferri possit.

Hisce ergo perpensis dijudicandum erit, quanti habenda sit inopia Populi Massanti, quæ alium Sacerdotem ibidem aut retinere, aut evocare diebus Festis non permittit; nec non Incolarum quantitas, ita ut non omnes eodem tempore, vel saltem non sine gravi difficultate, & incommodo Missæ Parochiali interesse valeant. Ponderanda quoque Parochi paupertas, & Parochialium redituum tenuitas, nec non consuetudo, quod a sæculo, & ultra, Missæ, de qua agitur, celebrationi Parochus admpleverit.

Itaque Emi PP. decernere rogantur

An, & quomodo sit locus translationi Missæ, in casu &c.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

SANCTI MARCI IRREGULARITATIS. Mulierem Rosariam Carino utero gravem, ac pre timore fugientem securi insequutus est Sacerdos Vincentius Maurelli, qui cum ea paulò ante rixatus fuerat, & quamvis dexteram in modum percutientis levaverit, ab ictu tamen injiciendo abstinuit, statim ac illam in terram cecidisse vidit. Sequenti die Mulier abortum edidit, quem in tertio a conceptione mense reperiri dijudicatum est, hinc Curia Archiepiscopalis in Sacerdotem inquisivit, eo quia abortui causam dederit, Sacerdos verò facta defensionibus renunciatione, sese submisit Theologorum judicio, qui Apostolicam Sedem pro dispensatione adeundam existimarunt. Itaque duo ad preces Sacerdotis Vincentii in Congregatione diei 8. Junii 1771. proposita fuerunt dubia I. *An constet de Irregularitate in casu &c.* II. *An sit locus dispensationi in casu &c.*, prodiitque responsum ad I. *Affirmativè*, ad II. *Dilata, & scribatur Archiepiscopo juxta instructionem*, ut scilicet tum de qualitate criminis, tum de Oratoris resipiscentia, & emendatione diligentius inquireretur, insuperque referret, qua de causa reus uno contentus Theologorum judicio, defensiones sibi parare neglexerit.

Mandatis Sacræ Congregationis paruit Archiepiscopus, qui retulit, Sacerdotem Vincentium post absolutum super abortu informativum processum, Theologorum judicio sponte se submisisse, qui rem totam pro conscientia perpenderent, ac definirent, & ad ejus petitionem tres electos fuisse Theologos, qui dispensationem ab Apostolica Se-

Sede efflagitandam consuluerunt. Addidit, Oratorem nunquam correptionis occasionem præbuisse, eo quia vitam semper duxerit Ecclesiastico Viro non indignam, prout patet ex relatione Archiepiscopi, quæ fusius recensetur in folio *diei* 31. *Augusti* 1771. Verùm cum in sequenti Congregatione diei 28. Septembris ejusdem anni quæsitum denuò fuisset=*An sit locus dispensationi in casu &c.*=rescriptum fuit=*Negativè*

Nunc autem pro tertia vice dispensationem humiliter efflagitat Orator, qui ad illam obtinendam præmittit, juxta Concilii Tridentini dispositionem eam tantum irregularitatem non esse dispensabilem, quæ oritur ex homicidio perfectè voluntario *Fagnan. in Cap. Ad audientiam num.* 33. *ad* 57. *de homicid.*; homicidium verò perfectè voluntarium causare irregularitatem non dispensabilem tantum in promovendo, secus verò in promoto *Fargn. de Jurepatron. part.* 1. *can.* 5. *cap.* 11. *num.* 68. Præmittit etiam, pœnas contra procurantes abortum non procedere nisi in casu, quo hujusmodi crimen malis artibus, & ex proposito commissum fuerit.

Hisce præmissis sustinet, casualem in præsenti casu dijudicari debere abortum Mulieris, quam in primo tantùm calore iræ fuit insequutus, sed deinde in se reversus, & actus turpitudinem animadvertens, a percutiendo abstinuit. Infert proindè, culpæ tribuendum non esse subitum iræ motum, ratione postea refrenatum *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 158. *art.* 3. *ad* 1 Negat præterea, abortum a timore fuisse causatum, idque patere ex posteriori Mulieris declaratione; Nec satis constare, fætum fuisse animatum, cum dubium sit, an in secundo, vel tertio a conceptione mense Mulier reperiretur; Quod si fætus non fuisset animatus, contendit, nullam irregularitatem contraxisse, etiamsì ex proposito abortui causam dedisset *Cap. sicut ex litterarum* 20. *de homicid.*, *Can. Consuluisti caus.* 2. *quæst.* 5. *Panimoll. dec.* 89. *annot.* 6. *num.* 33.

Addit, ignotam sibi fuisse Mulieris pregnantiam, quam neque monitus in æstu iracundiæ animo percipere potuit, proindéque concludit, aut nullam contractam a se fuisse irregularitatem, aut solùm dubiam, & facile dispensabilem *Innoc. in Cap. Ad audientiam in fin. de homicid. Abb. ibid. num.* 3., *Fagnan. ibid. num.* 2., & 3. Cæterum in omnem casum dispensationem non denegandam putat, post peractam per plures annos pœnitentiam, exhibitaque ædificationis, & constantis emendationis signa. Maxime quia commendatur ab Archiepiscopo, qui de ipsius pietate, bonisque moribus testatur, & attenta Oratoris paupertate, illius favore dispensationem implorat, ut ex nova ejus relatione EE. VV. circumferenda.

De pœnis contra procurantes abortum fusius actum est in pri-

primo istius Causæ folio diei 8. Junii 1771., quod opportunè resumi poterit. Sanè Mulier in prima depositione, minas a Sacerdote Vincentio sibi illatas abortui causam præbuisse narravit, in altera verò declaravit, *che la medesima in tempo della rissa sentivasi dolori di aborto imminente; onde per puro astio di quell'atto cercò addossare la causa al Sacerdote Vincenzo, essendo come publicamente si è veduto, che pochi mesi addietro si era abortita per altre cause*. De tempore, quo abortum ediderit, ipsa dixit = *Io ero gravida di due mesi, ed ero entrata nel terzo mese* = Depositio verò Obstetricis his verbis concepta legitur = *Posso credere, come credo per l'esperienza, che ne hò, di esser tale aborto di due mesi in circa* =. Quanti hæc habenda sint, viderint Eminentissimi PP., a quibus quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Die Sabbathi 28 Augusti 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

REsumptO priori folio diei 7. labentis mensis, dignentur Emi PP. causas ibidem descriptas, aliasque in præsenti adjectas sapienti judicio definire.

EUGUBINA JURISDICTIONIS.

Seff.21. cap.1.& de Reform.

I. *An electio, & deputatio Vicariorum Curatorum in Ecclesiis Parochialibus nuncupat. S. Benedicti Veteris, S. Crucis de Moreni, & S. Petri de Salia pertineat ad Eminentissimum Protectorem Ecclesiæ Sanctæ Agnetis in Platea Agonali de Urbe, sive potius ad Reverendissimum Episcopum Eugubinum, in casu &c.*

II. *An iidem Vicarii in dictis Ecclesiis deputati debeant esse perpetui, sive potiùs amovibiles ad nutum eos eligentis, in casu &c.*

III. *An Vicarii electi ab Eminentissimo Protectore examinari, & approbari debeant ab Examinatoribus Synodalibus Curiæ Episcopalis Eugubinæ, sive potius admittendi sint ad exercitium Curæ Animarum, statim ac habiti fuerint idonei a præfato Eminentissimo Protectore, independenter a prædicto examine, in casu &c.*

IV. *An Vicarii electi ut supra ab Eminentissimo Protectore confirmari, & approbari debeant a Reverendissimo Episcopo Eugubino, ante exercitium Curæ Animarum, sive potius suscipere possint exercitium Curæ independenter a quolibet confirmatione, & approbatione dicti Reverendissimi Episcopi, in casu &c.*

V. *An præfatus Eminentissimus Protector possit in vacationibus dictarum Ecclesiarum Parochialium deputare provisionaliter Æconomos sibi magis benevisos independenter omninò ab Episcopo Eugubino, sive potius dicta provisionalis deputatio spectet ad Reverendissimum Episcopum Eugubinum, in casu &c.*

VI. *An hujusmodi Æconomi provisionaliter deputati ab Eminentissimo Protectore ut supra confirmari, & approbari debeant a Reverendissimo Episcopo Eugubino, sive potius debeant admitti*

ad

ad provisionalem Curam Animarum independenter omninò à qualibet confirmatione, & approbatione dicti Rmi Episcopi, in casu &c.

VII. *An Æconomi in ultimis vacationibus ab eodem Emo Protectore independenter ab Episcopo Eugubino deputati, sint removendi, sive potius manutenendi, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam. Ad II. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam. Ad III. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam. Ad IV. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam. Ad V. Negativè ad primam partem, affirmativè ad secundam. Ad VI. Provisum in quinto. Ad VII. Ad mentem.

Sess. 23. cap. 3. de Reform.

PISTORIEN. JUBILATIONIS.

An, & quomodo sit concedendum Indultum Jubilationis, in casu &c.

Affirmativè juxta votum Episcopi.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

PLACENTINA TRANSLATIONIS.

An, & quomodo sit locus translationi Missæ, in casu &c.

Negativè.

Sess. 24 cap. 7. de Reform.

SANCTI MARCI IRREGULARITATIS.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

Consulendum Sanctissimo pro dispensatione:

MA-

MACERATEN., SEU ASCULANA SPONSALIUM. *Sess.25. cap.3. de Reform.*

Gaspar Alaleona nuptias conciliaverat Ludovicæ filiæ suæ cum Joanne Baptista Corvi de Civitate Asculi, & apocam Sponsalium cum promissione dotis scutorum 1700. invicem obsignarunt. Postquam dictus Gaspar summam scut. 875. in partem dotis persolverat, rumor invaluit de paupertate familiæ Corvi, de qua accuratius inquirere non destitit, perquisitoque publico Civitatis Asculi Catastro, comperiit totum illius Patrimonium ad scuta 2774. pertingere. Hinc Sponsæ Pater de rescissione Sponsalium, & restitutione partis dotis agere cœpit, sed renuente Sponso a data fide resilire, supradictus Gaspar judicium primum instituit coram A.C., deindeque supplicem obtulit Sanctissimo Domino Nostro libellum, quo Sponsalium rescissionem efflagitavit. Ablegatæ sunt preces S. huic Congregationi, cujus judicium super dubiis in calce transcriptis ab utraque Parte exquiritur.

Ad I. præmittit Gaspar Sponsæ Pater, unicuique ex Contrahentibus licere a Sponsalibus recedere ex aliqua causa, quæ rerum statum notabiliter immutaverit, quæque si innotuisset, a contrahendo retraxisset *Piton.discept.Eccles.500. num.19.*. Observat autem, ideo a se contracta fuisse Sponsalia, quia suppositum extiterit a quodam Philippo Trenta mediatore, reditus familiæ Corvi ad scuta 300. pertingere, idque satis resultare putat ex sui jurata declaratione, nec non ex Testium depositionibus, atque ex sollicitudine inquirendi de illius familiæ patrimonio, & de querelis propositis vix habita diminutionis notitia; ac demum ex promissione congruæ dotis, quæ præsupposito Sponsi patrimonio responderet, & cum quo connexionem aliquam, & correspectivitatem habere præsumitur. *Rot. decis. 373. num.59., & decis.734.num.16. coram Molin., & coram Crispo dec.126. num.39.*, cum præsertim non alia inæqualitatis ratio fingi, aut excogitari valeat.

Perperamque objici dicit Epistolam supradicti mediatoris Philippi Trenta, qua monitum fuisse asseritur, ut diligentius inquireret de quantitate Patrimonii Familiæ Corvi, priusquam Sponsalium apocam subscriptione firmaret. Hujusmodi enim Epistolam utpote scriptam post litem jam contestatam, & ad propriam exonerationem, nullam omnino fidem mereri posse contendit, præsertim quia juratis plurium Testium depositionibus adversatur. *Rot. decis.904. n.20. cor.Molin., & dec.457. cor.Dunoz.jun.*

Deceptum vero fuisse in præconcepta opinione quantitatis redituum, ex eo desumit, quod patrimonium familiæ Corvi adeo tenue sit, ut ne vix quidem ad congruam, immo nec ad necessariam Conjugum sustentationem sufficere valeat; proût deprehendi sustinet tum ex quadam notula a supradicto mediatore in Actis Curiæ Episcopalis olim exhi-

exhibita, tum etiam ex publico Communitatis Catastro, cujus particulam ab ipsomet Sponso post inita Sponsalia exhibitam fuisse affirmat. Despiciendam vero esse quorumdam Vilicorum depositionem, qui Patrimonium familiæ Corvi augere curarunt, non solum quia ejusdem familiæ servitio addicti sunt, sed etiam quia de annuo reditu deposuerunt absque ulla inter portionem dominicalem, & colonicam distinctione, quæ fieri omnino debuisset, ut certus bonorum fructus erui posset.

Nec quidquam ad augendam redituum quantitatem prodesse donationem, & annuam subministrationem, quam Sponsus intuitu matrimonii ab aliis Fratribus reportavit. Observat enim, hæc omnia non fuisse absolutè, & absque onere promissa, sed in correspectivitatem alimentorum, aliorumque omnium, quæ pro decenti sustentatione a Joanne Baptista Sposo consequi velle alii Fratres declararunt. Ac prætereà; animadvertit nullam censeri donationem, utpote factam de bonis in Patrimonium sacrum unicuique Fratri constitutis.

Minus autem rectè opponi existimat Sponsalium ratificationem desumptam tum ex solutione partis dotis, tum ex Testibus, qui asserunt, illam sequutam fuisse post accuratè perquisitas vires Patrimonii familiæ Corvi. Ait enim, partem dotis solutam fuisse priusquam de statu Patrimonii ejusdē familiæ certior fieret ex accurata inquisitione, quam commiserat post divulgatum de illius paupertate rumorem. Testes vero omnino fore posthabendos, utpote quia de auditu deponunt, seseque referunt ad apocam de recepto, quæ nil aliud, nisi solutionem probare potest.

Cæterum sustinet, nullam habendam esse rationem de contractu a Patre inito, ejusque ratificatione, cum deficiat consensus Ludovicæ filiæ, cujus voluntati nullam vim, aut coactionem inferri posse contendit. Hujusmodi vero consensum omnino in præsenti casu deficere, tum quia non legitur in apoca expressus, tum etiam quia Sponsalium stipulationi ipsa non interfuit, neque illa postea approbavit. Nec Puellæ consensum erui posse ex litteris amatoriis ab ipsa Sponso scriptis, quibus conjugium cum eo ineundum sperare, ac summopere optare declaravit. Respondet enim, hujusmodi expressiones nil aliud præseferre, quam desiderium contrahendi matrimonium, non vero Sponsalium ratihabitionem. *Rota in Tuden. Sponsalium 20. Junii 1746. coram Caprara*: Multoque minus ratificationem erui posse ex Puellæ scientia, & silentio, quod ad modestiam potius, & ad metum erga Patrem reverentialem, quam ad Sponsalium approbationem referri debet. *Armenzan. decis. 73. num. 26.*

Concludit itaque, ad individuam vitæ consuetudinem eos non esse cogendos, qui vel numquam in nuptias consenserunt,

vel

vel ob supérventas causas consensum revocarunt; præsertim si ex matrimonio ineundo mutua inter Conjuges aversio, odia, & scandala timeri possent, quæ omnia non leve præbent pro Sponsalium dissolutione argumentum *Spada consil.* 132. *n.* 10., *Piton. discept. Eccl.* 52. *n.* 8., *Constantin. vot. decis.* 433. *num.* 32. & 33.

Ex his infert ad II dubium, non esse locum monitioni, cum Sponsalia etiamsi contracta fuissent, dissolvenda nihilominus forent ob superventam rerum mutationem, quæ justam præbet causam contractus rescissioni, præsertim quia juxta Sacrorum Canonum dispositionem numquam monitionis remedium præscriptum noscitur, nisi & certa Sponsalium probatio habeatur, & injusta Mulieris reluctantia deprehendatur. *Gabriel. consil.* 185. *num.* 11., *Leo in Thesaur. For. Eccles. cap.* 9. *num.* 21. & 22., *Rot. coram Molin. decis.* 479. *num.* 8., & *in Recent. decis.* 185. *num.* 6.. Nec ad monitionem procedi posse, nisi Sponsalia juramento fuerint roborata *Abbas in cap. ex litteris in fin. de Sponsal.*, *Rot. decis.* 19. *num.* 3. *part.* 10. *Recent.*

Ad III. dubium super pecuniarum restitutione advertit, nullam neque in genere, neque in specie oriri posse de quantitate controversiam, cum certo constet persolutam Sponso fuisse pluribus vicibus summam scutorum 800. 94. in causam anticipatæ dotis, & hanc summam esse restituendam, vel quia non constat de Sponsalibus, vel quia justa supervenit causa ab iis recedendi *Rot. in Romana pecuniaria* 5 *Junii* 1755. §. 5. *coram Eminentissimo Migazzio*, & *in Romana Cambii super restitutione summæ solutæ* 21. *Junii ejusdem anni coram Borull.*

Denique ad IV. observat, nullimode a Sponso efflagitari posse damnorum refectionem, sed ejus damno cedere debere expensas factas pro muliebri pompa, & nuptiarum solemnitate, cum ipse justam facto suo, suaque deceptione, prebuerit causam rescissioni Sponsalium *Castropalao de Sponsalibus disput.* 5. *punct.* 33. *num.* 22. Cæterum sustinet, hujusmodi expensas in unius Sponsi commodum, & utilitatem cessisse: Atque in omnem casum advertit, eas ita esse turbidas, aut excessivas, ut nonnisi in separato judicio maturius liquidari debeant.

Ex alia vero parte contendit Joannes Baptista Corvi Sponsus, servandam esse datam in Apoca Sponsalium fidem, cum non deficiat tacitus Puellæ consensus, quem pro illorum exequutione sufficere arbitratur. *Sanchez de Matrim. tract. de Sponsalibus disc.* 23. *quæst.* 3. *num.* 11. & 17., *Card. de Luca de dot. disc.* 78. *num.* 11., *Rot. decis.* 337. *num.* 9. *coram Crispo*. Tacitum vero consensum, ac manifestam Sponsalium ratihabitionem præseferre putat litteras amatorias ad ipsum datas, in quibus Puella pluries uti Sponsam se subscripsit, ac Matrimonium optare professa est, eumque impulit, ut

ad illius celebrationem quam citius deveniret. Addit in executionem Sponsalium certiores factos fuisse Consanguineos de proxima Matrimonii celebratione, & præmissa etiam proclamata, prout ex iisdem litteris deprenditur. Ex his autem omnibus resultare putat Puellæ consensum, cum tamen pro filiis absentibus valide Parentes contrahere possint, & satis sit, quod filii non contradicant. *Cap. unic. de despons. Impub. in 6.*, *Card. de Luca de dot. disc.* 78. *num.* 11, *Rota coram Crispo decis* 337. *num.* 4.

Falsum omnino esse dicit, inita fuisse Sponsalia sub supposito quantitatis redituum suæ familiæ in summa scutorum 300. Si enim annuus reditus in enunciata summa contrahentes ad Sponsalia impulisset, utique Gaspar Alaleona non prætermisisset hujusmodi causam in Apoca exponere. Nec prodesse excusationem ex eo mutuatam, quod Philippus Trenta Sponsalium mediator quantitatem redituum in enunciata summa asseruerit, cum Gaspar Alaleona fidere non debuisset minus veræ assertioni exteri mediatoris, quæ inefficax est ad contractus rescissionem, nisi in ipsis met contrahentibus probetur dolus, atque collusio. Cæterum nullimodè verificari objectam mediatoris assertionem, quin immo constare, ipsum caute admodum se gessisse, dum in quadam Epistola diei 19. Septembris anni elapsi hæc habuit = *Quanto poi all'avere dissi, ed ho sempre replicato al Signor Alaleona, che io non potevo darne sicurezza, essendo stato sempre, e poi sempre dalla Patria lontano* = Et quamvis aliquando pro sua opinione existimaverit, reditus ad scuta 300. posse pertingere, id tamen non certo affirmavit, sed ex quadam credulitate, & dubitativè asserens = *Che queste erano congetture, ed argomenti, ma che io non avevo fatto il Fattore di Casa Corvi, e che perciò nulla sapevo di certa scienza* = Huic autem Testi utpote mediatori, & Viro qualificato, ac de facto proprio deponenti esse deferendum, *Card. de Luca de Empt.*, *& Vendit. disc.* 10. *num.* 7., *Rot. decis.* 6. *num.* 9. *&* 10. *coram Mantic.*

Rejiciendos vero esse Testes asserentes, Philippum Trenta certam redituum quantitatem in scutis 300. exposuisse, tum quia isti testes sunt inter se discordes, extrajudiciales, & pendente Lite expiscati, tum etiam quia de auditu deponunt ab eodem Trenta, a quo de mendacio in memoratis Epistolis redarguuntur *Rot. decis.* 132. *num.* 10. *part.* 11. *Recen.* Nihili vero habendam esse declarationem Gasparis Alaleona, qui deceptum se fuisse asseruit, cum ratione interesse, quod habet in causa nullam fidem mereatur. *Farinacc. de Testibus quæst.* 60. *num.* 495., *Menoch. de Arbitr. lib.* 2. *cap.* 106. *num.* 13.. Atque insuper negat, eumdem Gasparem de certa redituum quantitate mediatorem requisivisse, sed vix habita aliquali notitia Patrimonii Familiæ Corvi, perspectaque illius quantitate, quæ ad congruam Uxoris susten-

ta-

tationem sufficeret, partem dotis ultro persolvisse. Hoc autem in loco denuo se refert ad litteras Ludovicæ Sponsæ, aliasque allegat a supradicto Gaspare Patre scriptas, quorum uterque ob subortos rumores ipsum ad matrimonii celebrationem impulit, quod ut celerius assequi possent, ad solutionem partis dotis, & ad publicas matrimonii denunciationes deventum fuisse affirmat. Concludit itaque, exequenda omnino esse Sponsalia absque ulla conditione inita, cum præsertim munita comperiantur juramento, quod ex camerali obligatione desumitur. *Rot. decis.* 591. *num.* 1. *tom.* 5. *coram Molin.*, *& decis.* 4. *num.* 12. *coram Falconer. tit. ad Sen. Cons. Vell.*

Arguit proinde ad II. cogendam esse Ludovicam per canonicas monitiones ad Sponsalium executionem, a quibus recedi non posse sustinet, nisi gravissimæ, atque urgentissimæ superaccesserint causæ, odii scilicet, vel scandali, inter Conjuges orituri, *Rot. in Majoricen. Sponsalium* 23. *Aprilis* 1746. §. 3. *coram Busso*. Neque inter hujusmodi causas connumerari posse paupertatem Familiæ Corvi, cum ea semper in eodem statu permanserit, nec Sponsalia inita fuerint, nisi post perquisitas de illius Patrimonio notitias.

Cæterum assertam hujusmodi paupertatem nullimodè verificari contendit, cum præter propriam habitationis domum, quæ inter magis conspicuas Civitatis Asculi connumeratur, plura etiam rustica ædificia, pluraque prædia possideat, quorum annui reditus ad scuta 238. 66. pertingunt. Hinc ad diminuendam bonorum quantitatem, vel valorem, inanem esse existimat probationem desumptam ex publico Communitatis Catastro, cum in eo nec certa quantitas, nec justus illorum valor describatur. Negat præterea, suæ familiæ Patrimonium Legatorum pondere gravari, & quamvis non inficietur, nonnulla bona in titulum Patrimonii Sacri aliis Fratribus fuisse assignata, ea tamen ad se rediisse affirmat vigore Renunciationis, quam iidem Fratres de Ecclesiasticis reditibus alias provisi intuitu Matrimonii sui favore exararunt.

Nullam vero habendam esse rationem notulæ a Philippo Trenta mediatore in actis Curiæ Episcopalis Asculi productæ, tum quia hujusmodi notula confusam tantum exhibet bonorum descriptionem, tum etiam quia non integra, neque accurata deprehenditur, cum deficiant nonnulla prædia, quæ in ea adnotata minimè fuerunt. Nullam pariter mereri fidem depositionem Dominici Pantaleoni, qui de Patrimonii tenuitate testatur, cum hic Testis tamquam auctor, & præsentis causæ director attendi non debeat. *Rot. decis.* 2. *num.* 16. *de Fals. coram Falconer.*, *& decis.* 315. *num.* 22. *coram Ratto*. Præsertim quia non ex alio fonte Patrimonii vires desumpsit, quam ex Catastro, & ex su-

supra relatis notulis, quæ nullam probationem constituunt.

Præter hæc advertit, litem, quæ modo agitur, justam non præbere causam resiliendi a Sponsalibus, cum unusquisque post inita Sponsalia posset in fraudem judiciales querelas de iis proponere. *Rot. decis.* 276, *num.* 17. *coram Ludovisio*, *& decis.* 421. *num.* 10. *coram Cavaler.*. Denique rogat, ut in casu monitionis, ea committatur alicui viciniori Episcopo, qui præcisive a quolibet partium studio, & suspicione mandata Sacræ Congregationis exequi valeat, ne ob Vicarii Generalis Episcopi Maceratensis conjunctionem sanguinis cum familia Alaleona, ulla in posterum oriri possit dubitatio; quemadmodum in simili casu præscriptum ab eadem S. Congregatione fuisse dicit in *Fanen.*, *seu Pisauren. Sponsalium* 4. *Septemb.* 1743.

Ad III. sustinet, non esse locum restitutioni dotis, quoties injuste Sponsa a data fide recedat, & matrimonium ex irrationabili causa non contrahatur. *Card de Luca de dot. discur.* 1. *num.* 10., *Rota coram Buratto decis.* 500. *num.* 5., idque procedere existimat, etiamsi Sponsa post monitionem in sua repugnantia permanserit. *Cap. Quæsivit* 2, *de his*, *quæ fiunt a major. part. Capit.*, *Leg. Sancimus* 22. *C. de pænit.*

Ac tandem ad IV., expensarum quantitatem extollit ad summam scutorum 954., quam cum parte dotis receptæ compensari debere putat, cum Sponsus damnorum emendationem jure efflagitare posse affirmet, quæ ex injusta Sponsalium dissolutione obvenerunt. *Cap. Si culpa* 9. *de injur. & damn. L. qui occidit* 30. §. 3. *ad Leg. Falcid.*, neque ullimode obstringi debere ad alienationem eorum, quæ causa matrimonii comparaverat, tum quia hæc omnia a Sponsa retinentur, tum etiam quia non nisi viliori pretio vendi possent. De expensis autem pro ornatu domus nullam habendam esse rationem, utpote quia factæ fuerint bona fide, & pro magis commoda, ac decenti Sponsæ habitatione *Paitel. exped. Civil. rub.* 100. *n.* 15., *Rota coram Cerro decis.* 783. *num.* 5.

Episcopus postquam retulit ea omnia, quæ Gaspar Alaleona post inita Sponsalia peregisse narravit, quidquid sit de illorum validitate, censet, esse locum dissolutioni, ne innupta remaneat Puella, neve cogatur pœnas luere culpæ, quam non commisit; præsertim quia prævidet, quod Puella futuræ mendicitatis timore perterrita numquam in matrimonium cum Joanne Baptista Corvi sit consensura.

De Sponsalibus a Parentibus pro filiis initis hæc habentur in *Cap. unic.* §. *finali de desponsat. Impub. in 6.* = *Porro ex Sponsalibus, quæ Parentes pro Filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii si expresse consenserint, vel tacite, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, obligantur,*

& ex

& ex eis oritur justitia publicæ honestatis. Et est idem, si Filii tempore Sponsaliorum absentes, & etiam ignorantes eadem Sponsalia, post scientes ratificaverint tacite, vel expresse; alias ex Sponsalibus contractis a Parentibus pro Filiis nec ipsi Filii obligantur, nec publicæ honestatis justitia inde surgit = Plures autem a Doctoribus assignantur causæ, quæ a Sponsalibus recessum suadeant, easque fusius enumerat *Ferrarius in Bibliotheca canonica verbo Sponsalia num. 76. & plur. sequen.*. Has inter recensentur odia, capitales inimicitiæ, & animorum aversio, nec non notabilis status immutatio, quæ post contracta Sponsalia supervenerit. Dicitur autem status notabiliter immutatus, si accedat gravis bonorum jactura, quæ honestam Familiam ad gravem inopiam redegerit. *Cap. Quemadmodum 25. de jur. jur.*

Quando autem Sponsalia legitime contracta fuerint, nec justa habeatur causa recedendi, contrahentes omnibus juris remediis ad illorum executionem cogendi sunt. *Cap. Præterea 2. de Sponsal.*. Hinc si Vir renuat, per censuras Ecclesiasticas compelli debet, *Cap. Ex litteris 10. de Sponsal.*, Si vero Mulier, monenda, ut datam fidem præstet. *Cap. Requisivit 17. de Sponsal.*. Quatenus vero matrimonium non sequatur, esse locum restitutioni dotis patet ex *Text. in Leg. dotis appellatio C. de jur. dot.*

Denique quoad expensas, & damna censet *Ferrarius verbo Sponsalia num. 68.* ad refectionem eum adigendum esse, qui injuste dissentiat. Idque decisum fuisse dicit per *Rot. in Majoricen Censurarum 15. Januarii 1715. §. finali cor. Scotto*. Videndum tamen, an omnes omnino expensæ refici debeant, seu potius, quæ solùm intuitu matrimonii factæ fuerint, quæque ad illud contrahendum necessariæ habitæ sunt.

Perpensis itaque circumstantiis EE. PP. dijudicabunt

I. *An Sponsalia sint exequenda, in casu &c.*

Et quatenus affirmative

II. *An sit locus monitioni, in casu &c.*

III. *An, & in qua summa sit locus restitutioni pecuniarum, in casu &c.*

IV. *An, & quomodo sint reficienda damna, & expensæ, in casu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Provisum in primo. Ad III. Esse locum restitutioni Dotis in summa liquidanda coram Eminentissimo Præfecto. Ad IV. Affirmativè quoad expensas factas intuitu Matrimonii juxta liquidationem faciendam ab Emo Præfecto.

NE-

Sess. 21. cap. 7., & Sess. 14. cap. 12. de Reform.

NEPESINA RESTAURATIONIS ECCLESIÆ. De restauratione Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ S. Stephani Oppidi Fiani actum primum fuit in S. Congregatione die 31. Augusti 1771. inter Capitulum, Baronem, & ejusdem Oppidi Communitatem. Proposito autem tunc Dubio = *An, & quis teneatur ad restaurationem Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis Terræ Fiani, & Domus Archipresbyteralis in casu &c.* = cum non satis constaret de reditibus Archipresbyteri, & Canonicorum, ac de aliis fructibus ex eadem Ecclesia provenientibus, nulla proindè capta resolutione, datæ sunt, juxta mentem S. Congregationis, litteræ Episcopo Nepesino, ut de iis omnibus accuratè referret. Superventa Episcopi relatione eadem controversia subjecta denuò fuit EE.PP. judicio die 27. Junii superioris anni, sed iterum visum est resolutionem differre, ac simul demandare, ut *reproponatur causa cum alio dubio super pertinentia Patronatus*, & ne diuturniori litis pendentia Ecclesiæ restauratio protraheretur, mandatum præterea fuit ut *per modum provisionis, & sine præjudicio jurium Partium solvantur scuta 300. ab Ecclesiasticis, totidem a Barone, totidemque a Communitate, & ad Emum Præfectum pro exequutione, & directione operis facto verbo cum Sanctissimo.*

Exequuta itaque depositi lege juxta modum a Sac. Congregatione præfinitum, & suprema SSmi Domini Nostri auctoritate probatum, cum jamdiù opus incæptum fuerit, & vigili directione prosequutum, causa instante Barone pro tertia vice proponitur sub priori dubio, addito etiam altero super pertinentia Patronatus.

Præmittit denuò ad I. Baronis Defensor, onus restaurationis, deficientibus Fabricæ reditibus, præcipuè inhærere Parocho, tum ratione spiritualis Coniugii, tum quia fructus ex Ecclesia percipit *Concil. Trident. sess. 21. Cap. 7. de Refor.m, Amostaz. de Causis piis Cap. 6. num. 16., Rot. in Vrbevetana restaurationis Ecclesiæ 3. Martii 1752. §. 3. & 19. Junii ejusdem anni §. 2. coram Vicecomite.* Nec hujusmodi onus evadere posse Parochum, nisi indubiis documentis Parochialium redituum insufficientiam probaverit *Panimol decis. 6. annot. 8. num. 10. Rot. in Recen. decis. 9. num. 38. part. 18.*

Ad probandam verò hujusmodi insufficientiam nullius roboris esse contendit informem notulam, seu, ut vocant, *statum introitus, & exitus* Episcopo ab Archipresbytero traditum, & ad Sac. Congregationem transmissum, tum quia hujusmodi notula ab eodem Archipresbytero pro sui libito exarata asseritur, nulloque documento, nec juramento comprobata, tum etiam quia erronea in omni parte deprehenditur. Et sanè despiciendam existimat descriptam in ea notula partitam præseferentem quantitatem re-

responsionum frumenti, quæ singulis annis a Colonis percipiuntur, quoties non exhibeantur vel publici Codices nuncupat. *Quartarini*, vel prædiorum dimensio ab Agrimensore facta, vel Notarii rogitus.

Observat insuper, responsionum quantitatem minus rectè eductam fuisse ex calculo confecto juxta divisionem prædiorum factam per quinquennium, cum tamen divisio fieri debuisset per quadriennium, & ut ajunt *a quartaria*, quemadmodum in Territorio Fiani servari solet, & statuit *Rot. in Romana, seu Nepesina affictus* 15. *Junii* 1767. *coram R. P. D. Mannellio*, *&* *in alia Romana, seu Nepesina super Cultis* 4. *Junii* 1768. *coram Eodem*. Nec sine causa aliqua, & ratione, Terrenorum divisionem uno potius, quam alio modo expositam fuisse affirmat, quia scilicet non omnia Capituli prædia ejusdem sint dimensionis, sed duo majorem, duo verò minorem habeant extensionem; atque hinc evenire dicit, ut in divisione facta per quinquennium semel tantùm occurrat satio majorum prædiorum, bis autem minorum, quando é converso ducto calculo per quadriennium, seu *a quartaria*, frumenti responsiones juxta ipsam contrariam notulam in quantitate rubrorum 30. augerentur.

De errore prætereà redarguit eamdem notulam, utpotè quia frumenti pretium taxatum tantummodo fuerit in ratione scutorum quinque pro qualibet mensura, vulgò *rubbio*, cum potius calculari debuisset in summa scutorum sex cum dimidio, prout in præterito decennio ex Officio Tribunalis Agriculturæ deprehendi sustinet. Atque insuper erroneam quoque contendit Canonum partitam, cum non respondeat quantitati expositæ in alia notula proprio caracthere scripta ab Antonio Valvasori illius Collegiatæ olim Canonico, ex qua major canonum quantitas resultat.

Quo verò ad expensas in supradicta notula descriptas, tollendam primùm existimat eleemosinam Missæ pro Populo, quæ singulis diebus festis absque ullo emolumento applicare tenetur Archipresbyter Animarum curæ præpositus *Fagnan. in Cap. Fraternitatem de Sepultur. num.* 93., *&* 95., *Bartos. de Offic.*, *&* *potest. Paroch. part.* 1. *cap.* 11. *num.* 11. Delendam pariter partitam scut. 12. pro fructibus census vigore facultatis Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium impositi in sorte scut. 300., nec non partitam scut. 30. pro illius extinctione quolibet anno deponendam: Advertit enim, eamdem summam erogari debuisse in expensas pro Fabrica Ecclesiæ, prout eidem Sac. Congregationi narratum fuit, & ab ea sub hac lege impertita facultas, cum tamen postea in expensas hujus litis consumpta extiterit. Observat insuper, nullam de hoc onere, utpotè temporaneo, atque extraordinario in præsenti casu habendam

dam esse rationem *Barbos. tract. var. de clauf. usufreq. clauf. 47. num. 8., & 16.*, *Rot. cor. Duran. decis. 418. num. 1.* Ac demùm tollendam partitam scut. 16. 13. $\frac{1}{7}$ pro damnis ob non sequutam ex Colonorum deficientia aliquorum prædiorum culturam, quando è converso probari affirmat, omnia prædia fuisse Colonis locata.

Non inficiatur, ex reditibus Ecclesiæ detrahendam esse congruam pro Archipresbytero, & duobus Canonicis, sed negat, eam pro Archipresbytero constitui debere in annuis scut. centum, juxta Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 13. de Reform.*, cum hujusmodi Conciliaris dispositio locum tantummodò habeat, quando agitur de imponenda pensione alicui Parochiali Beneficio; de cætero autem præfiniendam tantummodo dicit congruam, quæ honestæ Parochi sustentationi sufficiat *Barbos. de Offic., & potest. Paroch. part. 1. cap. 13. num. 4., & 5.*, *Amostaz. de caus. piis lib. 4. cap. 28.*, *Constantin. vot. decis. 251. num. 10.* Addit, quod dum agitur de restauratione Ecclesiæ, computari etiam debeant in partem congruæ emolumenta incerta *Piton. in addit. ad discept. 8. num. 9.* nec habendam esse rationem oneris erga pauperes, & Peregrinos, cum onus reparationis Ecclesiæ præferri debeat *Rebuff. de congr. part. num. 72.* Hinc spectatis loci circumstantiis. ubi viliori pretio victualia venduntur, nec non personæ Archipresbyteri, & duorum Canonicorum, qui patrimonialia bona possident, infert, Archipresbytero sufficere congruam in scutis 50., totidemque duobus aliis Canonicis, atque idcircò ex istorum Præbendis superesse scuta 459. in Ecclesiæ restaurationem eroganda.

Ait, nullimodè subsistere, quod Archipresbyteri restaurationis onus nunquam subierint, quin immò ex opposito constare, plures a prædecessoribus Archipresbyteris erogatas in eam causam fuisse pecunias, & si quid a Barone, aut Communitate impensum fuit, id utpotè gratuitò, & pro arbitrio, vel charitatis impulsu, & titulo eleemosinę gestum, referendum esse ad actus merè facultativos, & voluntarios, qui nunquam præscriptionem, aut consuetudinem inducere possunt *Rot. cor. Emerix. Jun. decis. 1000. num. 4., decis. 1141. num. 6., & cor. Lancett. decis. 570. num. 5.*

Perperamque obiici contractum, vel quasi contractum initum a Duce de Ursinis Feudi Barone, dum petiit ab Episcopo aliarum trium Parochialium suppressionem, & Parochialitatis translationem ad Collegiatam. Advertit enim, in Bulla unionis nullum reperiri verbum, ex quo expressa, vel tacita induci valeat Baronis obligatio pro Ecclesiæ Collegiatæ manutentione, vel restauratione, nec hujusmodi obligationem erui ullimodè posse ex sola petitione translationis unius ad alteram Ecclesiam.

De-

Denique contendit, deteriorem Ecclesiæ statum ex culpa, & negligentia Archipresbyteri, & Canonicorum contigisse, cum triginta ab hinc annis Ecclesia reparatione indigeret, absque eo quod Archipresbyteri, & Canonici manus operi unquam admoverint; & licet hac de causa sæpius ab Episcopo Ecclesia Interdicto subiecta fuerit, nisi intra certum tempus reaptatio fuisset exequuta, nihilominus ipsos nunquam fuisse de restauratione sollicitos, sed solum de obtinenda termini prorogatione. Hinc æquum existimat in pœnam culpæ, & negligentiæ Archipresbyteros, & Canonicos adigere ad subeundas restaurationis expensas.

Ad II. dubium sustinet, ejusdem Ecclesiæ Patronatum ad Communitatem pertinere, idque constare tum ex actis Visitationum, ubi adnotata leguntur Episcoporum decreta, quibus restauratio eidem Communitati uti Patronæ fuit iniuncta, tum etiam ex facto ipsius Communitatis, & Baronis; nam Communitas post expletam annis 1743., & 1744. Patronatus cessionem favore Ducis Petri Gregorii Boncompagni, conquesta est coram Sac. Congregatione Boni Regiminis de illius cessionis validitate, obtinuitque facultatem jura sua experiendi; quare idem Dux sponte consensiit, ut sine ulla controversia, aut Judicis declaratione, præfata cessio irrita haberetur.

Provocat insuper ad instrumenta tum emptionis, & venditionis Feudi, tum etiam possessionis. Observat, in Instrumento emptionis exarato anno 1690. descripta quidem fuisse singula bona tam rustica, quam urbana, nec non jura omnia, ac signanter *jurapatronatuum*, *& præsentandi ad quæcumque beneficia Ecclesiastica*; de Patronatu autem Ecclesiæ nullam habitam fuisse mentionem. Addit, in Instrumento Possessionis captæ a Procuratore Ducis Marci Otthoboni Feudi emptoris, distinctè, accuratèque describi actum possessionis dicti Feudi, ac Palatii, & adnexorum, omniumque ad illud spectantium, de Ecclesia verò hæc dumtaxat recenseri, quod nimirum *ad Ecclesiam Collegiatam d. Terræ accessit, & audita re Sacra, ex ea per d. Terram, seu Castrum deambulavit*. Hoc itaque in loco præcipuè notandum proponit, quod Procurator non omisisset specificos actus possessionis Ecclesiæ referre, si possessionem quoque jurispatronatus adiisset.

Nec Patronatum ritè inferri vel ex jure præsentandi ad Archipresbyteratum, & Canonicatus, vel ab obsequiis, & honoris significationibus, quæ in Ecclesia Baroni exhibentur, vel ex stemmate Baronis in organo, & in Ecclesiæ facie apposito. Respondet enim ad primum, diversum esse Patronatum Ecclesiæ a Patronatu Beneficiorum, quæ in illa erecta sunt *Vivian. de Jurepatr. lib. 2, cap. 9. num. 24.*,

Rot. cor. Coccin. decis. 173. *num.* 6. Obsequia verò non exhiberi Baroni uti Patrono, sed tanquam Feudi Domino, quemadmodum unicuique Baroni in Ecclesia proprii Feudi exhibentur. Stemmata demùm præseferre indicium admodum fallax, & æquivocum, cum etiam Ecclesiæ Benefactorem indicare valeant *Amostaz. de caus. piis lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 40., *Panimoll. decis.* 10. *annot.* 1. *num.* 66. *Rot. in Maceraten. Jurispatronatus Ecclesiæ* 17. *Junii* 1748. *§.* 19. *ceram Vicecomite*.

Ab Archipresbytero, & Canonicis, nec non a Communitate nihil hactenus deductum est, quamvis pluries moniti, & sæpius causæ propositio ad certam diem decreto fuerit indicta.

Duo in præsenti causa sunt quæstionum capita, ac de unoquoque in separato dubio disceptatur. Agitur in primo de Ecclesiæ restauratione, de qua plura deducta sunt in priori causæ folio diei 31. *Augustis* 1771., & præcipuè perpensa Concilii Tridentini dispositio *Sess.* 21. *cap.* 7. *reformat.* non inopportunè repetenda, qua Episcopis injungitur, ut *Parochiales Ecclesias, etiamsi Jurispatronatus sint, ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, omnes Patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectu Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota.* Hinc Doctores certos veluti gradus constituunt, ut scilicet prius Ecclesia restaurari debeat ex peculiaribus reditibus pro fabrica destinatis; quibus deficientibus hujusmodi onus iis inhæreat, qui ex Constitutione aliqua, vel Statuto, aut ex veteri, constantique consuetudine ad id tenentur; tertio loco adigatur Parochus ex fructibus, qui a Parochiali beneficio supersunt; ac postea cæteri omnes, qui in Parochiali Ecclesia beneficia possident; deindè verò huic oneri subjiciantur Patroni, si Patronatum retinere velint; et tandem Populus, sive Parochiani. Viden. *Benedict. XIV. instit.* 100.

Cum itaque in casu, de quo agitur, peculiares fabricæ reditus deficiant, ponderandum, cuinam restaurationis onus inhæreat. Habenda præ oculis sunt Episcoporum decreta, qui anno 1593. Communitatem coegerunt ad reparanda Ecclesiæ tecta, anno 1617. ad mansiones Canonicales restaurandas, anno 1695. ad reficiendum Pergamum, & hujus generis alia, de quibus in Summario Baronis.

Quo verò ad Patronatum, de quo in altero dubio quæritur, ex Concilio Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 12. *de Reform.* hæc habentur = *Nemo etiam cujusvis Dignitatis Ecclesiasticæ, vel Sæcularis, quacumque ratione, nisi Ecclesiam, Beneficium, aut*

Ca-

Capellam de novo fundaverit, aut construxerit, seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, & Patrimonialibus bonis competenter dotaverit, juspatronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat. Perpendendum, an ex fundatione, vel dotatione constet de Patronatu, vel saltem illius pertinentia desumi possit ex venditione Feudi, ex cessione, aliisque, quæ inter monumenta causæ recensentur.

Omnibus proindè accurare perpensis, dijudicandum erit ab EE. VV.

I. *An, & quis teneatur ad restaurationem Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis Terræ Fiani, & Domus Archipresbyteralis in casu &c.*

II. *An, & ad quem spectet Patronatus ejusdem Ecclesiæ in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

FULGINATEN. FUNERUM. Frequentissimæ ab anno 1648. ad hodiernam usque diem exarserunt lites inter Canonicos Cathedralis, & Parochialis Ecclesiæ Civitatis Fulginei, & Parochos aliarum Ecclessiarum ejusdem Civitatis, super tumulatione Cadaverum Ecclesiasticorum, ac super traditione Ceræ, & emolumentorum funeralium, contendente Capitulo, jus sibi esse tumulandi in propria Ecclesia omnes Presbyteros, & Clericos, qui non electa sepultura decederent, vel quartam funerum partem percipiendi, si alibi sepulchrum elegissent. Mota primum hac de re fuit quæstio eodem anno 1648., occasione obitus Sacerdotis Antonii Juliani, qui sepulturam elegerat in Parochia sui domicilii, nempe in Ecclesia S. Francisci; tunc enim cum Capitulo Cathedralis denegata fuisset quarta funeralis, Vicarius Generalis *visis Testium depositionibus hinc inde examinatorum* pronunciavit, *quartam Ceræ Funeralis debendam esse dd. Patribus Guardiano, & Fratribus S. Francisci*. Interposita appellatione, juxta illorum temporum morem ad Præsidem Perusiæ, causa delata est ad Vice-Gubernatorem Fulginei, qui prævio formali examine quinque Testium *super quadragenaria, ac immemorabili consuetudine*, die 17. Augusti ann. 1649. sententiam protulit favore Ecclesiæ Cathedralis, jussitque, *servandam esse ante-*di- *Sess. 24. cap. 13., & Sess. 25. cap. 13. de Reform.*

dictam quadragenariam, ac immemorabilem consuetudinem ad favorem dictæ Ecclesiæ Cathedralis, eidemque quartam funeris ejusdem Sacerdotis consignari mandavit. Provocatum hinc fuit ad Tribunal A. C., a quo, novo præmisso formali Testium examine, die 31. Augusti 1652. relaxatum fuit mandatum *de manutenendo in prædicta possessione humandi in prædicta Cathedrali Ecclesia Fulginaten. omnia Corpora Presbyterorum, qui alibi sepulturam non elegerint, & recipiendi quartas funerum illorum, qui Sepulturam alibi elegerunt*, quod quidem Episcopus Fulginaten. Montecatinus in actu visitationis habitæ die 21. Augusti 1653. exequi præcepit.

Nonnullos post annos Parochi omnes Fulginatenses ad hanc Sac. Congregationem confugerunt, quæ, audito de more Episcopo Pallotta, propositisque duobus dubiis super jure Capituli Cathedralis, die 10. Julii 1694. rescripsit = *Ad Judices suos*. Novis iterum excitatis contentionibus a Priore, & Parocho Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ infraportas, Capitulum Monitorium anno 1707. expedivit super exequutione Judicati alias ab A. C. editi, & quamvis Partes deindè quieverint, nihilominus eadem postea promota questione, Curia Episcopalis anno 1727. decrevit, Ecclesiam Cathedralem, ejusque Capitulum manutenendum fore, & esse in possessione, & mandatum de manutenendo contra quoscumque d. Ecclesiam super præmissis perturbantes relaxavit.

Similis tandem controversia exarsit occasione funeris Francisci Maria Genga Clerici conjugati, ac simul Medici in Civitate Fulginei, qui prævia sepulturæ electione conditus fuerat in Ecclesia S. Augustini. Cum enim Prior Curatus Ecclesiæ S. Marcelli, cui defunctus subjectus erat, quartam funeralem sibi vindicasset, Ecclesia Cathedralis querelam detulit turbati sui juris ad Tribunal Episcopi, coram quo die 7. Januarii 1767. d. Prior vocatus fuit in judicium. Interim verò tum Prior, tum alii Civitatis Parochi recursum habuerunt ad Sac. Congregationem, a qua cum declaratum fuisset, hujusmodi recursum impedire minime posse prosecutionem, & terminationem causæ pendentis in Curia Episcopali, hinc Vicarius Generalis resumpta causæ cognitione die 27. Aprilis 1767. sententiam protulit favore Cathedralis Ecclesiæ: Sed postea ad omnes omninò contentiones inposterum præcidendas, quatuor subscripta fuerunt dubia, in quibus singula controversiæ capita exhibentur;

Ad I. dubium, triplici ex capite contendit Capitulum, jus sibi competere tumulandi in propria Ecclesia Presbyterorum, & Clericorum cadavera; primo scilicet quia ibi tantum sepulchrum pro iis destinatum invenitur: II. quia hoc jus privative sibi reservavit in primæva Parochiarum ad-

additione: III. ex centenaria, & immemorabili consuetudine. Sepulchri existentiam in sola Cathedrali pro Presbyteris, & Clericis resultare dicit tum ex libris mortuorum, in quibus usque ab anno 1579. recensentur Cadavera tumulata in Sepultura communi Presbyterorum, ac præterea ex antiquis, & recentioribus ejusdem Ecclesiæ Inventariis, & demum ex Testibus examini subiectis annis 1649., & 1650., qui de illa deponunt. Neque sepulchrum hoc confundi posse cum altero ibidem existente *pro Societate XII. Presbyterorum*; quia mortuorum libri, Inventaria, & Testes utrumque egregie distinguunt. Nihili verò faciendos sepulchrales lapides, qui in Ecclesia Parochiali S. Jacobi, & in altera S. Salvatoris modo observantur, cum ii recentes sint, & clam, ac per fraudem invecti, prout ex Testibus deprehenditur.

Quo verò ad reservationem juris tumulandi Presbyteros, & Clericos, animadvertit, Ecclesiam Cathedralem Fulginaten. unicam olim fuisse Parochialem in tota Civitate, & in ea tantum esse fontem Baptismalem. Hinc infert, quod sicuti unicus ille fons Baptismalis indicat superioritatem, & reservationem juris baptizandi *Butr. in cap. Ad Audientiam* 1. *circ. fin. de Eccles. ædific.*, *Rot. in Gerunden. Juris Sepeliendi* 28. *Martii* 1757. §. 27. *cor. Stadlon.*, ita unicum sepulchrum pro Sacerdotibus, & Clericis in sola Cathedrali indigitat reservationem juris eorum Cadavera tumulandi. Observat præterea, in antiquissimis Constitutionibus Sixti IV. moderatis ann. 1481. per Cardinalem S. Marci cautum fuisse, ut omnes Clerici Minores, & Beneficiati Civitatis, & Diœcesis Fulginaten. quolibet die solemni interesse tenerentur divinis Officiis, & Ecclesiæ Cathedrali inservire. Arguit proindè, non alio titulo, quam jure retentæ Parochialitatis ad id compelli potuisse. Sac. Congregatio *in Ferentina* 12. *Novembris* 1639. *ad III.*, & *Episcopo Nicien. ad Visitationem SS. LL.* 6. *Augusti* 1677. *ad dub. XIII.* Hoc autem in loco provocat ad decretum quoddam Episcopi, de quo meminit anno 1650. Vincentius Butaronus annosus Cancellarius Episcopalis. Addit, diù invaluisse morem, ut Clerici totius Civitatis, etsi in alienis Parochiis commorantes, nonnisi in Ecclesia Cathedrali satisfacerent præcepto Paschatis, aut saltem de licentia Prioris Cathedralis in aliis Ecclesiis; item aliquando obtinuisse, ut Vicarii Curati, & Sacristæ Cathedralis possent præbere Sacramenta quibusvis Clericis, & Sacerdotibus infirmis, iisque adstare in mortis agone, ex quibus omnibus conatur inferre, evulgari potuisse dicterium, quòd *Clerici non faciunt Parochiam*. Ac demùm innititur Capitularibus Constitutionibus probatis ab Episcopo Battistelli *Cap.* 15. *tit. de jure funerandi Clericos*, & *Presbyteros*,

ubi

ubi aperta fit mentio reservationis juris Cathedralis pro tumulandis Clericorum Cadaveribus.

Ad *centenariam* vero, & *immemorabilem* consuetudinem quod attinet, de ea constare asserit ex testibus usque ab anno 1649., & 1650. formiter examinatis; quos inter plurimos recenseri servitio Ecclesiæ Cathedralis minimè adscriptos; nullosque utilitatem aliquam ab exitu hujus litis fore percepturos, singulos verò fuisse intactæ fidei, & provectæ ætatis, quibus proindè innotescere poterat res in controversiam adducta: Omnes denique testatos esse, sic semper vidisse, & audivisse a Majoribus. De eadem quoque consuetudine constare tum ex libris mortuorum ab anno 1579. ad hæc usque tempora; tum etiam ex rebus a Judicibus Fulginei, & ab A. C. judicatis, quibus decretum Episcopi Montecatino, & Parochorum aquiescientia robur addiderunt.

Contendit, *rei judicatæ* obstaculum plenius probasse anno 1694. hinc Sac. Congregationem, dum *ad judices suos* Parochorum quæstionem remisit. Nec momenti esse auctoritatem Card. Petra *tom. 3. ad Constit. 2. Honorii III. sect. unic. num.* 40., qui commemorans resolutionem captam anno 1694. ab hac Sac. Congregatione, sic inquit: *Cum enim ageretur de consuetudine probanda, ideo forte noluit assumere cognitionem*. Regerit enim, hunc Auctorem magis ex propria, quam ex Sacræ Congregationis mente fuisse loquutum; cum præsertim, tempore editæ Resolutionis non fuisset Secretarius Sacræ Congregationis: Cæterum ex allegationibus, & scriptis tunc vicissim distributis resultare, causam fuisse remissam ad Judices suos, non quia ageretur de consuetudine probanda, sed ad instantiam Ecclesiæ Cathedralis, ne scilicet eluderetur a Parochis *Rei judicatæ* auctoritas, & obstaculum; Atque his omnibus accedere sententiam anno 1727. a Vicario Generali obsignatam; nec non Constitutiones Capitulares ab Episcopo Battistelli anno 1729. solemniter approbatas, & alteram Sententiam anno 1767. a Curia Episcopali èditam.

Ait, minime audiendos esse Parochos excipientes, Parochiarum divisionem usque ab anno 1591. sub Episcopo Bizzono initam, nullam præseferre juris reservationem favore Cathedralis. Respondet enim eo anno sequutam non fuisse primam, & originariam Parochiarum erectionem, sed nudam, & simplicem divisionem materialium limitum singularum Parochiarum, quæ jam ante certa sub lege erectæ fuerant; nec alia de causa, nisi ut melius Concilii Tridentini decretis satisfieri posset, quemadmodum in proemio Instrumenti divisionis anno 1591. habetur, hinc mirum non esse, si in eo nulla fiat mentio reservationis juris tumulandi, prout nec sermo habetur de privativo jure bapti

ptizandi, quo tam ante, quam post divisionem Ecclesia Cathedralis potita fuit.

Despiciendas verò exceptiones, quæ proponuntur adversus Testes super immemorabili interrogatos anno 1649. & 1650. Contendit enim, ex octo illis testibus unicum tantum fuisse olim Ecclesiæ Cathedralis Canonicum, & jamdiu Canonicatui renunciasse; & etiamsi omnes fuissent Canonici, cum de nulla illorum peculiari utilitate ageretur; plenam idcircò etiam pro ipsa Cathedrali probationem constituere *Rot. in Vrbevetana jurium Parochialium super Quarta Funerali* 4. *Maii* 1768. *§.* 5. *cor. Azpuru*. Præterea nititur probare, eosdem Testes deposuisse cum omnibus conditionibus, quæ requiruntur a Glossa *in cap.* 1. *verb. memoria de Prescription. in* 6., eaque in re provocat ad ipsa Testium dicta. Subdit demum, perperam nunc improbari Testes, quos probavit Res Judicata Judicis Fulginatensis anno 1649., & altera confirmatoria A.C. anno 1652., quibus Episcoporum decreta, aliæque res judicatæ accesserunt.

Nec obesse, quod Sententiæ hujusmodi non contra omnes, sed contra unum, vel alterum Parochum prodierint: Observat enim, Sententias in causa omnino simili, seu in eadem quæstione adversus unum Contradictorem legitimum emanatas statum facere contra omnes æquale jus habentes, perinde ac si citati omnes, auditique fuissent *Rot. in Nullius, seu Sublacen. Decimarum* 21. *Februarii* 1763. §. 14. *coram. Herreros*, *& in Romana Funeris* 19. *Junii* 1747. §. 11. *coram Vicecomite*. Fatetur quidem, non semel novas exortas fuisse contradictiones, sed advertit, Contradictores semper succubuisse; atque hinc ex hujusmodi contradictionibus non solum non infirmari, quinimo maxime confirmari inconcussæ observantiæ efficaciam, & Rerum Judicatarum auctoritatem *Rot. in Leodien., seu Colonien. Jurisdictionis super III. Dubio* 17. *Januar.* 1744. *§.* 6. *cor. Card. Molino, & in cit. Nullius, seu Sublacen.* §. 19.

Pro certo statuit, jura Parochialia acquiri posse non solum a Parochiali Ecclesia, sed etiam a non Parochiali adversus Parochialem ex centenaria, vel immemorabili præscriptione *Cap.* 1. *De Præscript. in* 6., *Rot. in Barchinonen. Jurium Parochial.* 13. *Januar.* 1720. *§.* 15. *coram Aldrovando* præsertim quando agitur de uno tantum, vel altero Parochiali jure acquirendo *Loter. de Re Benef. lib.* 1. *quæst.* 20. *num.* 51., *& seqq.*, *Vrsaya discept.* 17. *tom.* 4. *part.* 2. *num.* 63., *& seqq.* Hinc colligit, multo magis ab Ecclesia Cathedrali, & Matrice acquiri potuisse jus tumulandi ex immemorabili consuetudine *Rot. in Gerunden. Juris Sepeliendi super Parochialitate* 28. *Martii* 1757. §. 23. *coram Stadion.*; cum immemorabilis consuetudo præsumptionem inducat vel sti-

stipulatæ in primæva Parochiarum divisione reservationis, vel Privilegii Apostolici, vel alterius cujusque optimi tituli *Pignatell. Consult. Canon.* 48. *num.*60., *Card. de Luc. de Jurisdictione disc.* 34. *num.*29., atque ex his titulis resultare privativum jus tumulandi, aut alterius actus Parochialis favore Ecclesiæ etiam non Parochialis *Gonzal. ad Reg.*8. *Cancell. Glos.*6. *num.*53., *& seq.*, *Card. Petr. tom.* 2. *ad Constit.*9. *Innocentii III. sect* 3. *num.*51., *Rot. in prædicta Barchinonen. Jurium Parochialium* §. 16., 17., eo magis, quia immemorabilis consuetudo magis operatur, quam Privilegium Apostolicum expressum *ad Text. in Cap. super quibusdam* §. *Præterea de verbor. signif.*, *Rot. in dict. Barchinonen.* §.11.

Frustra opponi, Sententias favore Cathedralis prodiisse *non in petitorio, sed in possessorio tantum Judicio*. Respondet enim, Immemorabilem consuetudinem præbere quemcumque titulum, itaut illius vigore admittatur non solum possessio, sed quicumque titulus ex ea possessione desumptus *Gagliard. de Jurepatron. cap.* 7. *num.* 1., *& seqq.*, *Ferrar. in Biblioth verb. Præscriptio* §. 3. *num.* 10.. Hinc infert, Ecclesiam Cathedralem titulo innixam fuisse, cum variæ prodierint Sententiæ ann. 1649, 1652., 1707., & 1767. approbantes immemorabilem consuetudinem tumulandi Presbyteros quoscumque, & Clericos: atque idcirco Judices, qui eam probarunt, & servari mandarunt, non in nudo possessorio, sed in petitorio, & super bono jure judicium protulisse.

Inquit, nihil adversari juri Ecclesiæ Cathedralis Synodum Diæcesanam ann. 1722. sub Episcopo Battistelli, in qua *cap.*27. *num.* 5. præcipitur, ut in qualibet Parochiali extruatur Sepulchrum pro Clericis, cum hujusmodi Synodale decretum intelligi debeat de iis Clericis, qui in aliqua Parochiali Sepulchrum elegissent, vel referri debeat ad jus commune, absque ulla quoad factum innovatione. Addit, Episcopum nec *potuisse*, nec *voluisse* quidquam detrahere privativo juri Cathedralis. Non *potuisse*, quia agebatur de jure quæsito tollendo; Non *voluisse*, quia paulo post, idest anno 1727. sub eodem Episcopo prodiit ex ejus Tribunali solemnis Sententia comprobans immemorabilem illius consuetudinem; Et quia idem Episcopus anno 1729. confirmavit Capitulares Constitutiones, quæ *in cap.* 15. totæ sunt de jure privativo Ecclesiæ Cathedralis humandi Presbyteros, & Clericos. Ex his, atque ex observantia ab anno 1722. concludit, Synodale decretum sine effectu remansisse; præsertim quia nunquam, nisi novissimis temporibus, & in fraudem constructum a Parochis fuit Sepulchrum pro Clericis.

Pergit inde ad suadendum, jus hoc privativum Ecclesiæ Cathe-

thedralis protrahi etiam ad eos Clericos, qui relicta Ecclesiastica Militia, ad munia Laicorum obeunda, & ad artes exercendas digrediuntur. Hoc autem in loco observat, privilegia Clericalia firma remanere, si agatur de iis, quæ tantummodo respiciunt superioritatem, commodum, & favorem Episcopi, vel Ecclesiæ, vel ipsius Ordinis Clericalis; secus vero, si agatur de commodo, & favore privato ipsius Clerici in præjudicium tertii *Card. de Luc. in Voto pro veritate* edito jussu Sacræ hujus Congregationis, & *relat. sub. tit. de Jurisdict. disc.* 112. *in supplemen. tom.* 16. Provocat inde ad Testes anno 1650. examini subiectos, & ad Sententias favore Cathedralis editas, ubi fit mentio de Clericis *cujuscumque qualitatis*, *& conditionis*.

Perperamque opponi, quod in libris Mortuorum non exprimantur Clerici, qui a Clericali militia recenserint; Primo enim animadvertit, argumentum hujusmodi negativum nullius roboris esse e conspectu affirmativæ probationis desumptæ ex Testibus, & Judicum Sententiis. Deinde subdit, nihil causæ fuisse, cur in Libris Mortuorum nominatim exprimeretur qualitas, & conditio Clerici defuncti. Ceterum ait, ab anno 1725. hoc sæpissime descriptum occurrere in Libris Mortuorum ob novas cavillandi occasiones, quæ quotidie captabantur. Spernendum verò quidquid dixerit Procurator Ecclesiæ Cathedralis occasione litis institutæ anno 1692. apud hanc Sac. Congregationem de jure Cathedralis respectu tantum Presbyterorum, & Clericorum, qui in via Ecclesiastica progressi fuissent; nam his verbis potentiora esse facta, & illimitatum jus ab Ecclesia Cathedrali continuo deinceps exercitum.

Sustinet denique, nullo in pretio habenda esse exempla fortasse adducenda interruptæ aliquando consuetudinis, quia si illa præcedant antiquam Rem judicatam, rejecta ab ista jam fuerunt; Si vero posteriora sunt, tanquam actus in fraudem legitimæ consuetudinis, esse omnino abrogandos, prout revera nova decreta, & sententiæ abrogarunt.

His quoad primum dubium fusè perpensis, paucis se expedit a reliquis dubiis, quæ a priori pendent. Itaque ad II. animadvertit, Testes non solum probasse in genere *universalem* consuetudinem, sed etiam nominatim quoad Parochos; quinimmo aliquem in specie casum attulisse tumulationis in Ecclesia Cathedrali Cadaveris alicujus Parochi, qui non electa sepultura decesserit. Addit, cohærere Libros Mortuorum, in quibus aperta fit mentio Parochorum, quorum Cadavera in Cathedrali tumulata sunt, & solutionis quartæ funeralis factæ eidem Cathedrali, si alibi quis elegerit sepulchrum. Rem confirmari dicit exemplo resolutionis hujus Sacræ Congregationis in *Andrien. die* 19. *Septembris* 1767.: Ac tandem observat, Doctores spirituale conju-

gium asserentes Parochum inter & Ecclesiam, non loqui de stricto, & indissolubili conjugio, cum eamdem loquendi formam adhibeant quoad Canonicos, & Beneficiarios. *Rot. in Romana juris tumulandi cor. Priolo apud Monacell. dec.* 18. *num.* 22., *& in confirmatoria apud Eumdem dec.* 7. *num.* 11. *& seqq.*

Iisdem ad III. dubium utitur argumentis desumptis ex Testium loquutionibus, & ex Libris Mortuorum, in quibus humatio Cadaverum Clericorum Conjugatorum describitur. Ait, minus verè initium tumulationis istorum Cadaverum desumi tantùm ab anno 1725., sed etiamsi ab eo tempore desumi vellet, sustinet nihilominus, adesse quadragenariam, quæ sufficiat. Tandem pro IV. dubio provocat ad sæpe dictos Testes, & ad immemorabilem consuetudinem.

Parochi e contra ad I. dubium sustinent, tantùm nunc agi de *bono jure*, & non de *simplici possessione*, de quo semper actum fuisse dicunt in præcedentibus Judiciis ab anno 1646. ad 1767. Bonum autem jus apertè resultare ex *Cap.* 19. *de Sepulturis*, *& cap.* 1. *eodem tit. in* 6., *in Clement.* 2. *eodem tit. Concil. Trident. cap.* 13. *sess.* 24., *& cap.* 13. *sess.* 25. *de Reform.*, & quidem cum exclusione Ecclesiæ Cathedralis nominatim quoad jus tumulandi *Card. Petra ad Constit.* 2. *Honorii III. tom.* 2. *sect. unic. num.* 41., *Sac. hæc Congregatio in Tolentina Juris sepeliendi* 11. *Augusti* 1753.

Quo vero ad consuetudinem animadvertunt, eam contra Parochorum jura rejici a Concilio Tridentino *d. sess.* 24. *cap.* 13. *de reform.*, & signanter quoad quartam funeralem *cit. sess.* 25. *cap* 13. *de reform.*, & a san. mem. Pio IV. *in Constit.* edita pro ejusdem Concilii confirmatione, cum adjectione clausulæ Sublata, & decreto irritanti, quæ clausulæ tollunt omnem contrariam observantiam *Ursaya disceptat. Eccles.* 19. *tom.* 6. *par.* 2. *num.* 105. Sed etiamsi contraria consuetudo admitti posset, contendunt, eam probandam esse complete, & cum requisitis immemorabilis *Fagnan. in Cap. Irrefragabili de offic. Ordinar. num.* 8., *Rot. coram Molin. decis* 952. *tom.* 4. *num.* 17. Asserunt autem, demendum esse tempus, quod ab anno 1646. ad hanc usque diem præteriit, tum quia per hoc tempus observantia pluribus actis contrariis fuit intermixta, tum etiam quia plurimæ obortæ sunt, ac sæpius repetitæ ea super re controversiæ, & contradictiones; cum tamen vel unicus actus contrarius, & unica contradictio sufficiat ad evertendam, & interrumpendam immemorabilem *Rot. coram Falconer. in Miscellan. dec. s.* 74. *num.* 16., *coram Caprara decis.* 398. *num.* 8., *decis.* 87. *num.* 5. *part.* 10. *Recent.*, *& decis.* 304. *num.* 13. *part.* 11. *Recent.*

Ex pluribus autem despiciendam sustinent probationem erutam ex Codicibus Cathedralis, in quibus Defunctorum nomina describuntur; ac primo scilicet quia iidem Codices ini-

initium ducunt ab anno 1579., a quo quidem tempore ad annum 1646. numerantur solum 67. anni, qui nec immemorabilem, nec centenariam constituunt. Praeterea quia in iisdem Codicibus nullo modo indicatur, cujus Parochiae essent Clerici sepulti in Cathedrali; ac proinde conjici potest, eos vel fuisse de Parochia Cathedralis, vel ibidem sepultos ratione Canonicatus, aut beneficii residentialis, aut ex voluntaria electione, aut ob existentiam sepulchri gentilitii, idque resultare dicunt ex parvo numero 35. tantùm Defunctorum, qui ibidem descripti sunt; cùm verosimile non sit, ab anno 1579. ad annum 1646., in ampla, & conspicua Civitate per octo Parochias distributa, solum 35. ex Clericis, & Presbyteris occubuisse, cùm de caetero constet, alios plures eo temporis spatio in aliis Parochiis degentes obiisse, qui in libris Cathedralis non commemorantur.

Addunt, nihili habendam esse probationem desumptam ex Testibus formiter examinatis annis 1649., & 1650.. Nam quoad primum examen asserunt, illud irritum fuisse ex defectu jurisdictionis, cùm factum fuerit coram Vice-Gubernatore Fulginei Judice Laico in causa Ecclesiastica *ad Text. in Cap. At si Clerici De Judic.*, *Rot. decis.260. par. 1. Recent. num.5.*. De nullitate quoque redarguunt alterum examen, quia post semel absolutum primum examen; & revelata dicta Testium, non licuit eosdem Testes iterum interrogare, aut novos super eadem re inducere ob praesumptam illorum seductionem *ad Text. in Cap. Fraternitatis de Haereticis, ibique Doctores, Rot. coram Seraphino decis. 688. num. 1.*

Plures hinc congerunt exceptiones adversus Testes, eorumque depositionem. Ajunt enim, eos fuisse addictos servitio Cathedralis, uti Canonicos, aut Beneficiatos, aut Sacristas; atque idcirco illorum testimonium esse maxime suspectum *Cap. Litteris De Testib.*, *Leg. 2. Cod. eod. tit.*; *Leg. Nullus ff. eod. tit.*. Inter hos Testes advertunt Canonicum Marchesium Orphini, mendacem, varium, sibique contradicentem inventum fuisse. Subdunt, omnes ultro admisisse, non alios fuisse tumulatos in Cathedrali, nisi qui Canonicatum, vel Dignitatem in ea obtinuerint; ac proinde illorum tumulationem referunt ad titulum Beneficii residentialis, non ad jus privativum Ecclesiae *Amostaz. de caus. piis lib.6. cap.2. num.50.*. *Rota coram san. mem. Clemente XIII. decis.239. num.47.*; vel quia gentilitium sepulchrum in eadem Cathedrali habuerint, in eoque, non electa alibi sepultura tumulari debuissent *Reinfestuel. in jus Canon. to.3. tit.28. num.18.*, *Rot. coram Ansaldo decis.633. num.12.*, *& seqq.*. Praeterea observant, eosdem Testes non negare, alios Presbyteros potuisse in aliis Parochiis tumulari, imo fateri plures revera in sua Parochiali Ecclesia fuisse sepultos, &

omnes affirmare, varias hac de causa, & frequentes exortas fuisse contentiones, & nihil ea de re audivisse a Majoribus, vel solùm aliquid audivisse a Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, quorum assertio tamquam suspecta objicitur *Cap. Licet. ex quadam De Testibus*, *Cap. Fraternitatis De Hæreticis*, *Cap. Nullus 3. quæst.4.*, *Leg. Nullus ff. de Testib.*; ac demum observandum proponunt, Testem Vincentium Butaroni, qui Cancellarius fuerat Episcopalis, & qui decretum incerti Episcopi jactaverat, quod *Clerici non faciant Parochiam*, disertis verbis postea declarasse, hujusmodi decretum non inveniri.

Ad refellendam consuetudinem afferunt sententiam contra Cathedralem latam anno 1648. a Vicario Generali, a quo tanquam Civi, & Patritio Fulginatensi eadem consuetudo ignorari non debuisset. Affirmant, hujusce sententiæ validitati nihil fuisse detractum per sententiam Vice-Gubernatoris Fulginei anni 1649., quam nullam, & irritam dicunt, tum quia lata fuit a Judice Laico super re Ecclesiastica *Cap. Decernimus de Judic.*, *Cap. Ecclesiæ de Constit.*, tum quia edita a Vice-Gubernatore, quem Gubernator Fulginei Delegatus non poterat subdelegare *Bald. in Leg. More Majorum num.2. ff. de Jurisdict.*, *Castren. in Leg. A Iudice num.1. Cod. de Iudic.*. Nilque pariter detractum per contumacialem sententiam A.C. an. 1652., quam pariter nullam esse contendunt, quia confirmavit sententiam irritam Gubernatoris Fulginei *Card. de Luc. de Benef. discur.92. num.8.*, *Rot. coram Dunozet.jun. decis.420.num.6.*, neque per alia decreta, & sententias successivè latas, utpote quia prodierunt in judicio tantùm manutentionis, & simplici possessorio, nunquam vero *super bono jure*.

Præterea allegant Parochiarum divisionem anno 1591.factam ab Episcopo Bizzoni, cujus vigore constituti fuerunt cuilibet Parochiæ certi limites, & adscripti *omnes, & singuli utriusque intra Statutos unicuique terminos habitantes*, nulla prorsus adjecta reservatione favore Ecclesiæ Cathedralis juris privativi tumulandi. Atque ex hoc inferunt, aut divisionis tempore extitisse jus privativum, aut illud fuisse abrogatum *Rot. in Barchinonen. Iurium Parochialium 13. Ianuarii 1730. §.4. & seq. coram Aldrovando.*

Ulterius allegant existentiam Sepulchrorum a priscis usque temporibus in tribus ex Parochialibus Ecclesiis cum vetustissima inscriptione: *Pro Presbyteris*. Denique confugiunt ad Synodum Diœcesanam anni 1722. sub Episcopo Battistelli celebratam, inqua *Cap.* 23. statutum fuit, ut inter cætera sepulchra in qualibet Parochiali ab aliis distincta, unum adesset *pro Sacerdotibus, & Clericis, ubi ipsi tumulentur decedentes non electa Sepultura, quamvis alibi esset illa Majorum*. Qua super re advertunt, quod pluribus exortis super Synodalibus Constitutionibus controversiis, eæ omnes

accu-

accurato examini subjectæ fuerunt a particulari Congregatione a Summo Pontifice anno 1723. deputata, a qua confirmationis robur obtinuerunt. Hinc colligunt, non amplius posse in quæstionem adduci, quæ Synodali decreto, ejusdem Congregationis auctoritate probato, fuerunt definita *Barbos. de offic., & potest. Episc. part. 3. allegat. 93. num. 23. Gonzalez ad regul. 8. gloss. 9. part. 1. num. 18.*

Sustinent demum, nihili faciendas esse Constitutiones Capitulares an. 1729., in quibus jus privativum ex antiquissima consuetudine eidem Cathedrali asseritur. Has enim Constitutiones irritas proclamant, tùm quia conditæ sunt ab ipsomet Capitulo, cui nulla est potestas condendi statuta in detrimentum aliarum Ecclesiarum *Garz. de Benef. par. 8. cap. 1. num. 87., Sacr. hæc Congregatio in Leodien. Capitulationum contra Piton. discept. Eccles. 57. lib. 5. thes. resolut. pag. 53. in Fulginaten. Funeris 29. Iulii 1752.*; tùm quia editæ fuerunt postquam super asserto jure privativo lites exarserant cum Parocho Sanctæ Mariæ Infraportas; tùm demum quia innituntur assertæ juris reservationi adjectæ pro parte Cathedralis in divisione Parochiarum, ubi tamen nulla de ea fit mentio.

Ad II. animadvertunt, Parochum quemlibet tanquam Sponsum conjungi cum Ecclesia sua *Cap. Sicut quæst. 2., & Cap. Non ignores de Præbend.*; Hinc repugnare, quod Sponsus a sua Sponsa post mortem seiungi debeat *Samuel. de Sepultur. disput. 5. controv. 13. conclus. 3. num. 4., Passerin. de Stat. Homin. tom. 2. quæst. 187. art. 4. num. 329.*, etiamsi Parochus defunctus extra suam Parochiam vixerit, & obierit *Vvister ad Decretal. lib. 3. tit. 28. num. 41., Amostaz de caus. piis tit. de Funer. lib. 6. cap. 8. num. 79.* Addunt, assertam contrariam consuetudinem non probari, & etiamsi probaretur quoad alios Presbyteros, & Clericos, non tamen protrahi posset de uno ad alium casum non præcise comprehensum *Rot. in Hispalen. Juris sedendi in Synodo 20. Iunii 1697. §. Prout coram Muto, & coram Molin. decis. 761. tom. 3. part. 1. num. 17.* Nec ullum haberi exemplum in libris Mortuorum ab anno 1579. ad ann. 1646. tumulationis Cadaverum Parochorum in Cathedrali Ecclesia sequutæ.

Ad III. observant, Clericos Conjugatos, quamvis servent requisita a Concilio Tridentino præscripta *sess. 23. cap. 6. de refor.*, duobus tantùm exceptis privilegiis Clericalibus *Fori, & Canonis*, quoad reliqua a Laicis non differre *Cap. unic. de Cleric. Conjugat. in 6., Rot. decis. 207. par. 15. Rec. num. 1.*; Subdunt, Capitulum an. 1692. quo institui lis cœpit in S. Congregatione, de hujusmodi Clericis Conjugatis nullam mentionem fecisse, nec in libris Mortuorum Ecclesiæ Cathedralis ullum describi ibidem tumulatum ante an. 1725. Clericum Conjugatum.

Denique ad IV. contendunt, Quartam Funerum deberi non ratio-

ratione tumulationis, sed ratione administrationis Sacramentorum *Cap.1. de Sepultur.*, *in Clementin. Dudum §. Verum eodem tit.*, *Vviestner ad Decretal. lib.3. tit.28. n* 51., *Lanfred. Respons. Eccles.33. num.* 30. *& seq.*. Hinc eam pertinere ad Parochum domicilii *Barbos. de Offic.*, *& Potest. Paroch. cap.25. num.16. & 19.*, etiamsi subditus alienæ Parochiæ in Ecclesia Cathedrali tumuletur, imo etiamsi sit Canonicus, vel Beneficiatus ejusdem Cathedralis *Antonell. de Regim. Eccl. lib.1. cap.12.* §.1. *num.30.*, *Francesc. de Eccles. Cathed. cap.21. num.138. & seqq.*, *Passerin. de stat. Homin. quæst.147. artic.4. num.545.*. Nec ullam afferri a Capitulo probationem, quæ oppositum suadeat.

Indubii juris est, omnes Christifideles decedentes absque electione Sepulturæ, nec Sepulchrum gentilitium habentes, in propria Parochiali Ecclesia fore tumulandos. Tandiù verò hoc jus Parochis favet, quamdiù contraria consuetudo non probetur. Consuetùdine enim fieri potest, ut Defunctorum Cadavera, eorum præsertim, qui in Sacris Ordinibus constituti fuerint, vel Minoribus initiati, si nulla electa sepultura decesserint, in Cathedrali Ecclesia, privativè quoad omnes alias tumulari debeant. Requiritur autem consuetudo, quæ sit quadragenaria cum titulo *Card. Petra tom.2. ad Constitut II. Honorii III. sect. unica num.*41., vel centenaria, aut immemorabilis, quæ titulum præsumat.

Hujusce igitur consuetudinis in præsenti Causa habenda ratio est, ac sedulò expendendæ Testium depositiones, qui iterato examini subjecti fuerunt, nec non partitæ extractæ ex libris Mortuorum, in quibus descripti sunt Presbyteri, & Clerici in Cathedrali Ecclesia tumulati. Ponderandum quantum roboris tribui debeat sententiis, quæ favore Ecclesiæ Cathedralis variis temporibus, & a diversis Judicibus prodierunt, ut Eminentissimi PP. definire valeant.

I. *An Ecclesiæ Cathedrali Fulginei jus competat privativè tumulandi corpora tum Presbyterorum, tum Clericorum omnium cujuscumque Ordinis, & conditionis in dicta Civitate decedentium absque electione Sepulturæ, & percipiendi omnia emolumenta funeralia, in casu &c.*

II. *An idem jus competat Cathedrali etiam quoad Cadavera omnium Parochorum Sæcularium prædictæ Civitatis, in casu &c.*

III. *An etiam competat quoad Cadavera Clericorum Conjugatorum, in casu &c.*

IV. *An prædictis omnibus decedentibus electa sibi Sepultura in quacumque alia Ecclesia, eidem Cathedrali debeatur quarta funeralis, in casu &c.*

FIR-

FIRMANA REDUCTIONIS MISSARUM. Tertio nunc redit ad judicium EE. VV. Sacerdos Franciscus Antonius Cardelli Rector Capellaniæ a Jacobo Philippo Concetti institutæ in Parochiali Ecclesia S. Stephani Terræ S. Justi, & semel dilatam, postea verò rejectam Missarum reductionem efflagitat. Quamvis enim Testator expresse Capellano prohibuerit, ne ullo unquam tempore hujusce oneris reductionem peteret, aut obtineret; nihilominus ipse pro reductione institit in Congregatione diei 29. *Julii* 1769., asserens, Capellaniæ reditus, qui annua scuta 24. non excedebant, impares omninò esse oneri quinque Missarum, quæ singulis hebdomadis celebrandæ forent. Proposito autem tunc dubio = *An, & quomodo sit locus reductioni Missarum in Casu &c.* = rescriptum fuit = *Dilata, & reproponatur Causa citatis Exequutoribus Testamentariis, aliisque interesse habentibus*. *Sess.25.cap.5. de Reform.*

Monitis proinde, ac legitime interpellatis tum Exequutoribus, tum Testatoris hæredibus, qui tamen nunquam comparuerunt, iterum de reductione actum est *die* 15. *Decembris* 1770., quæ fuit ab EE. VV. rejecta, edito ad dubium responso = *Negative & utatur jure suo contra quos de jure* = Præstat resumere folia dierum 8. Julii 1769., & 15. Decembris 1770. in quibus Causa descripta legitur.

Denuo itaque supplicat pro reductione Sacerdos Concetti, exhibetque depositionem unius, qui modo extat Exequutoris Testamentarii, nec non trium Sacerdotum, qui possident alias Cappellanias ab eodem Testatore Concetti institutas, asserentes, bona Cappellaniæ, de qua agitur, fuisse *taxative* relicta, proindeque nihil pro illius augenda dote detrahi posse ex reliquis Testatoris Bonis, cum jam de omnibus ipse disposuerit.

Præter ea, quæ in priori istius Causæ folio perpensa sunt, animadvertere præstat, num bona revera *taxative* relicta fuerint, quia in isto casu ait S. M. Benedictus XIV: *de Synod. Diœces. lib.* 13. *cap. ultim. num.* 33.. *Quod si progrediente tempore traditi fundi reditus imminuantur, ad Legatarium pertinet, omisso hærede apud legitimum Superiorem instare pro oneris reductione, ad eamque obtinendam docere tum de obveniente sibi damno, tum de redituum imminutione, cui ipse propria culpa causam non dederit; tum denique ostendere, integrum sibi non esse urgere hæredem, ut præstet id, quod deesse compertum est, ad hoc ut piæ Testatoris voluntati cumulate satisfaciat*. Et cohæret votum Præsulis Altoviti olim S. Congregationis Secretarii in Causa *Brixien.* proposita *die* 1. *Decembris* 1685., cujus verba eodem in loco transcripta leguntur.

Verba testamenti Jacobi Concetti quoad institutionem Cappelpellaniæ, de qua disceptatur, hæc sunt = *Costituisco una Cappellania &c. col peso, ed obbligo di dover celebrare ò far celebra-*

lebrare perpetuamente Messe cinque per ogni Settimana &c. assegnando per Capitale di detta Cappellania i miei Terreni posti in questo Territorio in Contrada di Monte Ottone = Videndum an Testator ita certa bona pro Cappellaniæ dote assignaverit, ut hæredem a quacumque ulteriori præstatione, etiam in casu diminutionis redituum eximere voluerit.

Ponderandum, quanti habenda sit prohibitio de non petenda Missarum reductione, quam sub pæna caducitatis Testator indixit. Viderint Emi PP. an hæc conjectura præseferat onus hæredibus injunctum pro sarciendo Cappellanorum damno ex redituum imminutione obventuro, seu potius hujusmodi damnum a Capellano sit subeundum, cui proinde, si non fuerit in culpa, aliquo remedio succurri debeat.

Quæritur itaque.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

SENOGALLIEN. TRANSLATIONIS MISSARUM.

Post obitum Uxoris suæ, quam in usufructu instituerat, Joannes Baptista Magi de Terra Montis Lurj laicalem Cappallaniam erigi mandavit ad Altare majus Ecclesiæ Confraternitatis SSmi Sacramenti, & Crucis Civitatis Senogalliæ, pro cujus dote capitale assignari voluit sc. 1000. monetæ Urbini sive in censibus, sive in bonis stabilibus, fructusque Cappellano persolui, qui singulis Dominicis, aliisque binis infra hebdomadam diebus Missam cum applicatione Sacrificii celebraret. Patronatum tribuit descendentibus tum masculis, tum fæminis Sebastiani Tamburrini, iisque deficientibus substituit eamdem Confraternitatem, cui præterea reliquit Capitale scut. 100. pro utensilibus, ejusque curæ commisit suæ voluntatis exequutionem, & adimplementum celebrationis Missarum, de qua singulis annis rationem a Capellano exigi præcepit *rimettendosi in tutto, e per tutto alla diligenza, e discreti giudizj de Fratelli di detta Compagnia*.

Nominationem ad hujusmodi Capellaniam obtinuit anno 1756. a Fratribus de Tamburrinis Sacerdos Joseph Nicolini ex Oppido Gradariæ, quod 40. milliariis Senogallia distat. Hic eodem in Oppido morari cogitur, ut Parentibus ætate gravibus, & summa inopia laborantibus, nec non duabus Sororibus, quarum una infirmatur, opem, & auxilium præstet. Cum verò Capellaniam dimittere non possit, cujus titulo ad Sacros Ordines fuit promotus, facultatem implorat celebrandi Missas quocumque in Loco repe-

reperiatur. Præter expositam charitatis causam erga Parentes, & Sorores, asserit etiam, Capellaniæ reditus non levem subiisse imminutionem, quia census pro illius dote destinati, etsì olim fructum redderent in annuis scutis sex cum dimidio pro centenario, postea tamen ad scuta quatuor redacti sunt, additaque aliorum bonorum sive deperditione, sive ob temporum calamitates deterioratione, id evenisse affirmat, ut reditus universi, qui olim ad scuta 21. pertingebant, modò ne ad scuta quidem 12. ascendant.

Huic petitioni non solum consentiunt Fratres de Tamburrinis Patroni, sed immo translationem exoptant, & pro ea supplicant, ut morem gerant Oratori, quem bonis moribus præditum, divinique cultus accensum zelo, & in Sacris functionibus obeundis sollicitum agnoverunt, eumque gratia dignum censent, ut honestæ suæ Familiæ subsidium afferre possit. In id autem ex eo etiam consentire affirmant, quia Orator promisit Missas celebrare ad Altare privilegiatam, si translationis gratiam assequatur.

Verùm Sodales Confraternitatis SSmi Sacramenti, & Crucis acriter contradicunt ex eo, quia translatio apertè adversatur voluntati Testatoris, qui non alibi, quam ad Altare majus Ecclesiæ Sodalitii Missas celebrari mandavit, idque clarius exposuisse putant, dum ejusdem Altaris Tabulam descripsit, Jesu Christi Crucifixi imaginem præseferentem. Non igitur fas esse dicunt voluntatis commutationem urgere; præsertim quia Orator ad Capellaniæ possessionem immissus fuit cum honoribus, & *oneribus solitis*, *& consuetis*, eamque hoc pacto acceptavit, & per annos supra 17. adimplevit.

Et quamvis nonnunquam Sac. Congregatio translationem concesserit, nihilominus raro admodum hujusmodi exempla inveniri sustinent, & longè plura denegatæ translationis occurrere. Non solum enim justas requisitas fuisse contendunt causas, sed etiam urgenres, & quæ inevitabilem necessitatem importarent, *Concil. Trident. Sess.* 22. *cap.* 6. *ac Sess.* 25. *cap.* 5. *de Reform.*, atque idcircò rejectam fuisse translationem, quæ petita extiterat, ut Populus elementis Fidei uberius instrueretur, vel ut consuleretur Rectori, & Habitantibus, quibus hyberno tempore difficillimum erat Ecclesiam adire a Testatore designatam, quemadmodum in *Ariminen. Commutationis voluntatis* 14. *Martii*, *&* 13. *Junii* 1711., *in Casalen. Commutationis voluntatis* 24. *Septembris* 1718., *& in Ariminen. Translationis Capellaniæ* 19. *Julii*, *&* 20. *Decembris* 1732., *ac* 17. *Aprilis* 1724. Et denique in *Auximana Translationis Missarum* 15. *Februarii anni elapsi* denegatam fuisse translationem petitam

tam pro Alumnis Seminarii, qui quotidiana Missæ celebratione destituebantur.

Addunt, non aliam a Sacerdote Oratore translationis causam proponi, quam imminutionem redituum Capellaniæ, & distantiam Terræ Gradariæ, in qua morari cogitur, a Civitate Senogalliæ, ubi Missæ celebrari debent; Sed neutram sufficere sustinent, quia redituum imminutio reductionis potius Missarum, quam justam translationis causam præbere potest, & Loci distantia non impedit, quominus Missarum celebratio in designata Ecclesia per alium impleatur. Nec satis èsse ad translationem, quod Testatoris Cadaver in Ecclesia Confraternitatis non fuerit tumulatum, cum hæc sola ratio justam, ac necessariam causam minimè importare dignoscatur.

Ex testamenti verò contextu enixam deprehendi Testatoris voluntatem pro celebratione Missarum in Ecclesia ab ipso designata, cum non solum determinatam Ecclesiam, sed Altare determinatum expresserit, quod sacrum est Passioni Christi. Hinc eo minus translationem concedi *Ricc. in prax. part. 4. resol. 69. per tot.*, *March. de Sac. Ordin. tract. 3. part. 2. cap. 24. num. 2. Pax Jordan. tom. 1. variar. resol. lib. 4. tract. 1. de Sacrif. Miss. num.* 540. Accedere etiam singularem Testatoris erga Sodalitium amorem, cum ei legatum scut. 100. pro sacris suppellectilibus reliquerit, ac præterea Sodalium curæ commiserit, ut implemento celebrationis Missarum incumberent, eosque insuper in Patronatu substituerit, ac demum in eorum Sepulchro, quod est in Ecclesia Cathedrali, tumulari mandaverit.

Tandem observant, usque a tempore erectionis, scilicet a sæculo, & ultra, Missarum celebrationem in Ecclesia Confraternitatis fuisse expletam, nec proindè annuendum translationi, quæ petitur non in alicujus Populi commodum, atque utilitatem, sed ut solius Capellani desideria compleantur. Præsertim quia non parum imminueretur cultus Ecclesiæ ejusdem Confraternitatis, si diebus Dominicis Missæ celebratio in ea omitteretur; Nec tam facilè Sodales certiores fieri possent de adimplemento, si translationis gratia Oratori concederetur, quam quidem alii etiam Capellani Successores ejus exemplo inposterum efflagitabunt.

Episcopus refert, in Ecclesia Confraternitatis præter alia beneficia, quatuor erectas reperiri Capellanias, & plura extare legata cum onere Missæ quotidianę. Addit, Testatoris Cadaver in Cathedrali Senogalliæ fuisse tumulatum, proindèque hec ait = *Ob dimiutos reditus Cappellaniæ Orator quidem implorare posset reductionem præscripti numeri Missarum, intuitu quoque senilium sui Parentum, & paupertatis suæ Familiæ, quæ omnia me monent, suadentque, gratiam petitæ translatio-*

lationis pro eximia benignitate impertiri posse ad certum tempus sub obligatione quotannis exhibendi in hac mea Curia fidem de satisfactis oneribus Missarum Capellaniæ injunctis.

Dum de translatione agitur, præcipuè spectari debet Testatoris voluntas, atque intentio, num scilicet Ecclesiæ cultum, seu Animæ suffragium primariò respexerit. In primo enim casu denegari translatio solet, nisi impossibilis reddatur in designata Ecclesia oneris implementum *Barbos. consil. 1. num. 8.*, *Navar. consil. 14. de Testament. num. 10.* Sin autem Missarum celebratio demandata noscitur pro Animæ suffragio, quamvis deinde, ac per posterius Ecclesiæ decorem Testator respexerit, faciliùs translationem concedi posse sustinent *Capon. disc. 196. n. 11.*, *Rot. dec. 1149. num. 10. & seq. coram Seraphin.*, *& decis. 494. num. 6. coram Cavaler.*. Verùm Sac. Congregatio cautè admodum se gessit in translationibus concedendis, easque multoties denegavit, quemadmodum prostant exempla in Folio Causæ, cui titulus *Faventina Translationis anni* 1771.. Aliquando tamen illas permisit, ut in *Placentina Commutationis voluntatis anni* 1714., in qua Testator hæredibus onus injunxerat *di far celebrare ogn'anno in perpetuo nel mio Oratorio &c. una Messa parimente tutte le Feste di precetto, ed anche trè Messe la settimana &c., e ciò in suffragio dell'Anima mia, e de' miei defonti*, cum enim quæsitum fuisset = *An, & quomodo sit locus commutationi voluntatis, in casu &c.* = Responsum fuit = *Affirmativè*. Similiter in alia *Placentina* proposita inter supplices libellos *die 8. præteriti mensis Maji* agebatur de Capellania erecta in designata Ecclesia, & cujus onera adimplenda erant in Altari ibidem erigendo, quod tamen nunquam fuerat erectum; hinc Capellanus, qui extra locum ratione cujusdam Beneficii morabatur, onerum translationem petiit, & Sacra Congregatio benignè annuit, edito rescripto = *Pro gratia translationis arbitrio Episcopi ad vitam Oratoris tantùm, docto singulis annis coram eodem de adimplemento.*

In præsenti casu habenda præ oculis est Testatoris dispositio his verbis concepta = *Item per ragione di Legato lascio, che l'Erede universale infrascritta debba fare un juspatronato laicale di scudi* 1000. *di moneta d'Urbino &c., il quale juspatronato si doverà eriggere nella Chiesa della Ven. Compagnia del Santissimo Sagramento, e Croce di Sinigaglia all'Altar Maggiore con il Quadro rappresentante la Crocifissione di Nostro Signore, con il peso al Cappellano, e Rettore in perpetuo di celebrare, o far celebrare una Messa per ciascheduna Domenica, e due Messe per ciascheduna settimana per suffragio, e requie dell'Anima di esso Testatore* = Ponderandum, quod Capellanus Orator non perpetuam, sed temporaneam translationem efflagitat, & quidem, ut opem ferat Parentibus in extrema pau-

pertate constitutis. Nec est prætereunda reflexio, quod si translationis gratiam assequatur, integram Missarum quantitatem in Altari privilegiato celebrare promittit, sin minus reductionem ex causa imminutionis redituum fortasse postulabit. Hinc dijudicandum, an expediat ope translationis majori Testatoris suffragio consulere, dum quæritur

An, & quomodo sit locus translationi oneris Missarum, in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. Septembris 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FOlium præcedentis Congregationis, pro cujus reassumptione Emi PP. rogantur, exhibet Causas, quæ indecisæ tunc remanserunt. In præsenti verò adjiciuntur aliæ, pro quarum definitione Partes exorant.

NEPESINA RESTAURATIONIS ECCLESIÆ. *Sess.21. cap.7., & sess.14.cap.12 de Reform.*

I. *An, & quis teneatur ad restaurationem Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis Terræ Fiani, & Domus Archipresbyteralis, in casu &c.*

II. *An, & ad quem spectet Patronatus ejusdem Ecclesiæ, in casu &c.*

Attentis particularibus circumstantiis in casu, de quo agitur, placere de concordia, & fiat etiam ex officio per Eminentissimum Præfectum juxta instructionem, facto verbo cum Sanctissimo.

FULGINATEN. FUNERUM. *Sess.24.cap.13., & sess.25.cap.13 de Reform.*

I. *An Ecclesiæ Cathedrali Fulginei jus competat privativè tumulandi corpora tum Presbyterorum, tum Clericorum omnium cujuscumque Ordinis, & conditionis in dicta Civitate decedentium absque electione Sepulturæ, & percipiendi omnia emolumenta funeralia, in casu &c.*

II. *An idem jus competat Cathedrali etiam quoad Cadavera omnium Parochorum Secularium prædictæ Civitatis, in casu &c.*

III. *An etiam competat quoad Cadavera Clericorum Conjugatorum, in casu &c.*

IV. *An prædictis omnibus decedentibus electa sibi Sepultura in quacumque alia Ecclesia, eidem Cathedrali debeatur quarta funeralis, in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

FIR-

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

FIRMANA REDUCTIONIS MISSARUM.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

de Reform. Sess. 25. cap. 4.

SENOGALLIEN. TRANSLATIONIS MISSARUM.

An, & quomodo sit locus translationi oneris Missarum, in casu &c.

Sess. 23. cap. 10. de Reform.

HISPALEN. ORDINUM. Oppidum de Alcolea in Provincia Betica subest Sacro Equestri Ordini Hierosolymitano, illudque commendari solet uni ex Equitibus jurisdictionem exercenti per Priorem, qui Judex Ecclesiasticus, & Vicarius Generalis appellatur. Retroactis temporibus consueverunt Vicarii litteras dimissoriales pro prima Tonsura, & Minoribus Ordinibus tradere dicti Oppidi originariis, atque domiciliariis, easque Archiepiscopis, & Episcopis, atquè ipsis etiam Abbatibus dirigere; sed Tribunal Assembleæ Hierosolymitanæ anno 1757. vetuit, ne dimissoriales literæ pro Minoribus Ordinibus imposterum dirigerentur Abbatibus. Priusquam hujusmodi decretum prodiret, anno scilicet 1754. Lucas Franciscus Rodriguez de la Barrera Oppidi de Alcolea originarius, & incola literas dimissoriales petiit ab Ecclesiastica Commenda Vicaria pro prima Tonsura, & quatuor Minoribus Ordinibus, easque a Vicario Generali obtinuit Episcopis, & Abbatibus directas.

Hisce igitur suffultus litteris dictus Rodriguez adiit Abbatem S. Antonii del Tardon Ordinis S. Basilii, qui & primam Tonsuram, & Minores Ordines eidem contulit. Translato deinde domicilio intra limites Archiepiscopatus Hispalensis, institit apud Eminentissimum Archiepiscopum, ut ad Sacros Ordines promoveri posset tum ratione Domicilii, tum etiam titulo Capellaniæ, quam in ea Diœcesi possidebat. Re autem perpensa, dubitans laudatus Emus Archiepiscopus de ratione, ac methodo, qua Minores Ordines Orator susceperat, adeundam consuluit Apostolicam Sedem pro obtinenda venia, & rehabilitatione.

Mandatis paruit Orator, supplicemque obtulit Sanctissimo Domino Nostro libellum Sacræ huic Congregationi remissum, quo dispensationem a contracta forsan irregularitate, & rehabilitationem postulavit. Auditus fuit super precibus Eminentissimus Archiepiscopus, ac postea citatis omni-

omnibus interesse habentibus, eisdemque præfixo termino ad jura sua deducenda, cum nullus usque adhuc quidquam opposuerit, supplicat Orator EE. VV., ut precibus indulgere non dedigneutur.

Id autem ut facilius assequatur, duo in præsenti casu perpendenda proponit, an scilicet legitimis dimissorialibus litteris pro Minoribus Ordinibus suscipiendis munitus fuerit; ac præterea an Abbas del Tardon, si non licitè, saltem validè illi Ordines contulerit. Ad primum nihil sua interesse putat inquirere, utrum Commendatarius de Alcolea sit nec ne verè Abbas *Nullius*, aut pro concedendis suis subditis dimissoriales literas Apostolico privilegio fruatur. Id unum satis sibi esse existimat ostendere, quod subditus sit Commendatoris, uti in eodem Oppido natus, & quod illius Vicarius jurisdictionem absque ulla contradictione palam exercuerit, & dimissoriales literas tradere consueverit, prout ex immemorabili consuetudine, & ex Notarii fide resultare affirmat.

Hinc minimè dubitare potuisse dicit de jure Commendatoris, ut bona saltem fide excusari valeat, cujus causa vel ab irregularitate immunis evasit *Ferrar. in Biblioth. verb. Ordo art.4. num.22.*, vel de Apostolica benignitate sit ei succurrendum, ut notat Folium in Causa *Lucana* 1. *Septembris* 1725. *§.Abbas*, *& §.E contra*. Nec malam fidem induci posse, ex quo in precibus asseruerit, Eminentissimum Hispalensem Archiepiscopum suum esse Ordinarium, aut ex quo dimissoriales literas a Vicarió Commendæ obtinuerit, cum solum post susceptos Minores Ordines eidem Eminentissimo Archiepiscopo subditum se esse agnoverit: Cæterum dimissoriales literas ab eo Vicario recepisse, qui illas semper aliis tradere consueverat, ac proinde non immeritò existimare potuisse, speciali quodam titulo ad id fuisse delegatum.

Quod verò respicit alterum propositæ quæstionis caput de Ordinum validitate, certum in jure esse dicit, posse Abbates primam Tonsuram, & Minores Ordines subditis conferre, dummodo sint Sacerdotali caracthere insigniti, & benedictionem acceperint, ut ex *Can.*14. *Concilii Vicæni II.* relat. in *Can.Quoniam distinct.*69., *Cap Cum contingat de ætat., & qualit.*, *Cap. Statuimus de supplend. neglig. Prælat.*, *Cap. Abbates de Privileg. in 6.* Ad sit, Concilium Tridentinum *sess.*23. *cap.*10. *de Reform.* tantummodo Abbatibus prohibuisse, ne primam Tonsuram, & Minores Ordines conferrent personæ sibi non subditæ. Ex his arguit, quod si ageretur de Abbate sæculari, cui privilegium conferendi Ordines ante Concilium tributum fuisset, irrita prorsus habenda esset ordinatio, utpote quia hujusmodi privilegium per Concilium fuit revocatum, *Fagnan. in Cap. Statuimus num.9. & seq.*, *& num.* 54. *de supplend. neglig.*
Præ-

Prælat.. At quoniam sermo est de Abbate Regulari, quidquid nonnulli dixerint, veriorem tamen sententiam esse, quæ statuit, eos, qui jure gaudent conferendi Ordines certo generi Personarum, validè, sed tamen illicitè Minores Ordines conferre sibi non subditis, quia certam ad id potestatem habent, quamvis illa abutantur *Tamburin. de jur. Abbat. tit. 1. disput. 2. quæst. 3. num. 3. & seq.*, *Clericat. de Sacr. Ordin. decis. 15. num. 7. & seq.*, *Fagnan. loc. cit. num. 14. & 23.*

Ambigi autem non posse, quin Abbas del Tardon sit verè Regularis, habeatque subditos Regulares; nec similiter dubitari posse, quin Abbates Ordinis S. Basilii privilegio potiantur Minores Ordines suis subditis conferendi; idque constare sustinet tum ex *citato Can. 14.* Concilii Nicæni II., tum etiam ex Constitutione san. mem. Gregorii XIII. incipien. *Benedictus Dominus*, ubi Ordini S. Basilii omnia privilegia concessit, quæ Ordini Cassinensi tributa fuerant, & quidem non per modum simplicis communicationis, sed absolutæ, immo & amplioris concessionis. Certum verò esse, inter privilegia competentia Abbatibus Ordinis Cassinensis connumerari potestatem illis impertitam conferendi subditis primam Tonsuram, & Ordines Minores *Tamburin. de jur. Abbat. disput. 2. quæst. 3. num. 2. tom. 2.*, *Pignatell. consultat. canon. 158. num. 1. tom. 4.*. Validam idcircò fuisse contendit collationem Ordinum, de qua in præsenti casu sermo est; non obstante, quod Abbas del Tardon benedictus a Catholico Antistite nunquam fuerit, quia facultas pendet a privilegio aut nativo, aut concesso, non verò a benedictione, quæ fortasse nil aliud imponit, quam solam institutionem ad Præfecturam Monasterii, prout colligi putat ex Pontificali Romano, & confirmat *Fagnan. in d. Cap. Statuimus de supplend. neglig. Prælat. num. 6.*

Hoc autem in loco animadvertit, quod sicut Alexander III. potestatem tribuit Abbatibus conferendi primam Tonsuram, & Minores Ordines, quoties Episcopi ter requisiti benedictionem impertiri recusaverint, ita eo magis ex hoc ipso inferri existimat, hujusmodi potestatem non a benedictione, sed a privilegio fore desumendam, idque declaratum a Sacra Congregatione fuisse in *Vratislavien.* 12. *Februarii* 1724.. Neque obesse Constitutionem san. mem. Benedicti XIII. *Commissi Nobis*, qua Abbatibus injungitur, ut benedictionem infra annum a proprio Diœcesano Antistite reportare debeant. Observat enim, id non præcipi sub pœna nullitatis, quin immo expresse præservatam fuisse dispositionem Textus in *d. Cap. Statuimus*, atque etiam permitti, ut in decursu anni possint Abbates omnia Abbatialia munia exercere.

Addit, in eadem Constitutione excipi ab indicta lege Abbates,

tes, qui vigore specialis privilegii electi, habentur pro benedictis, quos inter connumerari dicit Abbates Ordinis S. Basilii, ut ex alia Constitutione san. mem. Pii IV. incipien. *Regularem vitam* §. *Volentes*, & notat *Pignatell. consultat. canon.* 158. *num.*1. *tom.*4.. Concludit itaque, non esse hæsitandum de validitate Ordinum *Peyrin. Oper. tom.* 2. *quæst.*3. *cap.*3. *num.*23., *Bened.XIV. de Synod. Diœcs. lib.*2. *cap.*11. *num.* 13.. Præsertim quia Sacra Congregatio illicitas quidem, sed validas censuit Ordinationes ab Abbatibus factas de personis sibi non subditis, ut quoad Abbates benedictos declaravit in *Coimbrien.* 26. *Junii* 1655., & quoad non benedictos in *Panormitana Collationis Ordinum* 16.*Martii* 1647., *in Catanien.* 23.*Novembris* 1641., *& in Lucana* 16.*Martii* 1726.

Eminentissimus Archiepiscopus Hispalen. ait, Oratorem originarium esse Oppidi de Alcolea, quod intra suæ Diœcesis limites situm est, & Sacræ Religionis Hierosolymitanæ jurisdictioni subest. Jamdiù autem in ea Vicaria irrepsisse abusum expediendi literas dimissoriales nedum Episcopis, sed etiam Abbatibus directas. Nullibi autem constare qualitatem *Nullius* respectu Loci de Alcolea, quamvis in Sac. Assemblea Ordinis Hierosolymitani jurisdictio quasi Episcopalis inducta sit. Advertit tamen, dimissoriales literas pro Oratore non ab Assemblea, aut a Commendatore fuisse expeditas, sed a quodam Presbytero nuncupat. Priore, & Vicario Generali ejusdem Loci de Alcolea, qui potestatem illas concedendi non habet, atque idcircò hujusmodi literas nunquam in suo Archiepiscopatu fuisse receptas. De Abbate del Tardon observat, illum nunquam benedictionem reportasse; Ac demum quoad Oratorem censet, posse cum eo misericorditer agi, quoniam nullum adest impedimentum prohibens ad altiora conscensum.

Hæc sunt, quæ Eminentissimus Archiepiscopus in sua relatione animadvertit. Ab aliis interesse habentibus nihil unquam deductum est.

Ex antiqui juris præscripto licitum erat non solum Regularibus, sed aliis etiam Sæcularibus Abbatibus primam Tonsuram, & Minores Ordines conferre. Hæc tamen illimitata facultas coercita fuit a Sacro Concilio Tridentino *sess.*23.*cap.*10. *de Reform.*, ibi = *Abbatibus, & aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat imposterum intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis Subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre, nec ipsi Abbates, & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, litteras dimissoriales aliquibus Clericis Sæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant; sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quæ in*

hujus Sacrosanctæ Synodi decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existant, pertineat, non obstantibus quibuscumque privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.

Hac Synodali Constitutione sublata omninò comperiuntur Abbatibus Sæcularibus privilegia conferendi Ordines: Et quoad Abbates Regulares habentes subditos, vetita ipsis est Ordinatio Sæcularium, solumque concessum, ut Regulares ordinare valeant, prout tradit san. mem. *Benedictus XIV. de Synod. Diœcesf. lib.2. cap.11. num. 10.*, latè *Fagnan. in cap. Significasti de Offic. Archidiac. num.24.*, ubi ait= *Nullus Prælatus Inferior Regularis, aut Sæcularis hodie reperitur, cui liceat Tonsuram, & Minores Ordines conferre Personis Sæcularibus, tametsi omnimodam jurisdictionem Ordinariam, & quasi Episcopalem, & etiam temporalem habeat in Clerum, & Populum, exclusis Episcopis, & sive illorum Territorium sit intra fines alicujus Diœcesis, sive extra.*

Abbates autem Regulares duplici qualitate pollere debent, quod scilicet in Ordine Sacerdotali sint constituti, & quod a Catholico Antistite benedicti fuerint, nisi tamen Episcopus *tertio cum humilitate, & devotione, sicut convenit, requisitus, eos benedicere fortè renuerit*, prout decernitur in *Cap. Statuimus de supplend. negligent. Prælat.*, vel nisi speciali privilegio muniti fuerint, cujus vigore statim ac electi extiterint, valeant ea omnia gerere, quæ ab Abbatibus benedictis exerceri possunt *Bened. XIV. de Synod. Diœcesan. lib.2. cap.11. num.9.*. Hujusmodi verò privilegiis nullimode derogatum fuit per Constitutionem san. mem. Benedicti XIII. incipien. *Commissi Nobis 6.* Maji 1725. impressam in *Append. ad Concilium Romanum*, sed immò expresse in ea præservata fuerunt privilegia Abbatibus non benedictis competentia; nam §. *Quo vero* hæc leguntur = *Quo vero ad Abbates, quibus . . . . per speciale Indultum Apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice, nihil omnino innovandum esse sancimus, & Apostoliea, quibus gaudent, privilegia ubique inconcussè observari præcipimus, & mandamus* = quod ipsum observat etiam san. mem. Benedictus XIV. *loco supra citat.*

Gravis tamen oritur quæstio, an illicita tantum, seu etiam invalida sit collatio minorum Ordinum facta ab Abbatibus Regularibus de personis Sæcularibus, aut a Prælatis Sæcularibus de aliis personis præter eas, quæ comprehenduntur in eorum privilegiis post Concilium concessis. Quamvis de validitate Ordinum dubitare videatur, *Pignattel. consultat. Canon. 366. tom. primo*, nihilominus paucis respondet san. mem. *Benedictus XIV. loc. citat. num. 13.* his verbis = *Aut Abbas nullo fruitur privilegio conferendi primam Tonsuram, & minores Ordines, aut pri-*

privilegio potitur illos conferendi certo personarum generi . Si primum nec licitè, nec validè potest quemquam ad primam tonsuram, minoresque Ordines promovere : Si alterum, illicitè profectò, attamen validè primam Tonsuram, minoresque Ordines etiam illis confert, qui cæteroquin inter personas non numerantur in privilegio designatas = Ratio autem est, quia habentes potestatem conferendi Ordines certo personarum generi, nunquam potestate ordinandi destituuntur, quamvis coercita sit jurisdictio, quemadmodum advertit *Fagnan. in comment. ad Cap. Statuimus de suppleud. neglig. Prælat.* signanter *num.* 23. ubi hæc ait = *Nam in privilegio, seu commissione conferendi Ordines duo implicitè continentur, videlicet nuda, & simplex potestas ordinandi, & jurisdictio restricta, & limitata ad personas in Litteris Apostolicis designatas. At ex limitatione jurisdictionis non infertur ad limitationem prædictæ potestatis, quoniam ad impressionem caractheris nulla habetur ratio jurisdictionis.*

Variæ diversis temporibus hac super re prodierunt Sac. hujus Congregationis resolutiones. In *Cremonen.* 13. *Junii* 1591. eadem Sac. Congregatio censuit, I. *Abbatem ex privilegio Pii V. facultatem habentem ea omnia faciendi, quæ facere potest Abbas benedictus, qui de mandato Vicarii Apostolici quibusdam sæcularibus non sibi, sed ipsi Vicario subditis primam tonsuram, & Ordines Minores contulit, contravenisse Concilio, & Constitutioni sa. mem. Sixti V. II. Caractherem tamen Ordinis impressisse. III tam Ordinantem, quam Ordinatum incidisse in pœnas propositas Constitutione sa. mem. Sixti V.* prout legitur in *lib.* 7. *decret. pag.* 15. Et in *lib.* 4. *decret. pag.* 171. hæc adnotata reperiuntur de una *Parmen. anni* 1586. *Concilium* cap. 10. sess. 23. *prohibet Abbatibus, ne possint tonsuram, vel minores Ordines cuiquam, qui Regularis sibi subditus non sit intra fines alicujus Diœcesis conferre. Quæritur an de consensu Episcopi Parmen possit conferre dictos Ordines &c.? Congregatio Concilii censuit posse de licentia Ordinarii Loci, & cum Litteris dimissoriis Ordinarii eorum, qui ordinandi sunt.*

Similiter in *lib.* 13. *decret. pag.* 169. hæc recensentur = 11. *Maii* 1624. *Sacra &c. alias censuit, Sæcularem Tonsuratum ab Abbate benedicto, vel habente privilegium, ut possit ea omnia, quæ potest Abbas benedictus, quamvis ab eo non debuerit ordinari, ob ademptam sibi a Concilio Sæculares ordinandi facultatem, recepisse tamen caractherem; secus si Abbas non esset benedictus, vel tale privilegium non haberet* = *In Catanien.* 15. *Februarii* 1642. decretum fuit *quoad jam ordinatos ab hujusmodi Abbatibus cum litteris dimissorialibus Ordinariorum ad primam tonsuram, & Ordines minores, facto verbo cum Sanctissimo D. N. esse absolvendos a quibuscumque pœnis incursis, & convalidandos Ordines eisdem collatos. Die* 24. *Martii* 1642. *facta relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua jussit edi decretum, & convalidavit ordinationes huc usque factas* =, prout habetur

ex *lib.* 17. *decret.pag.* 1. Pariter *in Conimbricen.* 26. *Iunii* 1655. dubitatum fuit = *An Abbates Congregationis S. Bernardi, & S. Benedicti conferre potuerint Ordines minores Regularibus sibi non subditis, nec non Saecularibus etiam habentibus litteras dimissorias suorum Superiorum?* Sacra verò Congregatio respondit, fieri id minimè potuisse, sed addidit *Promotos ab illis non indigere alia collatione dd. Ordinum, sed absolutione, & rehabilitatione a Sanctissimo obtinenda lib.* 19. *decret. pag.* 484.

In Panormitana Collationis Ordinum 16. *Martii* 1647. cum quaesitum fuisset = *An Ordines minores per Abbatem Regularem non benedictum collati non suis subditis sint validi, si Abbas habeat privilegium illos suis Subditis conferendi?* Responsum prodiit = *Collationem Ordinum supradictis non suis Subditis etiam Regularibus factam, si fuerit de Ordinibus etiam minoribus, & dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium Apostolicum, Ordines collatos remanere invalidos, & Ordinatos indigere alia ordinatione, si verò Abbas non benedictus habeat dictum privilegium, & Ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, Ordinatos non indigere alia ordinatione, sed solummodò absolutione, & rehabilitatione a Sede Apostolica = lib.* 18 *decret. pag.* 311. Demum in *Lucana* 16. *Martii* 1726. agebatur de collatione Ordinum facta ab Abbate S. Barbarae Civitatis Mantuae cuidam Clerico, qui non comprehendebatur in privilegio eidem Abbati competenti, cumque disputatum fuisset dubium = *An, & quomodo sit providendum in casu &c.* = Sac. Congregatio respondit = *Pro relaxatione suspensionis arbitrio Episcopi Lucani.*

Post haec ponderandum, an Abbas del Tardon Apostolico privilegio potiatur ea omnia gerendi, quae ab Abbatibus benedictis fieri possunt, quamvis ipse Benedictionem non acceperit. S. M. Gregorius XIII. in Constitutione incipien. *Benedictus Dominus* §. 18. haec habet = *Monasteriis, Conventibus, Prioribus, & Monachis praedictis, nec non Conversis, & Oblatis, aliisque etiam dd. Monasteriorum S. Basilii Religiosis, & Personis, ut de caetero omnibus, & quibuscumque Privilegiis, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis, favoribus, gratiis, & indultis tam spiritualibus, quam temporalibus Congregationi praedictae Cassinensi, illiusque personis, & Locis per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, & Nos, & dictam Sedem in genere, & in specie concessis, confirmatis, & innovatis, ac etiam per viam communicationis ad eamdem Congregationem Cassinensem extensis, quibus illi utuntur, potiuntur, & gaudent, & uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum (quae tamen usu recepta sint, & Sacris Canonibus, ac dicti Concilii Tridentini decretis, ipsiusque Ordinis S. Basilii Instituto non adversantur) uti, potiri, & gaudere, liberè, & licitè valeant, concedimus, & indulgemus.*

Quam-

Quamvis autem hoc in loco nulla mentio de Abbatibus habeatur, nihilominus *Pignatell. consult. Canon.* 158. *tom.* 4. *num.* 1. observat, quod *ex privilegiis, quæ singillatim referuntur a Tamburrino &c. possunt etiam Abbates non benedicti ordinare, aliaque exercere, quæ possunt Abbates benedicti, ut ex privilegio Eugenii IV. Congregationi Cassinensi de Observantia in Hispania, & Congregationi S. Justinæ de Padua, & pro Basilianis etiam non benedictis extant privilegia ejusdem Eugenii IV., Pauli III., Gregorii XIII., & Pauli V.*

Denique non est prætereundum, consuevisse Romanos Pontifices in similibus casibus misericorditer agere cum promotis, ut præter exemplum superius relatum in Catanien., aliud prostat exemplum in *Papien.* 5. *Octobris* 1594., quod in *lib.* 8. *decret. pag.* 67. his verbis describitur = *Retuli SSmo Domino Nostro, multos in Diœcesi Papien. extare Clericos, qui bona fide de licentia quondam Hippoliti de Rubeis tunc Episcopi Papien. fuere ab Abbatibus Regularibus benedictis, sive habentibus a Sede Apostolica privilegium, quod solent habere Abbates benedicti, ad Clericalem Tonsuram, & quatuor Ordines promoti, quorum deinde aliqui ad Diaconatum, alii verò ad Presbyteratum, ritè tamen alias a suis Episcopis promoti sunt, & plures obtinuerunt beneficia. Et quia uti malè promoti fuere, cum hodie Abbatibus Regularibus, stante decreto Concilii Tridentini cap.* 10. *sess.* 23. *de Reform. minimè competat ista facultas, nomine moderni Episcopi Papien., a quo hac de re litteras accepi, supplicavi Sanctissimo D. N. pro absolutione, & rehabilitatione omnium prædictorum, perinde ac si a suis Episcopis canonicè promoti fuissent: Et Sanctissimus D. N. ex sua benignitate absolutionem, & rehabilitationem prædictas concessit, ac voluit per litteras Congregationis nomine scriptas, prædictorum testimonium perhiberi.*

His ergo perpensis, viderint Eminentissimi PP. ea, qua pollent juris Sacri peritia.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo in casu &c.

REATINA CAPELLANIÆ. In supremis tabulis anno 1742. exaratis Sacerdos Rosatus Antonini nonnulla stabilia bona reliquit Capellæ Beatæ Virginis Pietatis Terræ Appositæ, cum lege erigendi ibidem Beneficium, seu Capellaniam, *pro uno Presbytero, seu Clerico*, cui onus esset quatuor singulis hebdomadis Missas celebrandi, & pueros Grammaticæ rudimenta edocendi. Jus præsentandi ad Beneficium tribuit Jacobo de Leonoris, quem etiam in primum Capellanum nominavit, nec non Petro illius fratri, illiusque hæredibus, ac successoribus, ea tamen conditione, ut non nisi Sacerdotem, vel Clericum de familia Leonori præsentare, & nominare possent. Quod si tempore

Sess. 25. *cap.* 5. *de Reform.*

re

re vacationis nullus in eadem familia adesset Sacerdos, vel Clericus ad Beneficium idoneus, tunc nominationem conferri voluit in Sacerdotem, vel Clericum de familia Antonini.

Vacavit anno 1766. Beneficium ob matrimonium, quod Petrus Leonori illius possessor iniit cum Maria Sperelli, & quia nullus tunc aderat Sacerdos, aut Clericus de familia Leonori, idcirco Clericus Joannes Baptista Antonini secundo loco a Testatore vocatus nominationem sui favore postulavit. Verùm Patroni despecta Clerici Antonini petitione alios nominarunt; Quare idem Clericus pro obtinendo tum Beneficio, tum restitutione fructuum preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro, a quo ablegatæ sunt Sacræ huic Congregationi, cujus judicium super dubiis in calce transcriptis modo exquiritur.

Ad I. itaque contendit Clericus Antonini sibi tantum competere ad Beneficium, de quo agitur, nominationem, & quidem ab anno 1766., quo Petrus Leonori illius possessor matrimonium contraxit, cum nullus eo tempore adesset in familia Leonori Sacerdos, aut Clericus, qui nominari posset. Maxime quia res est non de Capellania Laicali, aut Legato pio Missarum, sed de Beneficio, quod qualitatem Ecclesiasticam in possessore requirit, & idcirco ab illius assequutione uxorati excluduntur. *Cap.* 1. *de Cler. conjug. in* 6., *Abbas in cap. Sane num.* 2., *Gonzalez ad reg.* 8. *Cancellar. glos.* 5. § 5. *num.* 26.

Accedente præsertim voluntate Testatoris, qui non alium, quam Sacerdotem, aut Clericum nominari præcepit. Idque eo magis in præsenti casu retinendum affirmat, quia onus celebrationis Missarum tam Sacerdotibus, quam Clericis æque injunctum noscitur; atque hinc arguit volitam a Testatore fuisse aptitudinem saltem ad Sacerdotium, dum & Sacerdotem in primum Beneficiatum ipse nominavit, & Sacerdotes, aut Clericos in posterum instituendos esse præcepit. *Rot. in Nuperr. tom.* 5. *part.* 2. *decis.* 477. *num.* 5., *& in Recent. decis.* 184. *num.* 13. *part.* 12.

Sustinet ad II. restituendos sibi esse fructus ab anno 1766., quo ex provida Testatoris dispositione ad Beneficium nominari debuisset, cum non alius eosdem fructus rite percipere potuerit. Ad hanc autem restitutionem cogendum existimat vel Aloysium Leonori Patronum, qui contra Testatoris voluntatem alterum nominavit, vel Candidum Gentili Beneficii possessorem, qui tamquam illegitimus detentor nullimode fructus suos facere potuit. *Rota in Reatina Beneficii* 27. *Junii* 1746. §. 9., *& seq. coram Card. Millino*. Nec Beneficiatum excusari posse præsidio nominabtionis a legitimis Patronis obtentæ, cum nominatio certa lege, & conditione coercita, nonnisi adimpleta lege, & purificata conditione exequi debeat.

Præ-

præfixo jam diu Patronis, ac Capellano termino ad jura sua deducenda, nihil hactenus exhibuerunt. Episcopus vero refert, Capellaniam, de qua agitur, qualitatem Sacerdotalem minime requirere, eamque *jam diu vacare ob contractum a Petro Leonori ultimo Capellano matrimonium*; Deinde pro parte Patroni animadvertit = *Obstare Clerico Antonini eandem Institutoris dispositionem, ut scilicet non nisi ad tempus eandem Capellaniam administrare possit, donec, & quousque sopravvenisse altro Soggetto abile di Casa Leonori, quale assieme con tutti quelli, che saranno, voglio sieno sempre preferiti. Adesse autem Adolescentes familiæ Leonori, qui brevi matura ætate, & moribus ad Clericalem Tonsuram admissi ritè institui debent*. Concludit, onera fuisse semper per Sacerdotem Capellanum adimpleta, ac demum sapientissimum EE.VV. judicium in hac Causa expectat.

Tota indago pendet a dispositione Testatoris, quæ his verbis concepta noscitur = *dummodo de Domo de Leonoris adsit aliquis Clericus, vel Sacerdos habilis, & idoneus teneatur* (Patronus) *illum nominare, præsentare, & instituere, cum oneribus supra dispositis, & in casu, quo in Familia prædicta de Leonoris tempore vacationum non adesset Clericus, aut Sacerdos habilis ad dictum Beneficium, & adesset in Familia, & successione Bernardini Antonini, voluit, ordinavit, prædictum de Familia, & successione dicti Bernardini per supradictos nominari, præsentari, & institui cum supradictis omnibus oneribus*.

Dijudicent ergo EE.PP.

I. *An, & a quo tempore debeatur nominatio Clerico Joanni Baptistæ Antonini ad Capellaniam, seu Beneficium erectum a Sacerdote Rosato Leonori, in casu &*

II. *An, & a quo sint restituendi fructus, & in qua summa, in casu &c.*

AUXIMANA MODERATIONIS TAXÆ. Deficientibus reditibus pro nova constructione Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ Oppidi Montis Fani, Capitulum ejusdem Collegiatæ, ut necessariis expensis occurreret, facultatem obtinuit imponendi censum in sorte scutorum 350., nec non suspensionem per decennium omnium onerum Missarum; insuperque idem Capitulum assignavit fructus cujusdam prædii ad annua scuta 20. pertingentes, ac etiam duo rubra frumenti, & duarum domorum pensiones; cumque hæc omnia ad Fabricæ complementum non sufficerent, permissum a Sacra Congregatione fuit, ut in eam causam erogarentur scuta quingenta ex incisione nonnullorum Arborum Massæ Capitulari obventura. Incæpto jam opere, eoque perducto ad altitudinem usque centum & octo palmorum, compertum fuit, requiri adhuc pro illius perfectione summam scut. 3440. *Sess. 21. cap. 7. de Reform.*

Ita-

Itaque Capitulares novas S. Congregationi exhibuerunt preces, quibus postularunt prorogationem ad aliud decennium indulti jam alias obtenti pro suspensione Missarum. Nulla tamen super hujusmodi instantia capta resolutione, die 8. Junii 1765. mandatum Episcopo fuit, ut accurate referret de quantitate, & provenientia pecuniarum, aliaque proponeret media, quibus ad Fabricæ complementum deveniri posset, insuperque eos omnes ad contribuendum adigeret, qui de jure, & juxta præscriptum Concilii Tridentini ad reædificationem Ecclesiæ tenerentur.

Ad hæc retulit Episcopus, erogata in Fabricam fuisse ab anno 1760. ad annum 1765. scuta 2375.58. retracta ex suspensione onerum Missarum, ex impositione census, ex incisione Arborum, aliisque reditibus pro Fabrica assignatis, nec non ex eleemosinis a Fidelium pietate, & largitione tributis. Addidit, ad Fabricæ complementum requiri adhuc expositam a Capitulo summam scutorum 3440., & ad inveniendam hujusmodi pecuniæ quantitatem hæc proposuit media; ut scilicet prorogaretur ad aliud decennium indultum suspensionis medietatis oneris Missarum, insuperque imponeretur per aliud decennium super bonis omnium Capitularium, & Beneficiatorum annua præstatio sc. 76.15. ab omnibus proportionabiliter contribuenda, ac præterea applicarentur pro Fabrica superextantes reditus Sodalitii S. Benvenuti, & demum præter manuales operas ab Oppidanis præstandas, Communitas ipsa ad solutionem scut. 200. infra decennium peragendam adigeretur.

Hæc omnia relata fuerunt in Congregatione diei 11. Januarii 1766., propositoque tunc dubio = *An sit locus prorogationi Indulti suspensionis oneris Missarum, in casu &c.* = rescriptum fuit = *Ad aliud sexennium absque spe ulterioris prorogationis, & injunctis Anniversariis facto verbo cum SSmo.* Quam quidem resolutionem san. mem. Clemens XIII. approbavit, dummodo tamen omnes contribuerent juxta relationem Episcopi, alias indultum nullius esset roboris, ac præterea injuncto onere celebrandi per totum sexennium unum anniversarium quolibet mense.

Deventum proinde fuit ad præfinitionem taxæ persolvendæ a Capitulo, aliisque Beneficiatis; Verum cum hujusmodi taxa gravis ob tenuitatem redituum uniuscujusque Beneficii comperta fuerit, idcirco occasione Sacræ Visitationis Capitulares omnes Episcopum pro illius moderatione rogarunt. Episcopus vero, re accurate perpensa, moderationem pro dimidio impertiri posse censuit, ea tamen lege, ut ad aliud decennium illius solutio protraheretur. Id ergo ab EE. VV. Capitulares modo implorant, asserentes; nulla vi, sed sponte plures ex Capitularibus reditibus in causam Fabricæ fuisse impensos, eosque præterea gravatos reperiri onere census scutorum 358. infra certum tem-

tempus extinguendi; atque idcirco incongruum videri, ut post exhibitas plures liberalitatis significationes ad novum Taxæ gravamen supra vires ex necessitate adigantur.

Gravamen vero Taxæ satis resultare affirmant ex relatione Episcopi, qui testatur, impares omnino esse Capitulares ad illud subeundum, tum quia unicuique curta supellex est, tum etiam quia detractis oneribus, vix supersunt reditus pro Chori, & Ecclesiæ servitio; Idque de aliis etiam simplicibus Beneficiis sentiendum, quorum reditus, ne ad congruam quidem Beneficiati sustentationem sufficiunt.

Atque hæc quidem non solum moderationem, sed omnimodam a Taxa exemptionem suadere, cum nemo ex Beneficiatis contribuere pro Taxa teneatur, nisi ex reditibus, qui ex congrua sui manutentione supersunt. *Cap. de his* 4. *de Eccles. ædifican.*, *Lambertin. de Jurepatron. lib.3. quæst.6. num.3.* Multo itaque magis admittendam existimant Taxæ moderationem, & expetitam per aliud decennium dilationem, cujus ope, & Fabricæ Ecclesiæ, & propriis indigentiis sine gravi incommodo occurrere valeant.

Episcopus, qui omnia confirmat, Oratorum precibus assentiri posse putat, ut ex ejus relatione, quæ inter monumenta Causæ recensetur: Quare nil aliud superest, nisi ut EE. VV. decernant

An sit locus adprobationi moderationis Taxæ factæ ab Episcopo in Sacra Visitatione, in casu &c.

COMACLEN. Anno 1691. pia Mulier Maria Solaini Beneficium, seu Capellaniam instituit ad Altare divi Antonii Patavini in Ecclesia Suffragii Civitatis Comaclen., & Capellano onus imposuit celebrandi *personalmente nella detta Chiesa .... Messe cinque per ogni settimana*, eumque a celebratione per se ipsum adimplenda exemit tantum *per tre mesi di ciaschedun' anno, con che però faccia adempire per altro Sacerdote.* Ad hujusmodi Capellaniam ipsamet Fundatrix prima vice nominavit Clericum Iosephum Solaini Fratrem, cui tamen onus tantummodo quatuor missarum injunxit, easque per alium celebrari posse permisit, quo usque ad Sacerdotium ascendisset, vel quando, ob adversam valetudinem, aut alia quavis de causa a Civitate abesse cogeretur. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Patronatum activum primo reliquit eidem Clerico Iosepho, deindeque omnibus descendentibus a Familia Solaini, atque in istorum defectu Capitulum Cathedralis substituit, mandavitque Patronis, ut quoties Cappellaniæ vacatio contingeret *si debba nominare un Prete, che non sia provisto di altro Beneficio, ma sia semplicemente Sacerdote, è che sia sempre il più povero.*

Hujusmodi Capellaniam possidet Sacerdos Ioseph Fantini, qui ob adversam valetudinem cum in Civitate Comacli moram ducere non posset, indultum a Sacra Congregatione anno *1769.* obtinuit adimplendi per alium Missarum oneribus, excepto tamen Adventus & Quadragesimæ tempore, & sollemnioribus anni festivitatibus, quibus juxta Episcopi relationem Clerici omnes, & Sacerdotes ex synodali Decreto a S. Congregat. Episcopor., & Regul. probato Cathedrali Ecclesiæ inservire tenentur, & interesse Pontificalibus functionibus, quæ ab Episcopo peraguntur. Indulti prorogationem postea obtinuit die 5. Ianuarii anni præteriti, iisdem tamen coercitam clausulis, & conditionibus, quas tamen respuens idem Sacerdos, d. Indultum Curiæ Episcopali exhibere minime curavit; Quare Promotor Fiscalis illum judicialiter interpellavit, ut ad Civitatem rediret, & Capellaniæ onera per se ipsum satisfaceret.

Contestata lite in eadem Curia Episcopali, sententia prodiit die 15. Iulii supradicti anni, qua indicta fuit Sacerdoti Fantini pœna privationis Beneficii, nisi in pervigilio Festi S. Cassiani, die scilicet undecima mensis Augusti, Comaclum rediisset, & injunctæ Missarum celebrationi per se ipsum adimplevisset. Quamvis ab hac sententia interposita fuisset appellatio ad Tribunal A.C., nihilominus dictus Sacerdos supplicavit Sac. Congregationi pro obtinenda facultate adimplendi per alium oneribus Capellaniæ, nulla temporis, aut dierum limitatione coercita. Petitioni contradixit Promotor Fiscalis, quo instante sapientissimo EE.VV. judicio subiicitur quæstio, quæ modo agitur.

Inquit Promotor Fiscalis, dubitari non posse de aperta voluntate Testatricis pro erectione Beneficii residentialis, statim ac Beneficiatum adegit ad adimplendam per se ipsum in designata Ecclesia missarum celebrationem, cum hujusmodi onus personalem residentiam omnino præseferat ad *Text. in Clement. Accedente de Stat. Monac.*, *Lotter. de re Beneficiaria lib.*2., *quæst.*27. *num.*13. *Rot. in recen. decis.*140. *num.*5.*par.*4. *tom.*1. Advertit insuper, prædecessores Capellanos residentiæ legem servasse, & negligentes auctoritate S. Congregationis fuisse ad illam coactos, quod quidem tanti ponderis esse affirmat, ut etiam in dubio ab observantia, quæ Fundatricis voluntatem explicat, recedi non debeat *Lotter. quæst.*47. *n.*38.

Nec jure Sacerdotem Fantini allegare posse indefinitam potestatem ab ipsamet Fundatrice primo Capellano tributam, cum hujusmodi facultas illius tantum Fratri ex peculiari quadam dilectione impertita, in exemplum trahi non possit pro aliis Capellanis, qui expresse ad personalem residentiam in Instrumento Fundationis adiguntur. Nec

præ-

præſidium mutuare poſſe ex adverſa valetudine, & aeris inſalubritate, quoties ipſe Sacerdos in Civitate Comacli ortum habuit, in eaque ad annum uſque 1769 permanſit. Deſpiciendas vero Medicorum depoſitiones, tum quia juramento deſtitutæ ſunt, tum etiam quia Medici in Civitate Ferrariæ commorantur, nec proinde de ſitu, & aere Civitatis Comacli notionem habere poſſunt.

Cæterum advertit, non quamlibet infirmitatem a reſidentia excuſare, ſed eam tantum, quæ gravis ſit, & aliquem inpoſterum reddat inhabilem *Ab. in Cap. ad Audien. num. 1. de Cler non reſid. Gonzal. ad reg. Cancel. gloſ. 5. §. 9. num. 89.* Ac tandem aſſerit, Sacerdotem Fantini aliud obtinuiſſe Beneficium in Diæceſi Cervienſi, quod quidem Teſtatricis voluntati adverſatur, proindeque contendit, Capellaniæ, de qua agitur, collationem ad Epiſcopum fuiſſe devolutam.

A Sacerdote Fantini licet pluries monito, & expectato nihil hactenus deductum eſt. Epiſcopus in ſua relatione EE. VV. exhibenda, cenſet, Beneficium eſſe reſidentiale, & ſuæ ſententiæ juſtitiam tuetur.

Ex Eccleſiæ indulgentia Beneficia ſimplicia onus Reſidentiæ non præſeferunt *Fagn. in cap. ut Abbates de ætat., & qualit. præficiendorum num. 74.* verum ſi in fundatione lex Reſidentiæ indicta fuerit, aut onus Beneficiato injunctum celebrandi per ſe ipſum, tunc a reſidentia minime poteſt excuſari *Lotter. de Re Beneſic. lib. 2. quæſt. 35. num. 10. Pignat. conſult. can 4. num. 10. tom. 7.*

Cæterum in Beneficiis ſimplicibus ſolo Miſſarum oneri obnoxiis, non ita rigide, ac ſtrictè reſidendi onus injunctum intelligitur *Urſaj. diſp. 3. part. 11., num. 62. Rot. cor. Bichio deciſ. 13. num. 14.*

In una Romana Cappellaniarum cum Teſtator Capellanis injunxiſſet, *che ſieno tenuti a celebrare ogni giorno in detta Cappella la meſſa, ed eſſendo impediti detti Capellani di non poter celebrare dette Meſſe quotidiane, voglio, e mi contento, che poſſino far celebrare da altri Sacerdoti a loro arbitrio.* Sacra Congregatio die 16. Martii 1709. cenſuit = *Capellanias eſſe reſidentiales* = *lib. 59. decret. pag. 63.*, & in *Salisburgen.*, cum Promotor Fiſcalis Curiæ Archiepiſcopalis inſtetiſſet, ut declararetur, an ad reſidentiam teneretur poſſeſſor Beneficii, cui onus a Fundatore injunctum fuerat adimplendi per ſe ipſum miſſarum celebrationi in deſignata Eccleſia, eadem S. Congregatio diebus 11. *Julii* 1712., & 4. *Februarii* 1713. reſpondit *Beneficium eſſe reſidentiale.*

Ab onere tamen reſidentiæ non ſolum eximuntur poſſidentes beneficia ſimplicia, ſed etiam obtinentes Dignitates, & Canonicatus, quoties Beneficiati non ſine gravi incommodo ob adverſam valetudinem propria munia exequi

possint. Sane Gregorius IX. in *cap. cum percussio de clerico ægrotante* Candido Episcopo Urbevetano scripsit = *Fraternitatem tuam hortamur, quatenus latorem præsentium ad percipienda, quæ consueta sunt ab Ecclesia tua, ægritudo sua non debeat impedire*. Cum itaque in præsenti casu ex lege Fundationis teneatur Sacerdos Fantini ad adimplendam per se ipsum missarum celebrationem in designata a Fundatrice Ecclesia, videndum, an ob adversam valetudinem, & aeris insalubritatem a Civitate Comacli abesse possit. Ponderandum quanti habenda sint testimonia Medicorum, quorum unus asserit *Josepho Fantini falso principio laboranti periculi plenum, ac damni esse Comaclense, quoduisve aliud salinum ambiens*, alter verò deponit *che il Sacerdote Giuseppe Fantini ha una falsa acrimoniosa congerie di umori, per cui è molestato da scoriazioni cutanee, e di affezzioni ipocondriache; perciò credo necessario per mantenersi sufficientemente sano, dover star lontano totalmente dall'aria di Comacchio*.

Observandum præterea, an eidem Sacerdoti Fantini petenti indultum abessendi nulla temporis, aut dierum limitatione coercitum, obstare possit Synodale decretum, quo pæna indicta noscitur tum Canonicis, tum aliis Presbyteris non interessentibus Pontificalibus functionibus, quæ ab Episcopo peraguntur. Hujusmodi decretum his verbis conceptum legitur = *In Pontificalibus solemnitatibus Nobis celebrantibus, si Canonici, & Sacerdotes [iis exceptis, qui Ecclesiarum extra Civitatem servitio sunt addicti] juxta pervetustam consuetudinem in Cathedrali non adfuerint, duplicatam subibunt Canonici punctaturam, Sacerdotes verò pænam pecuniariam a Sac. Congregatione statutam in Decreto edito anno 1688.*

Quæritur.

An Sacerdos Joseph Fantini ratione Cappellaniæ, de qua agitur, teneatur ad residentiam, itaut sententia Episcopi sit exequenda in casu &c.

Sess. 24. cap. 4. de Reform.

ASCULANA REDUCTIONIS MISSARUM. Post obitum Francisci Fratris, quem hæredem universalem instituerat, Petrus Petronsus in testamento condito anno 1763. titulo Legati reliquit PP. Eremitis Excalceatis Ordinis S. Augustini scuta 500. investienda in bonis stabilibus, aut censibus, vel locis montium cum onere trium Missarum, quas designatis diebus, Mercurii, Veneris, & Sabbati celebrari mandavit. Sequuto Testatoris obitu, PP. Legatarii institerunt in Curia Ecclesiastica Asculi, ut cogeretur hæres ad assecurandam summam pro Legato destinatam. Hinc inita Transactione dictus hæres assignavit quinque census summam constituentes sc. 325., promisitque intra triennium residualem summam sc. 175. in censibus investire, quorum tamen omnium censuum fructus sibi, quoad viveret, reservavit.

Defun-

Defuncto hærede, Fratres Legatarii assequuti sunt census pro adimplemento Missarum destinatos; cumque anno 1714. redempti fuerint duo ex his Censibus, quorum unus erat in sorte scut.100., alter scut.76., solliciti fuerunt ipsi utramque summam in emptionem alterius census erogare cum Felice Palesiani, & cum solidali obligatione Oddonis Sgariglia. Similiter sequuta anno 1754. redemptione alterius census in summa sc. 100., hanc summam in alio censu cum Paulo, & Antonio Manni reinvestierunt.

Decursu temporis factum est, ut tam Palesianus, quam Fratres de Mannis Censuum debitores Foro cesserint, eorumque bona ab anterioribus creditoribus absorpta, inanem reddiderint actionem PP. Legatariorum pro satisfactione censuum, qui deperditi omnino fuerunt; Et inanis etiam fuit actio promota contra hæredes Oddonis Sgariglia fidejussoris census a Palesiano impositi, nam titulo antiqui fideicommissi illius quoque bona vindicata fuerunt. Hinc iidem Religiosi preces exhibent pro reductione missarum, & quamvis Episcopus ipsorum petitioni minime annuendum existimet, illam tamen ab EE. VV. obtinere non desperant.

Satis enim sibi esse putant docere de reddituum imminutione, quæ absque ulla ipsorum culpa acciderit, *Ferr. in Bibl. verb. Missæ Sacrif. Art.* 2. *num.*14.. Nec de hujusmodi imminutione dubitari posse, cum fructus censuum, qui olim ad sc. 25. 65. pertingebant, ad sola sc. 11. 10. redacta modo fuerint, quæ ne in ratione quidem elemosinæ manualis pro satisfactione trium missarum qualibet hebdomada sufficiunt. Addunt, Censuum deperditionem absque ulla ipsorum culpa evenisse, quia tam Palesianus, quam Fratres de Mannis illorum debitores nonnisi post multos annos a die impositionis Foro cesserunt, & antea bonum semper nomen, ac famam habuerunt, fructusque exacte persolverunt.

Perperamque in relatione Episcopi, decoctionem debitorum tribui putant oscitantiæ, & culpæ Legatariorum, qui hipotecas super illorum bonis non previderint; Respondent enim, inquirendum tantummodo esse, an debitores idonei fuerint ab initio, quando illis credita pecunia fuit, haud attento, quid postea evenerit. *Leg. qui sub condit.*110. *ff. de condit.*, *& demonstrat. Rot. decis.*679. *num.*13., *& seq. coram Lancett. Tom.* 3. Præsertim quia Legatarii cauti fuerunt fideiussionem, & solidalem obligationem ab utroque debitore exquirere. Neque culpandos esse, quia pecunias in censibus reinvestierint absque ulla Episcopalis Curiæ facultate: licere enim sustinent Regularibus absque hujusmodi facultate census creare, & ex censibus retrovenditis alios denuo renovare. *Sac. Congregatio in Romana Cistercentium* 1. *Septembris* 1717. Epi-

Episcopus postquam onus a Testatore impositum, & debitorum decoctionem retulit, hæc in sua Relatione addidit = *Immerito dolent modo Oratores deperdita utriusque census Capitalia; damnum enim hujusmodi non aliunde, quam a PP. supina negligentia deducendum censeo; Ita quidem suadente valida temporis conjectura, quod ab inito unoquoque contractu, usque ad respectivam denunciatam decoctionem intercessit brevissimum, unde arguere datum est, ipsos levibus quibusvis admissis diligentiis, fore nullo negotio agnituros debitorum insufficientiam, eorumque proximam, ac undique patentem foro cessionem, ut a damnoso reinvestimento caute abstinere deberent. Dum igitur cæcutientes illud non una vice, sed iterato explevere, viderint Eminentissimi PP. eo, quo pollent sublimi judicio, an hujusmodi eorum culpa valeat nunc ipsis suffragari ad obtinendam expetitam reductionis gratiam cum animæ pii Testatoris præjudicio, qui de cætero in ultimis suis tabulis provide præscripsit = ed in caso di estinzione li suddetti scudi 500. si debbano in perpetuo rinvestire.*

Quando agitur de reductione onerum ob redituum imminutionem, præcipue inquirendum est, an imminutio ex facto, & culpa Legatarii evenerit; tunc enim non esse locum reductioni censent comuniter Doctores, quos inter *S.M. Benedictus XIV. de Sinodo Diæcesana lib.13. cap. ultimo num.33.* Primo itaque in præsenti casu ponderandum occurrit, an ulla Patrum Legatariorum culpa, aut negligentia census deperditi fuerint. Deinde perpendendum videtur, an Religiosi Legatarii onus sibi a Testatore injunctum per contractum acceptaverint; quo casu etiamsi reditus imminuti fuerint, reductio solet denegari *Rot. in Ravennaten. Salviani 16. Febrr.1753. § 10. cor.Card. Molino*, & S. Congregatio *in Maceraten. Oneris Missarum 15. Novembr. 1687. in Montis Politiani 3. Septembris 1716., & in Bergomen. reductionis Missarum 10. Iulii 1728.*

Hac autem in re habenda præ oculis est particula Instrumenti Transactionis, seu cessionis censuum ab hærede Testatoris factæ Fratribus Legatariis, ubi inter cætera hæc leguntur = *Et his stantibus supradicti admodum Rev. PP. &c. ad sonum Campanellæ, ut moris est, congregati in loco solito &c. teneri voluerunt ad omnia damna &c. & omni modo meliori promiserunt, & in forma juris valida se obbligarunt post mortem dicti D. Francisci, & non ante, celebrare, seu celebrari facere tres missas pro qualibet hebdomada ad tenorem præcitati Testamenti dicti qu. Petri Boetii Petrotii, ut supra &c.*

Post hæc Eminentissimi PP. dijudicabunt.

An sit locus reductioni Missarum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 27. Novembris 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

UNica, quæ in præsenti folio exponitur Causa, eadem transcripta legitur post alias, quæ ex postrema Congregatione diei 18. elapsi mensis Septembris indecisæ remanserunt. Resumpto proinde priori folio, nil aliud superest, nisi ut de omnibus sapientissimum EE. VV. judicium prodeat.

FULGINATEN. FUNERUM.

Sess. 24. cap. 13. & sess. 25. cap. 13. de Reform.

I. *An Ecclesiæ Cathedrali Fulginei jus competat privativè tumulandi corpora tum Presbyterorum, tum Clericorum omnium cujuscumque Ordinis, & conditionis in dicta Civitate decedentium absque electione Sepulturæ, & percipiendi omnia emolumenta funeralia; in casu &c.*

II. *An idem jus competat Cathedrali etiam quoad Cadavera omnium Parochorum Sæcularium prædictæ Civitatis, in casu &c.*

III. *An etiam competat quoad Cadavera Clericorum Conjugatorum, in casu &c.*

IV. *An prædictis omnibus decedentibus electa sibi Sepultura in quacumque alia Ecclesia, eidem Cathedrali debeatur quarta funeralis, in casu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Negativè. Ad III. Negativè. Ad IV. Negativè.

FIRMANA REDUCTIONIS MISSARUM.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In decisis, & amplius.

Seff. 25. cap. 4. de Reform.

SENOGALLIEN. TRANSLATIONIS MISSARUM.
An, & quomodo sit locus translationi oneris Miſſarum, in caſu &c.

Negativè,

Seſs. 23. cap. 10. de Reform.

HISPALEN. ORDINUM.
An, & quomodo ſit conſulendum Sanctiſſimo, in caſu &c.

Dilata, & ad mentem.

Seff. 25. cap. 5. de Reform.

REATINA CAPELLANIÆ.
I. *An, & à quo tempore debeatur nominatio Clerico Joanni Baptiſtæ Antonini ad Capellaniam, ſeu Beneficium erectum a Sacerdote Roſato Leonori, in caſu &c.*
II. *An, & a quo ſint reſtituendi fructus, & in qua ſumma, in caſu &c.*

Ad I. Deberi a die vacationis. Ad II. Deberi a Patrono detractis oneribus uſque ad diem motæ litis, & a Capellano a die motæ litis.

AUXIMANA MODERATIONIS TAXÆ.

Seff. 21. cap. 7. de Reform.

An ſit locus adprobationi moderationis Taxæ factæ ab Epiſcopo in Sacra Viſitatione, in caſu &c.

Affirmativè juxta votum Epiſcopi facto verbo cum Sanctiſſimo.

CO-

COMACLEN.

An Sacerdos Joseph Fantini ratione Capellaniæ, de qua agitur, teneatur ad residentiam, itaut sententia Episcopi sit exequenda, in casu &c. *Seff. 24. cap. 12. de Reform.*

ASCULANA REDUCTIONIS MISSARUM.

An sit locus reductioni Missarum, in casu &c. *Sess. 24. cap. 4. de Reform.*

ASSISIEN. PAROCHIALIS. Per obitum Sacerdotis Joannis Francisci Maghetti sequutum mense Maji superioris anni, vacavit Archipresbyteralis Ecclesia S. Mariæ in Cœlum Assumptæ Oppidi Bictonii, & Episcopus Assisiensis concursum de more indixit, omnesque ad dictam vacantem Ecclesiam optare volentes per publica proclamata excitavit, ut in actis Curiæ Episcopalis propria requisita exhiberent, & pro subeundo examine die 20. ejusdem mensis Maji ad Palatium Episcopale accederent. Statuta igitur die comparuerunt Sacerdotes Joachim Sgariglia, Petrus Emilii, Franciscus Zappi, Carolus Bassi, Vincentius Pellegrini, & Joannes Valerj, quibus omnibus casus Conscientiæ pro definitione fuerunt assignati, & Evangelii explicatio demandata, ut super eo concionem haberent. Facto deinde ab Examinatoribus Synodalibus scrutinio, omnes concurrentes pari suffragio ad regimen dictæ Ecclesiæ idonei fuerunt renunciati: Verum Episcopus præelegit Sacerdotem Carolum Bassi, quem suis testimonialibus litteris Eminentissimo Pro-Datario enixè commendavit. *Sess. 24. cap. 18. de Reform.*

Ægrè id tulerunt alii Concurrentes, qui examen subierant, suasque conquæstiones adversus Episcopi judicium proposuerunt Eminentissimo Pro-Datario, qui illos ad Sacram hanc Congregationem remisit, ut sua jura coram ea experirentur, & interim litteras Apostolicas concessit Sacerdoti Carolo Bassi, quarum vigore possessionem Archipresbyteralis Ecclesiæ Bictonii nactus est. Quare transmissis actis concursus, quamvis Vincentius Pellegrini, & Joannes Valeri a lite recesserint, nihilominus instantibus Joachimo Sgariglia, Petro Emilj, & Francisco Zappi, sapientissimum EE. VV. judicium exquiritur super dubio, quod in calce transcriptum legitur.

Itaque istorum Defensores innituntur dispositioni Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum Constitutionibus præcipientibus, ut peracto examine, ei Animarum cura com-

committatur, quem Episcopus ætate, scientia, & probitate magis idoneum judicaverit *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.*, *S. Pius V. Constitut. In conferendis* §. 7., *Bened. IV. Constitut. Cum illud in ordine la* 68. *tom.* 1. *Bullar.* Nec in hujusmodi prælectione posse Episcopum proprio arbitrio procedere, sed adstrictum esse certam judicii formam servare *Piton. disceptat. Eccles.* 108. *num.* 1. *part.* 4., & ad evitandas fraudes, quæ oriri possent, liberum cuique esse ab illius judicio reclamare, si forte contra Sacrorum Canonum Statuta prodierit *S. Pius V. dicta Constitut. In conferendis* §. 7., & *Piton. citat. disceptat.* 108. *num.* 2. Ab his verò legibus recessisse affirmant Episcopum, dum posthabitis aliis Concurrentibus doctrina, & sacrarum litterarum peritia magis idoneis, Sacerdotem Bassi præeligendum existimavit.

Hunc autem dicunt in florida nimis ætate fuisse constitututum, cum annum ageret octavum supra vigesimum, quando ad regendam Parochialem Ecclesiam fuit destinatus; & quamvis exercuisset munus Confessarii Monialium S. Catharinæ in eodem Oppido Bictonii, sustinent nihilominus ob ejus immaturam ætatem non ostendisse probitatem, morumqne gravitatem, quæ tanto muneri conveniret, ac proinde cunctis Oppidanis fuisse invisum. Hinc minimè attendendam putant acclamationem, quam a nonnullis de Magistratu reportavit, utpotè quia extortam fuisse ajunt usurpato Populi nomine, & privata auctoritate transcriptam, quin immo in publicis Comitiis postea revocatam. Non inficiantur ad bonum Animarum Pastorem constituendum, non eam requiri scientiam, quæ magnum, doctumque Virum decet, sed sufficere, ut mediocriter sit in scientiis, & litteratura versatus, verum mediocrem quoque doctrinam desiderari in Sacerdote Bassi, quem etiam in ipsis Grammaticæ regulis penitus rudem, atque imperitum contendunt, idque ex actis concursus, totoque ejus examine satis resultare existimant.

Cæterùm advertunt Sacerdotem Zappi alterum ex Concurrentibus annum agere tertium supra trigesimum, & per omnem ætatem Ecclesiæ servitio fuisse adscriptum, cum prius in Cathedrali Choristæ munus expleverit, deinde illius Capituli Capellanus electus fuerit, ac postea per integrum ferè decennium officium Magistri Cæremoniarum in eadem Cathedrali exercuerit. Pluries præterea instructiones ad Populum habuisse, & tempore Quadragesimæ in Diœcesi Assisiensi verbi Dei prædicationi incubuisse: Donatum proinde usque ab anno 1764. facultate excipiendi Confessiones Fidelium utriusque sexus, & ab ipso Assisiensi Episcopo selectum ad exercendum munus Confessarii Monialium Sanctæ Crucis, S. Quirici, & aliarum,

rum, quæ appellantur *della Benedetta*, insuperque ab eo adprobatum ad Curam Animarum tum pro Archipresbyterali Ecclesia Terræ Canaræ, tum pro aliis ejusdem Dioecesis Oppidis.

Observant minus rectè Episcopum in suis litteris ad Sacram Congregationem datis asseruisse, quod requisita Sacerdotis Zappi non sufficiant ad bonum Parochum constituendum, cum ejus opera usus fuerit pro novis exarandis Constitutionibus Monialium S. Annæ, & S. Quirici, ut illas ad regulam perfectæ vitæ communis redigeret. Et minus verè exposuisse ejus infirmitatem, cujus causa in ampla Parochia Bictonii Sacramentorum administrationi, & præsertim ægrotis præsto esse non posset, cum ipse nullo morbo laboret, sed firma, ac stabili valetudine fruatur, prout ex Medicorum testimonio resultat.

Hæc de Sacerdote Zappi: Quo verò ad Sacerdotem Emilj, hunc advertunt immeritò ab Episcopo fuisse reprobatum, cum in ætate annorum 42. sit constitutus, Sacramentalibus excipiendis Fidelium, & Monialium Confessionibus assiduè intentus, ab anno 1755. Ludimagister in Seminario Assisiensi, & pro regimine plurium Ecclesiarum Parochialium adprobatus: Vir morum suavitate, & summa prudentia præditus, atque ab omnibus magni semper habitus. Eadem asserunt de Sacerdote Sgariglia, quem non ob animi inconstantiam, vel Populorum aversionem a propria Dioecesi absfuisse sustinent, sed ut eloquentiam edoceret in Terra Massæ Tudertinæ Dioecesis, aliaque adimpleret munia, ad quæ fuerat destinatus. Hunc ajunt in aliis concursibus pro Animarum cura adprobatum, & Vice-Parochi, ac Concionatoris officium exercuisse. Ex his inferunt satis constare de irrationabili Episcopi judicio, dum Sacerdotem Bassi aliis prætulit, qui & morum gravitate, & doctrina ipsum antecellunt, cum de cætero in obeundo Parochiali munere senior magis idoneus censeatur *Cap. Cum in cunctis de elect.*, *Lambertin. de Jurepatron. lib. 2. part. 2. quæst. 2. artic. 26. num. 4.*, *Barbos. de Offic.*, *& Potest. Episcop. par. 3. allegat. 60. num. 101. & 109.*

E converso autem, qui pro Sacerdote Bassi causam agunt, mordicus tuentur concursum ab Episcopo habitum, nullaque irregularitatis macula coinquinatum propugnant. Advertunt enim præmissa fuisse de more Edicta, & congruum tempus Concurrentibus assignatum, ut propria requisita apud acta Curiæ Episcopalis exhibere possent, præfinitum præterea diem habendi examinis, istudque expletum cum interessentia Episcopi, & trium Synodalium Examinatorum. Nihil proinde prætermissum ex iis, quæ Ecclesiæ leges præscribunt, atque idcircò minimè licere ab eo, quod ritè gestum fuit reclamare *Rota in Cala-*

guritana dimidii Beneficii 3. Decembris 1753. §. 3. coram Cardinali Molino .

Sustineri autem debere Episcopi judicium panditum favore Sacerdotis Bassi, quia Concilium Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.*, neque in devolutivo appellationem admittendam decrevit: Et quamvis S. Pius V. potestatem fecerit impugnandi in devolutivo electionem Parochi ab Episcopo factam, nihilominus contendunt juris præsumptione suffultam esse sententiam Episcopi, dum magis dignum, & probitate, & scientia prælegisse censetur, *Cap. Præsentia de renunciat.*, *Tondut lib. primo cap. 59. n.* 10., *Rot. in Calaguritana Parochialis* 16. *Januarii* 1759. §. 2. *coram Frangipane*. Ex his arguunt liberum non esse Episcopi judicium de injustitia redarguere, nisi concludentissimæ afferantur probationes, ex quibus resultet unum potius, quam alium dolo, ac fraude fuisse prælectum *Fagnan. in cap. Eam te num.* 24. *de ætat.*, *& qualit. Præfic.*, *Rot. coram Ansald. decis.* 429. *num.* 19.. Addunt licere Episcopo unum ex adprobatis in concursu præeligere, quem ad Ecclesiæ regimen, & Animarum curam exercendam magis aptum existimaverit, posthabitis aliis, qui majoribus polleant requisitis *Pignattell. Consult. Canonic. part. 3. allegat. 60. num.* 102., *Rot. coram Ansaldo decis.* 269. *num.* 3.

De Sacerdote Bassi observant, ipsum pluribus fortunæ bonis ditatum esse, quibus Paræciæ indigentiis occurrere valeat, cum præsertim Ecclesia suppellectilibus indigeat, ejusque bona deteriorationem passa fuerint; illumque præterea dicunt acceptissimum esse Populo, cui præesse debet. His ergo perpensis circumstantiis meritò fuisse prælectum, cum hujusmodi requisitis alios superexcedat, *Pignatell. Consultat. Canonic.* 118. *num.* 1. *tom.* 1., *Card. de Luca de Parochis disc.* 1. *num.* 19.. Verùm animadvertunt, quod licet aliorum Concurrentium requisita majora essent propter ætatem, doctrinam, & exercita munia, non tamen ex hoc redargui posset Episcopi judicium, quia sicuti peculiares quædam qualitates reddere valent electum magis idoneum ad Curam Animarum, ita intrinseca, vel extrinseca earumdem qualitatum notitia movere potuit Episcopum ad illum tanquam magis idoneum eligendum *Barbos. de offic. Paroch. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 141., *Card. de Luca ad Concil. Tridentin. discurs.* 32. *num.* 21.

Neque obiici posse, quod Episcopus aliorum concurrentium requisita non perpenderit, quoties in sua relatione singulorum qualitates, & doctrinam exposuit. Minusque obstare, quod probationes a Sacerdote Bassi adductæ potissimum desumantur ex relatione Episcopi, cujus judicium impugnatur: Respondent enim, quod licet hac in re Episcopi judicium prævalere debeat, nihilominus tuentur omnia

omnia ab eo narrata conformia esse depositionibus Magistratus Assisii, & Bictonii, nec non Cleri sæcularis, & Regularis ejusdem Oppidi, & testium, ex quibus, aliisque allatis probationibus resultare authumant eumdem Sacerdotem Bassi Populo esse acceptissimum, summaque cum laude munus Confessarii Monialium, aliaque ministeria adimplevisse. Despicienda verò ea omnia, quæ contra illius probitatem, & mores deducuntur, cum adductæ in id depositiones per invidiam, & fraudem fuerint post concursum expiscatæ *Bened. XIV. Constit. Cum illud* §. *Si quem Clericum*.

Denique quoad Examinatores Synodales animadvertunt, quod quamvis in relatione errare potuerint, tamen error non satis desumitur vel ex responsionibus datis ad casus conscientię in concursu propositos, vel ex brevi conciuncula super textu Evangelii, sed probandum esset, quod per dolum, & fraudem uno potius modo, quam alio retulerint, *Sac. Congregatio in Auximana Concursus* 12. *Augusti* 1747., *& in Burgi S. Donnini Parochialis* 20. *Decembris* 1749. Id autem non præsumi in Viris perspectæ probitatis, & probatæ fidei, prout sunt Examinatores Synodales, qui concursui interfuerunt, proindeque despicienda omninò esse ea omnia, quæ hac de re minus verè opponuntur.

Episcopus de more auditus singulorum Concurrentium merita, & qualitates fusius enarrat, suamque sententiam, atque electionem Sacerdotis Bassi tuetur. Videnda ejus relatio, quæ inter monumenta causæ recensetur.

Quanta cura studuerit semper Ecclesia, ut ii ad regimen Animarum assumerentur qui possent verbo, & exemplo oves suas dirigere, eisque salutaria pasqua præbere, testantur passim ædita Sacrorum Canonum Statuta, tum quæ juxta rerum circumstantias prodierunt, tum quæ omnibus Episcopis pro recta agendi norma tradita sunt. Præcipit enim Apostolus, ut Parochi præsertim exemplo sint Fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, atque attendant sibi, & doctrinæ, instantes in istis, ut, & se ipsos salvos faciant, & eos, qui se audiunt. Hinc *Fagnan. in Cap. Eam Te de ætat., & qualit. Præfic. n.* 21. asserit, juxta communem Sacrorum Canonum dispositionem nonnisi præstantiores, & digniores ad Curam Animarum esse assumendos. Idque etiam præscriptum pluribus Sac. Concilii Tridentini decretis, præsertim verò *Sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.* testatur sa. mem. Benedictus XIV. in *Constitutione Cum Illud* 14 *Decembris* 1742. his verbis *Providè consultum est, regimen Ecclesiarum Parochialium iis esse committendum, quorum omnis ætas a puerilibus exordiis ad provectiores annos per disciplinæ Ecclesiæ stipendia ita cucurisset, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinæ, morum, ac diuturni laboris suffragio nefas esset dubitare.*

Quan-

Quamvis autem vacante Parochiali Ecclesia concursus indici debeat, ut de singulorum meritis fiat inquisitio, & habeatur experimentum, nihilominus sicuti contingere quandoque potest, Episcopi, & Examinatorum judicium aut falli, aut fallere, idcircò saluberrima hac de re edita Constitutione incipien. *In conferendis* statuit S. Pius V. *Quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint a mala relatione hujusmodi appellare, ac prælectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, & ejus Examinatoribus provocare; & constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eumdem Judicem appellationis, auctoritate nostra (quatenus collatio ad Episcopum, a quo appellatum fuit spectaret) conferatur, alias eidem magis idoneo per Judicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit.* Cavit tamen ne appellatio in suspensivo, sed in devolutivo tantum admitteretur.

Actum deinde fuit in S. Congregatione de modo, ac forma interponendi appellationem, ideoque litteris datis die 10. Januarii 1721., & a S. M. Clemente XI. adprobatis præscriptum fuit, ut nonnisi infra decem dies a mala relatione Examinatorum, & ab irrationabili judicio Episcopi liceret appellare, utque acta concursus ad Judicem appellationis transmitterentur, *ex quibus actis, vel autentico eorum exemplo, nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic ut præmittitur examinatus, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a Sac. Congregatione frustra postulabit: Quemadmodum, & in judicio appellationis prosequi jus suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi interposita mature, ut dictum est appellatione ab irrationabili judicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit, vel ex actis primi concursus, vel saltem ex attestationibus, & documentis extrajudicialibus etiam, sed non levibus.*

Quibus omnibus postea accessit superius memorata Constitutio fa. mem. Benedicti XIV. *Cum illud*, ubi nonnulla præfatis Litteris addenda, nonnulla verò tacitè, breviterque ibidem tradita clarius censuit explicanda. Illud tamen præcipue cavit, ut *in ferenda sententia, ac reparando gravamine idem Judex* (scilicet appellationis) *innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis tam respectu doctrinæ, quam aliorum meritorum. Quia verò a publica indictione, usque ad diem habiti concursus tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commodè exhibendis necessariis juribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum documentis, idcircò ut quævis via fraudibus præcidatur volumus, ac districtè mandamus, ne dictæ attestationes, fides tam judiciales, quam extrajudiciales, & documenta quæcumque studiose conquisita, & post concur-*

cur-

cursum ut ajunt expiscata, nullo modo recipiantur. Non obstantibus supramemoratis Litteris a Sac. Congregatione Concilii Tridentini Interprete anno 1721. editis, quibus ad præmissum effectum in hac parte derogamus &c.

Verum enim verò animadvertendum est, non eum tantum ad curam animarum idoneum existimari, qui majori doctrina, & scientia polleat. Id sane monit S. Concilium Tridentinum *citat. sess. 24. cap. 18. de Reform.*, inquiens = *Peracto deindè examine renuntientur quotcumque ab his idonei judicati fuerint moribus doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis* = Cohærent litteræ S. Congregationis, de quibus supra habita mentio est his verbis = *Cum non continuò si quis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit* = Nec est prætereundum, quod in laudata Constitutione *Cum illud* addit S.M. Benedictus XIV. dum ait = *Sciant porrò Judices . . . nec parvi pendendum esse testimonium illius Pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, Episcopos suæ non minus, quam alienæ salutis adeo immemores, ut non deterriti Divini interminatione Judicii, odio, vel favore moveantur, & in Sacrorum Canonum singularem injuriam dicant malum bonum, bonum malum, & ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.*

Hinc porrò est, ut judicium Episcopi unum potius, quam alterum præeligentis irrationabile dejudicari non possit, nisi tanta meritorum inæqualitas deprehendatur, quæ manifestum, & inexcusabilem excessum suadeat *Fagnan. in Cap. Eam Te num. 24., & 30. de ætat., & qualitat. præfic.*, *Rot. coram Ansald. dec. 424. num. 19.* Quare S. Congregatio rejecit quandoque querelas adversus Episcopi judicium propositas. In *Nucerina Parochialis* habito de more concursu pro Parochiali Ecclesia Saxoferrati, adprobatus fuit a quinque Examinatoribus Synodalibus Sacerdos Parides de Vimercatis, & nihilominus Episcopus præelegit Sacerdotem Marcum de Evangelistis a tribus tantùm Examinatoribus adprobatum. Reclamante autem dicto Sacerdote de Vimercatis, propositoque dubio = *An sit concedendum novum examen, & quatenus negativè An aliundè constet de irrationabili judicio Episcopi in casu &c.* = Die 2. *Octobris* 1721. responsum fuit *Negativè*. Similiter in *Portuen.* collata fuit Parochialis Ecclesia Terræ Cerveteris Sacerdoti Carolo Saluvcci secundo loco adprobato, quamvis primo loco adprodatus fuisset Sacerdos Dominicus Calabresi; cumque die 30. *Julii* 1763. quæsitum a Sac. Congregatione fuisset = *An constet de irrationabili judicio Episcopi, ita ut Ecclesia Parochialis Cerveteris sit adjudicanda Dominico Calabresio in casu &c.* = prodiit rescriptum = *Negativè in omnibus, & amplius.*

Quandoque tamen juxta rerum circumstantias, ac seriò perpen-

pensis omnium Concurrentium meritis, & requisitis Sac. Congregatio Episcopi judicium improbavit. Prostat exemplum in *Æsina Concursus*, in qua Episcopus ad vacantem Parochialem Ecclesiam S. Silvestri Montis Roberti seligendum existimaverat Hieronymum Nori a tribus Examinatoribus idoneum repertum, rejecto Sacerdote Marino Moriconi, in quem quinque Examinatorum suffragia convenerant. Hic autem suas detulit Sac. Congregationi querelas, exponens non solum ætate, & Sacerdotij antiquitate præcellere supradictum Nori, sed insuper post diu exercitam Animarum curam in administratione Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ Novæ, translatum fuisse usque ab anno 1711. ad aliam Parochialem nuncupat. *del Poggio Cupo*. His ergo, aliis que ponderatis in Congregatione diei 12. *Maii* 1736., propositisque duobus dubiis I. *An constet de irrationabili judicio Episcopi*. Et quatenus affirmativè II. *An, & cui sit adjudicanda Parochia S. Silvestri Terræ Montis Roberti in casu &c.* = ædita resolutio fuit Ad I. *Affirmativè*. Ad II. *Adjudicandam esse Moriconi*. Præterea in *Firmana Parochialis* conquestus est apud Sac. Congregationem Dominicus Nicolaus Passarini Rector Parochialis Ecclesiæ Terræ Porculæ Diœcesis Montis Alti, quod quamvis ipse in sex aliis concursibus fuerit antea pro Ecclesiis Parochialibus adprobatus, nihilominus Archiepiscopus præelegerit Cajetanum Moretti ad regendam Parochialem Ecclesiam Castri Orticiani, disputatoque *die* 21. *Augusti* 1762. dubio = *An constet dè irrationabili judicio Archiepiscopi, ita ut Parochia S. Hieronymi Orticiani sit adjudicanda Dominico Passerini in casu &c.* = rescriptum fuit = *Affirmativè in casu, de quo agitur*.

Viderint Emi PP. quanti habenda sint monumenta, quæ in causa afferuntur, ac seriò libratis actibus concursus definiant.

An constet de irrationabili judicio Episcopi, & mala relatione Examinatorum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 18. Decembris 1773. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SEx in præsenti folio numerantur Causæ. Reliquas habent EE. PP. ex folio præteritæ Congregationis, pro cujus reassumptione supplicantur.

COMACLEN.

An Sacerdos Joseph Fantini ratione Capellaniæ, de qua agitur, teneatur ad residentiam, itaut sententia Episcopi sit exequenda, in casu &c. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Affirmativè in omnibus.

ASCULANA REDUCTIONIS MISSARUM.

An sit locus reductioni Missarum, in casu &c. *Sess. 24. cap. 4. de Reform.*

Affirmativè ad manualem.

ASSISIEN PAROCHIALIS.

An constet de irrationabili judicio Episcopi, & mala relatione Examinatorum, in casu &c. *Sess. 24. cap. 18. & 19. de Regular.*

Negativè, & amplius.

Sess.22. cap. 6. de Reform.

FANEN. SUBROGATIONIS. Testamentum condidit anno 1727. Andreas Borgogna Civis Fanensis, quo præter alia plura mandavit, ut post decennium ab Uxoris obitu singulis annis deponerentur scuta quinquaginta investimento collocanda, quousque conficeretur cumulus scutorum 300., ex cujus reditibus quolibet sexennio constitueretur dotale subsidium Puellis descendentibus ex septem Familiis ab ipso nominatis, nempe Pauli *Lotrecchi*, Gasparis *Sansoni*, Petri *Fracalossi*, Angeli *Speranzini*, Margharitæ *Gasparoli*, Antonii *Manzoni*, & Jacobi *Lentauri*. Pro distributione verò hujusce dotalis subsidii præcepit, ut quilibet ex prædictis Familiis natu major schedulam traderet suo hæredi, in qua obsignatum fuisset nomen Puellæ, quæ non esset minor annorum 14., nec major annorum 25., atque in die festo S. Andreæ Apostoli, vel in ejus octava, una ex Puellis sorte extraheretur, quæ dotale subsidium consequeretur.

In casu verò deficientiæ alicujus ex memoratis Familiis jussit, ut superextantes Familiæ *ciascuna di esse in un Bollettino, o Schedoletta scrivi il nome di quella Famiglia, che desideri sia surrogata in luogo dell' altra estinta, e tutti li detti Bollettini, o Schedolette dovranno imbussolarsi dal mio Erede facendone estrarre uno . . . e questa estratta dovrà in avvenire godere il beneficio di detta nomina*, idque servari voluit *tante volte, quante succederà il caso dell a mancanza di una di dette Famiglie da me nominate, volendo, che la presente mia disposizione abbia luogo in perpetuo senza veruna alterazione, o diminuzione*. Præterea mandavit, ut si hæreditatis suæ fructus adaucti fuissent, tunc quidquid detractis oneribus superesset, id omne pro medietate in celebrationem Missarum erogaretur, altera verò pars in Æde Sacra pro multiplico deponeretur. Denique hæredem instituit Capitulum Cathedralis Civitatis Fani, & Canonico pro tempore Camerario, cui curam, & administrationem commisit, annua scuta sex pro centenario ex omnibus suæ hæreditatis reditibus assignavit.

Defecta familia Manzoni, subrogata fuit vigore rescripti san. mem. Benedicti XIV. familia Josephi Balli, & successivè post extinctionem familiæ Fracalossi, reliquæ, quæ supererant, subrogarunt familiam Angelini. Hæc autem cum anno 1766. defecisset, & Franciscus Antonius Magini nominationem pro subrogatione obtinuisset a familia Speranzini, nihilominus aliæ familiæ a subrogatione abstinendum existimarunt, ea de causa, quia Testator illam demandasset solum in casu, quo aliqua ex Familiis a se nominatis defecisset, non autem in defectum aliarum, quæ fuissent subrogatæ: Hinc apud sa.me. Clementem XIII. institerunt, ut subrogationem alterius familiæ interdiceret. Ablegatis precibus Sacræ huic Congregationi, omnes

Ci-

Civicæ Fanenses familiæ conquestæ sunt, quod tam Capitulum Cathedralis, quam familiæ ab Andrea Borgogna nominatæ istius dispositionem irritam reddere cogitarent.

Siluit per aliquod tempus causa, quousque tandem a Francisco Antonio Magini, & Catharina Gaggi Conjugibus fuit denuo excitata. Id autem a Summi Pontificis munificentia memorati Conjuges obtinuerunt, ut quatenus revera esset locus subrogationi (de quo ad juris tramites in congruo judicio agendum erat) eadem familia Francisci Magini Supremi Principis imperio subrogaretur. Itaque citatis omnibus interesse habentibus, dum jura a Partibus parabantur, ut in Sacra Congregatione discuteretur, an revera esset locus subrogationi, Capitulum Cathedralis devenit ad extractionem Puellæ pro assequutione subsidii dotalis Borgogna, quæ tamen extractio irrita fuit declarata. Post hæc supervenerunt preces Petri Lotrecchi postulantis, ut, secluso sortis periculo, subsidium dotale traderetur filiæ suæ natu majori, utpote descendenti a familia primo loco a Testatore nominata. Oportuit proinde singula, quæ proponebantur quæstionum capita duobus dubiis exponere, de quibus Collitigantes in triangulari certamine sapientissimum EE. VV. judicium expectant.

Ad I. inquit Franciscus Antonius Magini, apertam esse voluntatem Andreæ Borgogna pro institutione perpetui dotalis subsidii favore Puellæ ex cœtu Civico Civitatis Fani, dum præcepit, ut quolibet anno Puella ex familiis a se nominatis sorte extraheretur, & in locum extinctæ familiæ altera subrogaretur, idque in perpetuum, & absque ulla immutatione servari mandavit. Infert idcircò, hujusmodi legatum semper inter septem familias distribui oportere, nec unquam favore Capituli posse devolvi, nec contemni Testatoris præceptum pro subrogatione alterius familiæ in locum illius, quæ defecisset *Rot. in Recen. dec.* 714. *num* 2. *part.* 1., *& in Sutrina Divisionis* 18. *Junii* 1759. §. 8. *coram Canilliac*.

Perperamque opponi, subrogationem ex voluntate Testatoris trahi non posse ad casum extinctionis alicujus familiæ jam subrogatæ. Siquidem observat, Testatorem præcepisse, ut familia subrogata uti, & frui deberet beneficio nominationis ad dotale subsidium a se institutum, atque idcircò non solum de Familiis primo loco vocatis, sed in istarum defectu etiam de aliis substituendis sermonem habuisse. Præsertim quia addidit, ut subrogatio fieret toties quoties Familiarum deficientia evenisset, & suam dispositionem perpetuò observari mandavit, quo casu Familiæ etiam imposterum substituendæ æquiparantur aliis in dispositione nominatis, cum omnes parem habeant vo-

cationem, & solum differant in tempore *ad Text. in Leg. Qui Filiabus ff. de legat.*

Observat præterea, legati perpetuitatem satis deprehendi ex adhibita a Testatore loquendi formula quoad alia legata, quæ perpetua esse voluit, & *in perpetuum* adimpleri; arguit proinde, fieri non posse, ut hujusmodi clausula in suo legitimo sensu quoad cætera usurpata, solum improbetur in præjudicium Familiarum, quæ subrogari debent. Idque eo absurdius esse dicit, quia sine subrogatione haberi non posset perpetuitas a Testatore optata, & caducum redderetur legatum, quod illius voluntati omnino repugnat. *Rot. decis. 10. num. 5. part. 1., & decis. 314, num. 10. part. 4. tom. 2. Recent.*

Ad II. sustinet, subsidium dotale juxta apertam Testatoris voluntatem non aliter esse conferendum, quam per extractionem unius ex Puellis, quarum nomina in urna posita fuerint. Addit, Puellarum nominationes huc usque expletas fuisse juxta methodum a Testatore præfinitam, nec proinde licere ab aperta illius dispositione recedere, nec prælectionem tribuendam Petro Lotrecchi, qui ut dotis legato potiri valeat, sortem & ipse experiri debet. Cæterum advertit, voluisse Testatorem, ut Puellæ ad dotale subsidium eligendæ in decimo quarto ætatis anno essent constitutæ, sed filiam Petri Lotrecchi vix excedere annum duodecimum, atque idcirco contendit, non solum a prælatione, sed etiam a concursu fore ejiciendam.

Contra vero Lotrecchius affirmat ad I dubium, petitionem Francisci Antonii Magini apertè adversari menti Testatoris, qui subrogationem familiæ coercere voluit ad solum casum extinctionis alicujus ex familiis ab ipso nominatis, cum de jure substitutiones extensionem non admittant. *Leg. Si quis ita §. penultimo ff. de Testibus, Natta consil. 551. num. 25., Rot. in annotat. ad decis. 320. num. 8. part. 9. tom. 2. Recent.*. Maxime quia Testator usus fuit dictionibus = *sudette* = *sovranominate* = quæ coercitionem important ad casum deficientiæ alicujus ex familiis in Testamento nominatis, *Rot. decis. 23. num. 4. part. 11. Recent.*. Nec obesse, quod Testator suæ voluntatis executionem quoad subsidii dotalis præstationem perpetuo adimpleri mandaverit, cum perpetuitas intelligenda sit juxta subjectam materiam, & adhęsivè ad ea, quæ disposita ab ipso fuerant. *Leg. Et in perpetuum ff. de Procurator., Card. de Luca de Legat. discurs. 33. num. 4.*

Advertit insuper, Testatorem per institutionem dotalis subsidii primario respexisse commodum, & utilitatem Familiarum, quas ipse nominavit. Hanc autem prædilectionem vel frustraneam omnino reddi, vel admodum dubium, ac perdifficilem illius effectum, si post sequutam Familiarum subrogationem, aliæ denuo in earum locum subrogentur, tam

cum contingere possit, ut Familiæ secundo loco substitutæ obPuellarum copiam præferantur aliis primo loco contemplatis, iisque dotis consequutionem præpediant, quod Testatoris dispositionem infringeret. *Rot. coram Dunoz. Junior. decis.699.num.*17., *& coram Caprara decis.*147.*num.*7.

Ad II. asserit, familiam Lotrecchi primo loco fuisse a Testatore nominatam, ac propterea præ cæteris aliis familiis magis dilectam; Hinc infert, congruum esse, ut Puella ex ea familia natu major, & quæ ad requisitam ætatem quatuordecim annorum jam pervenit, in assecutione dotalis subsidii præferatur. *Leg. Quoties in princip. ff. de usufruct.*, *& Leg. Si Dominus* 22. *de iis, qui sunt sui, vel alien. juris*. Addit, juxta Testatoris præceptum dotale subsidium tribui debere Puellis natu majoribus, & descendentibus a Familiis ab ipso nominatis, etiam ad exclusionem aliarum Puellarum natu minorum, quamvis a Famìliis nominatis descenderent, atque idcirco potiori jure prælationem tribuendam esse Puellæ natu majori familiæ Lotrecchi, exclusis penitus Puellis de familia Magini, quatenus hæc subrogationem assequatur. Nec obesse sortis periculum a Testatore demandatum, cum id locum habeat in concursu aliarum Puellarum, quæ polleant requisitis a Testatore præscriptis. Has autem omnino deficere dicit, cum familia Bossi, quæ tantùm habet Puellam subsidii capacem, subrogata fuerit familiæ Manzoni, & tribus jam vicibus dotis legato potita fuerit.

Ex alia vero parte, qui pro Capitulo Cathedralis causam agunt, contendunt ad I., non esse locum subrogationi familiæ Magini in defectum familiæ Angelini, quia dotale subsidium ab Andrea Borgogna institutum relictum fuit per modum legati, non vero fideicommissi, proindeque non sufficere tacitam vocationem, sed expressam omnino requiri *ad Text. in Leg. si alii in fin. ff. de usufruct. legat.*, *Nigr. de nominat. lib.*2. *cap.*7. *num.*15., *Rot.decis.*30.*num.*16. *part.*12. *Recent.*. Expressam verò vocationem non solùm deficere sustinent, sed insuper affirmant, demandatam Familiarum subrogationem coercitam esse ad casum deficientiæ alicujus ex familiis ab ipso nominatis, idque ex eo patere, quod Testator, dum de subrogatione egit, adhibuit dictionem = *sudette* = quæ restrictionem importat, & solùm ad personas superius nominatas referri debet, *Fusar. de substitut.quæst* 679.*num.*8., *Rot.coram Bichio decis.*297. *num.* 21.

Fortius, quia subrogatio novæ Familiæ demandata non fuit *toties quoties* aliqua ex familiis jam subrogatis defecisset, sed *toties quoties* extincta fuisset aliqua ex familiis superius ab eo nominatis, ultra quem casum novæ subrogationi locum non esse asserunt *Bartol. in Leg.Liberis.* §. *Hæc verba in fin. de vulgar.*, *& pupillar. substit.*, *Rot. in nuperr. decis.*105.

cis. 105. *num.* 18. *tom.* 6.. Cum prætertim Testator Familiarum subrogationem adjecerit postquam paulo ante in sua dispositione mentionem fecerat tum de familiis nominatis, tum de aliis deinceps subrogandis. Nec obesse volitam futuris temporibus perpetuò suæ voluntatis executionem, cum hoc non obstante subrogatio ultra casum expressum protrahi non debeat, *Barbos. dict.* 163. *num.* 3., *& dict.* 154. *num.* 1., *De Nigris de Nomin. lib.* 2. *quæst.* 16. *num.* 21.

Præterea advertunt, quod licet Testator alia plura legata reliquerit, nihilominus præcepit, ut si quid ex hæreditariis reditibus superesset, id omne pro medietate in Æde Sacra deponeretur, ut citius dotis cumulus conficeretur, residuum verò in celebrationem Missarum erogaretur. Hinc arguunt, inutilem omnino futuram institutionem hæredis favore Capituli, nisi spes aliqua saltem eidem effulgeret assequendi fructus hæreditatis post extinctionem Familiarum, quæ ad dotale subsidium sunt vocatæ. Et hanc circumstantiam tanti ponderis esse dicunt, ut ex ea resultare existiment, demandatam tantummodo fuisse subrogationem in locum Familiarum, quæ ab ipso fuerunt expresè nominatæ, alias elusoria fuisset hæredis institutio *Polit. dissert. select. tom.* 5. *tit. de Miscell. dissert.* 11. *num.* 40., *Rot. in* N*uperrim. decis.* 213. *num.* 11. *tom.* 7.

Inquiunt ad II. Testatorem ad assequutionem dotalis subsidii septem Familias elegisse, & Puellarum nomina ex iis descendentium indistinctè sorti exponere voluisse. Denegandam proinde prælationem familiæ Lotrecchi contra expressam Testatoris voluntatem *Rot. dec.* 662. *num.* 4. *par.* 1., *& dec.* 138. *num.* 7. *part.* 17. *Recent.*. Nec relevare, quod familia Lotrecchi fuerit primo loco nominata, cum argumentum ex ordine scripturæ desumptum parvi faciendum sit *Card. de Luca de Legat. disc.* 14. *num.* 10. *&* 11., maximè quando omnes familias indistinctè contemplavit, omnesque Puellas sortis periculum subire præcepit *Leg. Cum Pater §. Fidei suæ ff. de Legat.*, *Mantic. de conject. lib.* 6. *tit.* 13. *num.* 12.

Episcopus super hac controversia requisitus censet, non esse locum subrogationi in locum familiæ Angelini, quæ uni ex familiis nominatis subrogata fuerat, cum Testator alterius familiæ subrogationem non aliter demandaverit, quàm in casu deficientiæ alicujus ex familiis expresè ab eo contemplatis. Quo verò ad Petrum Lotrecchi refert, hunc tribus filiabus gravatum reperiri, nec unquam subsidium dotale fuisse assequutum. Advertit, familiam Bossi tribus jam vicibus dotis compendio potitam fuisse, & unicam in ea adesse filiam ejusdem subsidii capacem: in aliis verò Familiis nullam adesse Puellam, quæ ad hujusmodi dotale subsidium adspirare valeat: hinc putat, præ-

prælationem Puellæ de Familia Lotrecchi fore indulgendam, maxime quia Teſtator illam primo loco nominavit, eamque idcirco prædilexiſſe videtur.

Tota præſentis Cauſæ inſpectio ex Teſtamento pendet. Mandavit Andreas Borgogna, ut deficientibus Familiis ab ipſo nominatis, aliæ ſubrogarentur = *e ciò ſi faccia tante volte, quante ſuccederà il caſo della mancanza di una di dette Famiglie da me ſunnominate*. Ponderandum itaque, an hæc poſteriora verba præſeferant tantùm ſubrogationem demandatam in caſu extinctionis alicujus ex familiis nominatis, ſeu potius trahi debeant etiam ad caſum ſubrogationis volitæ in defectum Familiarum, quæ ſubrogatæ fuiſſent. Nec ſunt prætereunda poſteriora verba, quæ Teſtator addidit, nempe = *Volendo, che la preſente mia diſpoſizione abbia luogo in perpetuo ſenza veruna alterazione, o diminuzione, perchè così, e non altrimenti*. Videndum, an ex hujuſmodi expreſſione legati perpetuitas deſumi valeat; quod tamen mordicus impugnat Capitulum, dum ſuſtinet, legatum fieri debere caducum, ut hæreditatis compendio aliquando frui poſſit.

De familia Lotrecchi, quæ prælationem ad ſubſidium dotale efflagitat, ex quo primo loco in Teſtamento fuerit nominata, viderint EE.PP., an ex ordine tantùm ſcripturæ, ſeu ex aliis etiam rationibus hujuſmodi prælatio ſit indulgenda. Sane ex *Textu in Leg. Cum Pater §. Fidei ſuæ ff. de legatis* habetur, quod *ordo ſcripturæ non impedit caſum juris, & voluntatis*.

Dijudicandum proinde erit

I. *An Familiæ Burgundiæ nuncupatæ novas Familias ſubrogare teneantur, quoties aliqua ex Familiis ſubrogatis deficiat, in caſu &c.*

II. *An Familiæ Lotrecchi primo nominatæ in Teſtamento bon. mem. Andreæ Borgogna ſit concedenda prælatio in conſequutione ſubſidii dotalis, in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè. Ad II. Negativè, & amplius.

ADRIEN.

Sess. 21. cap. 4. de Reform.

ADRIEN. PAROCHIALIS. Inter Padum flumen, quod *Pò grande* vulgò dicitur, seu *Pò di Lombardia*, & ejus rivum, seu ramum, qui Padus *Ariani*, aut *di Gorro* appellàtur, sitæ sunt Villa S. Mariæ del Traghetto, & Terra Ariani, quarum una finitima est loco, ubi Padus ramum efformat, altera verò remotior, & mari proximior. In ea parte Padi, quæ vocatur *di Ariano*, seu *di Gorro* extat Villa Seravallis, cujus Habitatores profecturi sive ad Villam S. Mariæ, sive ad Matricem Ecclesiam Ariani transfretare debent Padum *di Ariano*. Distantia utriusque Villæ S. Mariæ, & Seravallis Habitatores impulit, ut anno 1627. a tunc temporis Episcopo Adriensi peterent sibi assignari in subsidium Parochialis Oratorium S. Mariæ del Traghetto, prout revera obtinuerunt, cum onere, quod ab Habitatoribus assumptum asseritur, persolvendi quamdam primitiam pro sustentatione Capellani Curati, qui Sacramenta administraret.

Hodiernus verò Episcopus Adrien. dum anno 1771. Pastoralem ageret visitationem, ad preces Populi Villæ S. Mariæ dictum Oratorium in veram Parochialem erexit, servata tamen matricitate Ecclesiæ Ariani, ac reservatis hodierno Ecclesiæ Matricis Archipræsbytero quousque viveret omnibus emolumentis, atque proventibus, quos ex dicta Ecclesia S. Mariæ percipere consueverat. Hujusmodi novæ Parochiæ erectionem ægré tulerunt Archipræsbyter Terræ Ariani, nec non Comes Cajetanus Gilioli, & Populus Seravallis, qui omnes de illius nullitate conquesti sunt, super qua modo præsens controversia instituitur.

Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis Adrien., necnon novus Parochus Villæ S. Mariæ *del Traghetto* duo præmittunt, primum scilicet, ad sustinendam dismembrationem Ecclesiæ Parochialis alterutram ex his causis sufficere, nempe aut distantiam Locorum, aut magnum incommodum Parochianorum accedendi ad Ecclesiam Parochialem *Concil. Trid. sess.* 21. *cap.*4. *de reformat.*, *Fagnan. in Cap. ad Audientiam de Ecclesiis ædificand. num.* 19., *Pignatell. consult. can.*230. *num.*9. *tom.*4.; Nec opus esse, ut iter, & viam tam aspera, ardua, vel impervia sit, ut sine vitæ discrimine, aut sine magna difficultate haberi nequeat accessus ad Parochialem Ecclesiam, sed sufficere magnum incommodum ad illam accedendi *Fagnan. ibid. num.*1. & 2., *Pignatell. ibid. num.*4. *in fin.*, & hanc fuisse S. hujus Congregationis sententiam, de qua plura prostant exempla.

His præmissis contendunt, utramque causam copulative concurrere in hodierna quæstione, *distantiam* nimirum, cum Locus Seravallis quinque milliariis distet a Terra Ariani, *itineris* etiam *difficultatem*, cum necessaria si transf-

transfretatio fluminis Padi, quæ hyberno præsertim tempore difficilis redditur propter aquarum intumescentium redundantiam. Animadvertunt præterea, transfretationem Padi necessariam quidem esse Seravallensibus etiam ut pergant ad novam Parochiam S. Mariæ; sed affirmant, longe minorem esse distantiam, cum Villa Sanctæ Mariæ distet a Villa, & Oratorio Seravallis minus quam duo milliaria. Observant insuper, Populum Seravallis ab anno usque 1627. recursum habuisse ad Episcopum tunc temporis Adriensem, eique relatis periculis, & incommodis necessario subeundis, ut accederet ad Parochiam Ariani, postulasse, & obtinuisse, sibi destinari in subsidium Curæ Oratorium S. Mariæ *del Traghetto*, oblata pro manutentione Capellani Curati præstatione cujusdam primitiæ, quam pacifice semper rependidit. Hinc inferunt, perperam modo Seravallenses obiicere, Oratorium S. Mariæ esse ipsis æquæ incommodum, & periculosum, cum præsertim hodiernus Episcopus, ut magis consuleret Seravallensium saluti decreverit, in Oratorio Seravallis SSmam Eucharistiam semper retineri administrandam a Capellano ibidem residente per modum Viatici Infirmis tempore nocturno, & in majoribus Padi inundationibus.

Ajunt, perperam obiici dissensum Archipresbyteri Parochialis Ecclesiæ Ariani. Nam primò regerunt dismembrationem Parochiæ, justis concurrentibus causis, juxta Concilii Tridentini dispositionem fieri posse *etiam invitis Rectoribus*. Contendunt deinde dictum Archipresbyterum suum præstitisse consensum quando die 8. Junii anni 1771., facta sibi reservatione ad vitam singulorum emolumentorum, necnon præeminentiarum Ecclesiæ Matricis Terræ Ariani, novæ Parochiæ institutionem in Ecclesia Sanctæ Mariæ perficiendam admisit, & emologavit per publicum instrumentum, ac rursus consensisse in actu formalis erectionis eodem mense & anno practæ in ipsa Terra Ariani, ubi degit Archipresbyter, & in decursu Sacræ Visitationis ibidem actæ; & tandem imposterum etiam consensum præstitisse, cum pænitentia ductus eorum omnium, quæ adversus novam erectionem inconsulto patraverat, ejusdem erectionis justitiam admisit, pænarum, in quas inciderat, veniam petiit, & sub juramento mandatis Episcopi perpetuò acquiescere promisit. Sustinent proinde, nihili faciendam esse præsentem illius contradictionem, quæ ad inconstantiam, & levitatem, seu verius ad decrepitam senectutem referri debet.

Quo vero ad novæ collectæ gravamen, de quo Seravallenses conqueruntur, asserunt, hanc sponte oblatam fuisse, & impositam solis habitatoribus Castri S. Mariæ *del Traghetto*; Seravallensibus autem unice remansisse

 an-

antiquum onus primitiæ Sacramentalis, ad quam sese obstrinxerant Majores anno 1627., quando, ipsis rogantibus, Oratorium S. Mariæ destinatum fuit pro administratione Curæ auxiliaris. Demum ad dissensum quod attinet Comitis Gilioli animadvertunt, eum nullam in Castro Seravallis obtinere temporalem jurisdictionem, sed totam jurisdictionem esse apud Eminentissimum Legatum Ferrariæ, qui seligit Loci Prætorem, in omnibus sibi plenissime subjectum; Oratorium vero Loci Seravallis esse de jurepatronatu Laicali, & spectare ad Familiam Marchionum de Bevilacqua, quibus jus competit præsentandi Abbatem.

Altera verò pars præmittit, vetitam esse dismembrationem, & divisionem beneficiorum *Cap.8. de Præbend.*, *&* *Dignit.*, nec ad eam, justa urgente causa, deveniri posse, nisi adhibitis sollemnitatibus in alienatione bonorum Ecclesiæ præscriptis *Garz. de Benef. par.12. cap.3. n.3.*, *Rot. dec.288.n.1.part.2. rec.*. Sollemnitates hujusmodi esse, citationem Rectoris Ecclesiæ, cujus bona dismembrantur *Sperell. decis. for. Eccles. 554. num. 24.*, *&* *25.*, *Fagnan. in Cap. Ad Audientiam il 1. de Eccles. ædificand. nu.29.* consensum ejusdem Rectoris *Cap. 1. de Eccles. non alien. num.6.*, *Pignatell. consul.230. tom.4. num.18.*, citationem interesse habentium *Fagnan. in d. cap. Ad Audieneiam de Eccles. ædif. num.30.* *Pignatell. loc. cit.*; consensum Capituli Cathedralis Ecclesiæ *ad Text. in Cap. Cum Nos*, *&* *Cap. Cum Pastorales de his quæ fiunt a Prælatis*, *Fargn. de Iurepatr. part.1. Cap.4. Can.4. num.7.*, & compilationem Processus *Rot. decis. 224. part.10. recent. num.35. & seqq.*

Contendit, has omnes sollemnitates omissas fuisse in erectione novæ Parochiæ. Ait nempe, defuisse citationem, & consensum Archipresbyteri Parochialis Ecclesiæ Ariani, nec ullam habendam esse rationem assertionis Episcopi, qui illum interfuisse affirmat *Rot. decis. 1062. n.1. coram Seraphino*; Addit insuper, illius consensum *expost* non accessisse, quia idem Archipresbyter una cum Seravallensibus mandatum Procuræ solemniter dedit ad dissentiendum *Rot. decis.569. la 1. coram Pamphil. num.3.*, & quamvis *expost* accessisset, sustinet nihilominus per posteriorem consensum ratam haberi non potuisse dismembrationem sua ex indole nullam ob omissam præviam citationem pro forma requisitam.

Negat præterea, adfuisse consensum Comitis Cajetani Gilioli, cujus familia Comitatu Seravallensi *cum mero*, *&* *mixto imperio, ac Vassallagiis*, *&* *homagiis* donata fuit a sa. mem. Martino V. per Litteras Apostolicas, quas postea Eugenius IV. per alias Litteras Apostolicas sub datum 7. Septembris 1341. confirmavit. Defuisse pariter consensum Populi Seravallensis, & Capituli Ecclesiæ Cathedralis.

De

De consensu Seravallensium observat, inani prorsus conatu obiici actum ann. 1627., cum gestus fuerit ab aliquibus tantum rusticanis, qui convenientes in privata domo existente in loco S. Mariæ *dal Traghetto*, abusi sunt nomine Universitatis Seravallis. Cæterùm animadvertit, nullimodè actum tunc fuisse de dismembratione, sed tantum de Primitia, quæ nunquam soluta fuit, & a cujus deinde solutione per rem judicatam Seravallenses immunes fuerunt renunciati. Ex defectu itaque sollemnitatum concludit, nullam, & irritam esse novæ Parochiæ erectionem.

Idem evincere conatur ex defectu *justæ causæ* deveniendi ad hanc dismembrationem Parochiæ. Ponderat enim, non quamcumque distantiam satis esse ad novæ Parochiæ erectionem, sed eam requiri, quæ nimis incommodum, & difficilem reddat accessum ad Parochialem *Cap. Ad Audientiam il* I. *De Eccles. ædif.*, *Concil. Trid. sess.* 21. *cap.* 4. *de Reform.*, *Barbos. in loc. cit. Concil. num.* 11., *Fargn. de Jurepatr. part.* 1. *can.* 4. *cap.* 4. *sub num.* 2., *Rot. decis.* 484. *n.* 2. *&* 3. *part.* 1. *recent.*. Contendit, talem non esse distantiam inter Parochialem Ariani, & locum S. Mariæ *del Traghetto*, tum quia extensio totius Villæ Sanctæ Mariç in ea parte, quæ longior est, & magis a Parochiali Arianensi distans, non excedit tria milliaria, tum etiam quia iter est satis commodum, nullisque aquis interjectum.

Advertit præterea, quod etiamsì magna adesset itineris difficultas, deveniri nihilominus non potuisset ad prædictam dismembrationem ab antiqua Parochia, quoties Parochianorum necessitati alio modo occurri potest *Barbos. in d. Cap. Ad Audientiam num.* 2., *& in adnot. ad cap.* 4. *Conc. Trident. sess.* 21. *de reform. num.* 10., *Fargn. de Jurepatr. part.* 1. *Can.* 41. *cap.* 4. *num.* 7.. Satis autem putat provisum necessitatibus Populi per Capellanum jam constitutum in Oratorio S. Mariæ, ac proindè clamores Populi Loci S. Mariæ non necessitati, sed inani gloriæ tribuendos *Card. de Luca de Paroch. disc.* 34. *num.* 5.; cum præsertim dictus Populus S. Mariæ, nunquam superioribus temporibus conquestus fuerit de magna distantia, nec unquam erectionem novæ Parochiæ cogitaverit; nec Episcopus Adrien. posset demonstrare necessitatem dismembrationis, quæ ex legali tantum Processu erui deberet *Fargn. de Jurepatr. part.* 1. *Can.* 4. *Cas.* 4. *num.* 4. *Pignatel. Consult.* 230. *num.* 18. *tom.* 4., *Rot. decis.* 224. *num.* 7. *part.* 10. *recent.*

Insuper urget, nullam aut necessitatem, aut utililatem adfuisse uniendi novæ Parochiæ S. Mariæ Populum Seravallis, cum etiam post hanc unionem opus fuerit deputare Vicarium Curatum in Oratorio ejusdem Loci, qui animarum necessitati præsto sit. Intollerabilem insuper, ac perdifficilem Populo Seravallensi factum fuisse accessum ad novam Parochiam, quia eidem Populo brevior est, & se-

curior transitus fluminis Padi ad petendam Ariani Parochiam, quam novam S. Mariæ. Hinc concludit, urgentiorem fortasse adfuisse rationem erigendi in Parochiam Oratorium Villæ Seravallis, cum omnia verificentur, quæ ad hoc requiruntur *in cit. Cap. Ad Audientiam de Eccles. ædific.*; latior scilicet ambitus Villæ Seravallis, qui per gyrum inspectus implet plusquam decem millaria; ac præterea eadem Villa Seravallis longius distet ab Ecclesia Matrice Arianensi, & frequentiorem numeret Populum, nempe 515. habitantes, ac demum Populo Seravallensi necessarius sit transitus fluminis, non autem Populo S. Mariæ.

Omnibus notissima est celebris illa Decretalis Epistola Alexandri Papæ III. in *Cap. Ad audientiam 3. De Ecclesiis ædificand.* quæ ita se habet: *Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod Villa, quæ dicitur N. tantum perhibetur ab Ecclesia Parochiali distare, ut tempore hyemali, cum pluviæ inundant, non possint Parochiani sine magna difficultate ipsam adire, unde non valeant congruo tempore Ecclesiasticis officiis interesse. Quia igitur dicta Ecclesia ita dicitur reditibus abundare, quod præter illius Villæ proventus minister illius convenienter valeat sustentationem habere, mandamus, quatenus si res ita se habet, Ecclesiam ibi ædifices, & in ea Sacerdotem sublato appellationis obstaculo ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris, cum canonico Fundatoris assensu instituas, ad sustentationem suam ejusdem villæ obventiones Ecclesiasticas percepturum; providens tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci matrici Ecclesiæ servetur... Si vero persona matricis Ecclesiæ virum idoneum præsentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire, Tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, & virum bonum appellationis cessante diffugio instituere non omittas.*

Concilium Trident. *sess. 21. cap. 4. de reform.* hanc Alexandri III. Constitutionem ratam habuit, & adprobavit, decernens: *In iis* (Ecclesiis Parochialibus) *in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani, sine magno incomodo ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invictis Rectoribus, juxta formam Constitutionis Alexandri* III., *quæ incipit* Ad Audientiam, *constituere possint*. De hoc Concilii Tridentini decreto animadvertunt Doctores complures, inter quos Fagnanus *in cit. Cap. Ad Audientiam num. 19.*, illud alternativè conceptum deprehendi, videlicet *ob Locorum distantiam, sive difficultatem*. Ex quo inferunt ad novæ Parochiæ erectionem sufficere distantiam Loci sine difficultate; & vice versa difficultatem sine distantia. Qualis autem esse debeat hujusmodi distantia, vel difficilis accessus, minimè definitum noscitur, ac propterea id totum pendere ab Ordinarii arbitrio, & prudentia, docent *Menoch. de arbitr. cap. 497. num. 4.*, *Costa de remed. subsid. remed. 75.*

num. 4.;

num.4., *Ricc. in Praxi resolut.* 476. *num.5.*, *Pax. Jordan. elucubrat. can. tom.3. lib.10. tit.31. num.5.*

Præter justam causam dismembrandi veterem Parochiam, necessariæ quoque sunt præscriptæ a jure sollemnitates, de quibus passim actum est in hac Sac. Congregatione, ut liquet apud *Fagnanum in d. Cap. Ad Audientiam De Ecclesiis ædificand.*. Hinc tota præsentis causæ inspectio in his duobus pendet, ut scilicet dignoscatur, an justæ adfuerint causæ deveniendi ad veteris Parochiæ dismembrationem, ac novæ erectionem, & an servatæ fuerint sollemnitates a jure requisitæ. Hæc itaque postquam assueta maturitate perpenderint, definient EE. PP.

An dismembratio, & respectivè erectio novæ Parochiæ sustineatur in casu &c.

Non proposita, cum aliis.

ALEXANDRINA MISSÆ CONVENTUALIS. Anno 1520. Julius Cardinalis Medices postea Summus Pontifex renunciatus nomine Clementis VII., Apostolica auctoritate suppressit Monasterium Ordinis S. Benedicti situm in ea Civitatis Alexandrinæ parte, quæ *Burgolium* vocabatur, ejusque reditus convertit in erectionem Collegiatæ in Ecclesia Divo Petro Apostolorum Principi dicata, eidemque Collegiatæ nonnulla etiam Beneficia partim liberæ collationis, partim jurispatronatus Laicorum applicavit.

Sess. 22. decret. de observ., & evit. in celebr. Miss.

Præter Abbatem, cui jurisdictionem temporalem super Clerum, & Populum tribuit, quatuor in ea constituit Dignitates, & octo Canonicatus, quatuor scilicet Præsbyterales, binos verò Diaconales, totidemque subdiaconales, cumque Præbendæ non essent sufficientibus reditibus ditatæ, idcircò illarum Patronatum obtulit quibusdam Familiis, quæ earum dotem, & proventus pro triente saltem augerent.

Postea verò jussu sa. mem. Benedicti XIII. Collegiatæ Abbatia Mensæ Episcopali Alexandrinæ unita fuit, idque accidit anno 1728., quo tempore Capitulum relicta veteri Ecclesia Divi Petri, ad alteram S. Dalmatii se contulit, atque exinde Collegiata SS. Petri, & Dalmatii appellari cœpit. Decursu tamen temporis ob redituum decrementum necesse fuit numerum tam Dignitatum, quam Canonicorum imminuere, sed anno 1744. binis additis Dignitatibus, & quatuor Canonicatibus, defectus suppletus remansit, ita ut hodie Capitulum ex quinque Dignitatibus, & novem Canonicatibus constituatur.

Nonnulla pro Capituli regimine in ipsa erectione statuta fuerunt, atque inter cætera onus canendi Missam Conventua-

tualem pro majori anni parte Dignitatibus injunctum, & pro aliquot ferialibus diebus Canonicis Præsbyteris. Verùm hujusmodi methodus circa finem præteriti Sæculi immutata asseritur, atque deinceps præfinitum, ut Dignitates per turnum singulis diebus de præcepto, & sex Canonici, statuta quisque die per hebdomadam Missam canerent. At quoniam juxta hanc methodum onus canendi Missam non omnes æque subibant, idcircò in Capitularibus Comitiis anni 1764. decretum fuit, ut singuli Capitulares in Conventuali Sacro canendo hebdomadam agerent. Missa taman Conventualis nunquam pro Benefactoribus in genere fuerat applicata; quod quidem statim ac Episcopo innotuit, non destitit tum per Synodales Constitutiones, tum per decreta Visitationum pluries Capitulum monere, ut illam ad formam Benedictinæ Constitutionis pro Benefactoribus applicaret. Episcopi monitis, & conscientiæ stimulis excitati Capitulares, preces exhibent, quibus postulant, ut ab hoc onere declarentur immunes, vel saltem ad solos dies festos coerceatur, & quoad præteritum absolutio benigne impertiatur.

Quoad I. allegant immemorabilem consuetudinem non applicandi, eamque resultare dicunt ex Libris onerum Missarum, in quibus applicatio nunquam adnotata deprehenditur. Hanc autem consuetudinem consonam esse Statutis, & Constitutionibus Capitularibus, cum in fundatione Collegiatæ injuncta quidem fuerit celebratio Missæ Conventualis, nulla tamen facta mentione de illius applicatione. Quare adigi non posse putant ad satisfactionem oneris, quod in fundatione Collegiatæ injunctum non fuit, *cap. super quibusdam de verb. signif.*, *Piton. discept. 61. num. 27.*, *&* 29.

In omnem verò casum supplicant in II. dubio, ut illud ad solos dies festos coerceatur, cum Capitularium Præbendæ annua scuta 25. non excedant, ac nonnullæ etiam minorem reddant fructum, & aliis Missarum oneribus gravatæ sint. Affirmant præterea, valde exiguas esse quotidianas distributiones, nam detractis Anniversariis, aliarumque Missarum elæemosinis, vix supersunt annua scuta 188., quæ tamen summa inter quatuordecim Capitulares partienda, sæpissimè magna ex parte erogari debet in restaurationem Fabricæ Ecclesiæ, vel sacrorum utensilium comparationem, pro quibus nulli peculiares reditus sunt destinati. His ergo concurrentibus circumstantiis reductioni indulgere consuevisse ajunt Sac. Congregationem in *Veliterna 14 Martii 1722. ad III. Dub.*, *in Spoletana 23. Maii ejusdem anni*, *& in Camerinen Missæ Conventualis 4. Junii 1760.*

Episcopus comprobata facti serie refert, Oratorum Præbendas exiguo reditu ditatas esse, & plurium Missarum satisfactio-

re

ne sive distributivè, sivè collectivè gravatas. Testatur præterea, non levem pecuniarum summam fuisse impensam pro constructione novæ Ecclesiæ, Turris Campanariæ, & Cæmeterii, & pro Suppellectilium comparatione. Commendat Capitularium diligentiam in recitandis horis Canonicis, aliisque peragendis, quæ propria munia respiciunt, ac demum votum suum aperiens ait = *Ego vero, ut quod sentit mea tenuitas promam, non equidem prorsus ab onere prædictam applicandi Missam liberandos Oratores censerem, sed habita narratorum omnium ratione, ac potissimum Missarum plusquam sexaginta partim votivarum, partim de requie, quæ jam canuntur, ac plerumque exiguo, nullove emolumento, atque etiam tot Missarum lectarum, ut superius dictum est, moderationem eos ab Apostolica benignitate mereri, ut nimirum festis tantum diebus de præcepto Conventualem Missam applicare teneantur, saltem donec Benefactorum pietate Domino benedicente eo usque reditus Capituli Oratoris augeantur, ut Alexandrini pro tempore Episcopi judicio, quotidiano ejusmodi ferendo oneri pares evaserint.*

Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum onus inhæret non solum canendi in Choro horas Canonicas, sed etiam Missam Conventualem quotidie celebrandi, prout statuit Honorius III. in *in Cap. Cum Creatura de celebr. Miss.*, ubi omnibus Ecclesiarum Prælatis laudabilis hujusce disciplinæ observantiam his verbis injungit = *Quidam in Cathedralibus, & Conventualibus Ecclesiis prætextu Missæ semel in die pro Anniversario celebrandæ, Sacra Missarum solemnia, quæ ratione diei, vel Festi solent solemniter celebrari culpabili negligentia prætermittunt, quasi non sint obligati Domino, & quasi Dominus forte pro tantis obsequiis non sufficeret eis æqua vicissitudine respondere. . . . . Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus & pro Anniversariis Defunctorum, & pro Festo, vel Feria secundum temporum congruentiam Missarum solemnia, conventualiter celebretis.*

Hujusmodi verò oneri nullimodè adimpletur per solam Missæ Conventualis celebrationem, sed requiritur etiam applicatio pro Benefactoribus in genere, ut declaravit Sac. Congregatio in *Squillacen.* 17. *Martii*, *in Camerinen.* 9. *Junii* 1714., *in Ferrarien.* 18. *Martii* 1719., *& in Comen.* 11. *Maii* 1720., & sa. mem. Benedictus XIV. in celebri Constitutione *Cum semper oblatas* anni 1754., nedum resolutiones ab hac Sac. Congregatione æditas Apostolica auctoritate roboravit, sed insuper declaravit, *ut Missa Conventualis, quæ singulis diebus canitur a Clero prædictarum Ecclesiarum* (scilicet Cathedralium, & Collegiatarum) *pro earumdem Benefactoribus in genere quotidie applicetur eodem prorsus modo, quo Missam Parochialem ab iis, qui Curam Animarum gerunt pro Populo sibi commisso singulis saltem diebus festis de præcepto applicari debere superius declaravimus.*

Ab

Ab hoc tamen onere eximuntur Ecclesiæ, seu Presbyterorum consortia, quæ verè, ac propriè Collegiatæ non sunt, & Apostolica carent institutione, quemadmodum observat laudatus Pontifex Benedictus XIV. *instit.* 107. §. 2. *num.* 15. ubi ait = *Hoc tamen præcepto* (applicandi videlicet Missam Conventualem) *neminem unquam Ecclesia fecit immunem, ac liberum, nisi cum apertissimè manifestum fuit, aliquam Ecclesiam haud recenseri inter Collegiatas, sed ut ajunt inter receptitias, aut Communales, quamvis in ipsa horæ Canonicæ quotidie persolvantur, & Missa cum cantu habeatur* = Et rursus in Tract. *de Sacrif. Missæ lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 3. hæc habet = *Ab hoc autem onere applicandi quotidie Missam Conventualem eæ tantum Ecclesiæ immunes sunt, in quibus non omnia concurrunt, quæ Collegiatam constituunt, quamvis, & divina officia quotidie celebrentur, & Missa cantetur*. Idque etiam sensit Sac. Congregatio in *Montis Falisci* 12. *Februarii* 1718., *in Nullius. Trium Fontium Missæ Conventualis* 4. *Aprilis* 1772., *ac in Terracinen.*, & *Privernen.* 12. *Novembris ejusdem anni*.

Certum est, Ecclesiam Collegiatam SS. Petri, & Dalmatii auctoritate Apostolica fuisse institutam, id enim apertissimè evincit actus fundationis jussu fa. mem. Leonis X. a Cardinali Medices expletus: Diiudicandum ergo, an saltem Capitulares exempti sint ab onere applicandi Missam Conventualem, vel quia illam de præterito nunquam applicaverint, vel quia in Bulla erectionis solum de celebratione Missæ, non autem de applicatione mentio habeatur. Ad primum præstat animadvertere, quæ in citata Constitutione *Cum semper oblatas* tradit laudatus Pontifex Benedictus XIV. = *Nonnulli siquidem obtentu contrariæ consuetudinis etiam immemorabilis in propria Ecclesia vigentis se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verùm jam pluries responsum fuit hujusmodi consuetudinem licet immemorabilem, quæ potius abusus, & corruptela dicenda est, nemini suffragari*.

Quò verò ad alterum *Monacellus in supplement. ad tom.* 1. *formul. for. Eccles. num.* 239. hæc habet = *Quando ex Lege, & Statuto fundationis constat de qualitate, & quantitate, servitii Ecclesiæ, de numero Missarum, & horarum, celebrandarum a Fundatoribus, & Benefactoribus præscripto, ex eo quia conditiones, quas voluerunt etiam juri communi contrarias apponere potuerunt . . ., cessat dispositio juris communis, & interpretandi ratio, & lex fundationis ad unguem servanda est*: Verùm hujusmodi opinio non arridet Pignattello, qui in *consult.* 321. *tom.* 1. existimat, Canonicos Cathedralium, & Collegiatarum obstrictos onere celebrandi Missam Conventualem, teneri ad illius applicationem in suffragium Benefactorum, etiamsi in erectione nullum verbum habitum fuerit de Sacrificii applicatione pro Benefactoribus. Et coheret *Vrsaya discept.* 32. *num.* 7. *tom.* 2. *tract.* 1., & Sac.

& Sac. Congregatio in *Alexandrina* 26. *Aprilis* 1653. *lib.* 19. *decret. pag.* 342., atque in *Burgi S. Donnini Missæ Conventualis*, in qua cum Episcopus occasione S. Visitationis iniunxisset Canonicis Ecclesiæ Cathedralis applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, conquesti sunt Canonici apud Sac. Congregationem, eo quia in fundatione onus tantummodò celebrationis, non autem applicationis impositum fuerit, propositoque hac de re die 16. *Maii* 1716. dubio = *An sit onus Capituli Ecclesiæ Cathedralis quotidiè applicatio Missæ Conventualis in casu &c.* = responsum fuit *Affirmativè* = *lib.* 66. *decret. pag.* 223.

Verùm si Canonicorum Præbendæ vel plurium Missarum oneribus gravatæ reperiantur, vel congruis non sint ditatæ reditibus, indulsit laudatus Pontifex Benedictus XIV., ut reductio oneris Missę Conventualis ab hac Sac. Congregatione efflagitari posset, *cujus erit perspecto . . . rerum statu, auctoritate Apostolica a Prædecessoribus* Nostris *eidem impertita, & a Nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere ad festos tantummodò dies reducere*, sunt verba sæpius memoratæ Constitutionis *Cum semper oblatas* §. *Alii*. Hinc non desunt similium reductionum exempla in *Veliterna* 14. *Martii* 1722., *in Spoletana* 23. *Julii* 1729., *in Ariminen.* 18. *Septembris* 1751., *in Alexandrina* 28. *Julii* 1770., *& in Cingulana* 8. *Augusti anni præteriti*. Habenda proindè ratio est tum de reditibus Ecclesiæ Collegiatæ SS. Petri, & Dalmatii, tum de quotidianis distributionibus, nec non de oneribus Missarum, & Anniversariorum, quibus Capitulum gravatur.

Denique quoad præteritum ponderandum an bona fide excusari valeant Capitulares, ut ex Apostolica benignitate absolutionem mereantur. Hisce ergo perpensis dijudicandum erit.

I. *An Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ SS. Petri, & Dalmatii Civitatis Alexandrinæ teneatur quotidie Missam Conventualem applicare pro Benefactoribus in genere in casu &c.*

Et quatenus affirmativé.

II. *An, & quomodo sit concedendum Indultum exemptionis ab onere applicationis Missæ Conventualis in casu &c.*

III. *An, & quomodo quoad præteritum sit providendum in casu &c.*

Sess.12, cap.6. de Reform.

ELNEN. Testamentarias tabulas exaravit anno 1629. Petrus de Montalt e Civitate Perpiniani, quibus hæredem sibi scripsit Josephum Riu ex Joanne Riu consobrino Nepotem. Huic autem substituit Didacum Riu illius Fratrem in casu, quo sine filiis decessisset, vel ejus filii immatura morte perempti obiissent prius quam ad ætatem condendi Testamentum pervenissent. Easdem quoque conditiones adjecit in substitutione Paulæ Alsinæ Montalt, ejusque filiorum, ac denique *all'ultimo dei figli, e discendenti maschi, che morisse così, come si è detto di sopra*, substituit *il Regente dell'Illustre . . . Capitolo d'Elna, il Sindico maggiore dei Canonici della Chiesa di S. Giovanni, quello della Ven. Communità di quella, e l'Illustre Signore primo Consolc dell'Università pro tempore della presente Città di Perpignano con il Signor Canonico Mas*.. His autem omnibus mandavit, ut suæ hæreditatis reditus erogarent vel in erectionem Collegii sub auspiciis Divi Thomæ Aquinatis iisdem regendum legibus,quibus regitur vetusCollegium Civitatis Leidæ, vel in alterius pii operis institutionem.

Ex descendentibus masculis familiæ de Riu tantummodo nunc superest Antonius de Montalt in septuagesimo secundo suæ ætatis anno constitutus. Hic sine liberis decessurus, penitusque defecta omnium substitutorum linea, disponere vellet etiam de bonis hæreditariis Pauli de Montalt, quæ sibi vigore demandatæ ab eo substitutionis obvenerunt; sed dubitans, an facultas sit ultimo substituto de illis pro libito disponendi, seu potius erogari debeant in erectionem Collegii, aut alterius pii operis institutionem, Sanctissimo Domino Nostro supplicavit pro eorumdem bonorum adjudicatione, cum onere persolvendi annua sc. 20. titulo eleemosinæ alicui Nosocomio applicanda. Ablegatis precibus Sac. huic Congregationi, quid super hac Oratoris petitione statuendum sit, quæritur.

Inquit Oraror, erectionem Collegii, aut alterius pii operis institutionem demandatam tantummodo fuisse in casu, quo aut substituti sine filiis masculis decessissent, aut isti præmaturè obiissent, antequam ad legitimam ætatem condendi testamentum pervenissent. Hujusmodi verò conditiones omnino defecisse sustinet, cum Orator, qui postremus est de Substitutorum familia, testandi facultate potiatur *Leg. Generaliter Cod. de instit. & substit.*, *Paris. consil. 72. num. 53. ad 64. tom. 3.*, *Rota coram Molin. dec. 124. n. 1.* Præter defectum conditionis animadvertit, hæreditaria Testatoris bona imparia esse ad Collegii, aut alterius pii operis institutionem,pro qua immanes requiruntur expensæ hæreditatis reditus longè excedentes.

Precibus assentiuntur interesse habentes, dummodo summa aureorum Parisiensium quinquaginta in eleemosinam Pauperum eroganda, pro unica vice ab Oratore persolvatur. Epi-

Episcopus in sua relatione existimat, Oratorem posse de bonis Petri Montalt pro libito disponere, quia Collegii institutio demandata fuit in casu, quo ultimus de Familia intestatus decessisset. Advertit, hæreditatis vires non suffice- re pro pii operis institutione, ac demum concludit, quod *cum Testator bonum litterarum, ac studiorum aliquo modo videatur intendisse, dictam aureorum Parisiensium quinquaginta summam meritò, sanctèque applicari posse arbitramur Elnensis Diœcesis Ordinandorum Seminario pauperi, sive pauperibus Ordinandis exercitiis Seminarii vacantibus*.

Seriò perscrutanda est Testatoris voluntas resultans ex Testamento, quod EE. VV. circumfertur. Porrò Testator instituit Josephum, substituitque primùm Didacum, postea Paulum, eorumque filios masculos, & descendentes per lineam masculinam. Nonnullas tamen adjecit conditiones, quas in unaquaque substitutione expresè declaravit, prævidítque etiam casum, quo substituti aut sine liberis decessissent, aut isti *non arrivassero all'età di far Testamento*. Unicus ex familia Testatoris superest Orator, qui Testamentum condidit, prout ipse in precibus narrat. Videndum, an post ejus obitum sit locus erectioni Collegii, vel alterius pii operis institutioni, quo casu dijudicandum, an saltem commutatio, quam expostulat, indulgeri debeat.

Quæritur

An, & quomodo Oratoris precibus sit aunuendum, in casu &c.

ALBEN. IRREGULARITATIS. Administratio Bonorum Parochialis Ecclesiæ Oppidi Rondello concredita fuerat Sacerdoti Francisco Mariæ Porta, qui Vice Parochi munus gerebat. Hic cum vidisset Josephum Bondonium in eorumdem bonorum cultura admodum negligentem, desperans illum via juridica è quadam rurali domo ejicere posse, die 7. Novembris 1766. adscitis Testibus ad eam accessit, & claves a Bondonio efflagitavit, cumque jurgia, & contentiones inter utrumque exortæ fuerint, eo res devenit, ut adstantes præ timore aufugerint, & Sacerdos Porta lethaliter vulneraverit Bondonium, qui paulo post occubuit. Curia Episcopalis in Sacerdotem homicidam inquisivit, eumque irregularem declaravit, & ad pœnam carceris per quinquennium, atque ad emendationem damnorum favore Hæredis defuncti condemnavit. Verùm post relegationem per menses sexdecim in Religiosa Domo, illum ab ulteriori pœna absolvit, præsertim quia Fisco, & Parti jamsatisfecerat.

Sess. 14. cap. 7 de Reform.

Supplex postea petiit Orator dispensationem ab irregularitate, & transmissis actis, constitit ex Processu, Bondonium fuisse a Sacerdote Porta vulneratum, *perchè gli scagliò un colpo sul viso*, prout Testes de auditu deposuerant, quamvis postea addiderint, quod in ejus vultu non viderint *alcun segnale*. Constitit præterea ex eisdem Testibus, Bondonium fuisse audacem, & facilem ad rixam, Sacerdotem verò Porta bonis moribus præditum, nec unquam vetita arma gestasse, *ma dal suo modo di parlare molto vivace, e facile ad alterarsi*. Ac demùm ex depositione Joannis Dominici filii defuncti Bondonii, qui unus rixæ, & occisioni Patris interfuit, deprehensum est, Sacerdotem Porta fuisse rogatum pro dilatione usque ad sequentem diem, sed nihilominùs *detto Signor D. Porta si accostò al letto, che ancora ivi esisteva per toglierlo, e gettarlo fuori dell'uscio*, indeque contentio, & homicidium. Itaque Oratoris preces relatæ inter supplices Libellos fuerunt primùm rejectæ in Congregatione *diei* 13. *Julii* 1771. Deinde ipso rogante *die* 19. *Septembris* 1772 propositum fuit dubium = *An sit locus dispensationi in casu &c.* = prodiitque responsum = *Negative*.

Pro tertia vice preces renovat Sacerdos Orator, & EE. VV. clementiam implorat pro dispensatione, quam ut assequatur, advertit, in iis positum fuisse circumstantiis, ut nec fugam arripere, nec aliter vitam defendere potuisset, nisi mortem Bondonio intulisset, proindeque licuisse vim vi repellere *Paul. in leg.* 45. *penult. ff. ad leg. Aquil.* Addit, homicidium aut necessarium fuisse, aut certè casuale, quod irregularitatem non inducit *Bok. jur. Canon. tom.* 3. *cap.* 30. *de homicid. necess.* Præsertim quia non sclopum in Bondonium explosit, aut vetitis armis illum vulneravit, sed parvo cultro usus est, nec prævidere poterat, tam grave damnum fore e venturum.

Plura hac de re perpensa sunt in præterito istius Causæ folio, quod est ad diem 8. *Augusti* 1772. Rogantur idcircò Eminentissimi PP. illud resumere, perpensisque tum facti circumstantiis, tum personarum qualitate, decernere

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

AQUI-

AQUIPENDIEN. FUNCTIONUM. In publicis Comitiis Oppidi Celleris habitis anno 1580. resolutum fuit, ut exciperentur in eodem Oppido PP. Carmelitæ, quibus per publicum Instrumentum assignata fuit Ecclesia *di Monte Santo*, quæ hodie nuncupatur *la Madonna del Carmine*, necnon altera Ecclesia Divo Ægidio, & altera Divo Roccho dicata. Instrumentum hisce conditionibus conceptum legitur, ut scilicet Religiosi tenerentur duas Missas quotidie celebrare, ac præterea = *officiare la detta Madonna, S. Egidio, e S. Rocco secondo il solito, ed occorrendo alla Communità, ed a Particolari servirsi di detti PP. per qualsivoglia cosa spettante al decoro loro, come sarebbe Processioni, Morti, e Divini Offizj, sieno obbligati &c.* Sess. 21. cap. 13. de Reform.

Ab antiquo tempore consueverunt Religiosi interesse una cum Clero Seculari Missis sollemnibus, Vesperis, associationi Cadaverum, ac Defunctorum Officiis, quæ in Parochiali Ecclesia celebrantur, & pro his non solum eleemosinam percipiebant, sed insuper obtinebant superextantes ex officiis eleemosinis, ut illas in celebrationem Missarum in propria Ecclesia erogarent; cumque præter generalia Officia, quæ in Parochiali celebrabantur semel in mense, atque in octava Defunctorum, & tempore Quadragesimæ pro Animabus Purgantibus, alia etiam ibidem particularia celebrarentur officia, quibus Religiosi non intererant, idcirco mos invaluit, ut quando peragenda essent officia cum eorum interventu, id ipsis notificaretur per sonitum Campanæ in vespere antecedenti, dum vero particularia, & extraordinaria officia essent agenda, Campanę signum non nisi de mane illius diei dari deberet.

Anno 1723. Archipresbyter Parochialis Ecclesiæ tentavit Religiosos ab hujusmodi interessentia excludere; sed expedito Monitorio super manutentione coram A.C., siluit Archipresbyter, permisitque, ut Religiosi in sua possessione permanerent ad annum usque 1746., quo controversia super eadem re iterum excitata fuit, sed illam in ipso renovati judicii limine diremit transactio ab Antonio Maria Simonini tunc temporis Carmelitarum Priore inita cum Archipresbytero, in qua jus omne sublatum fuit Religiosis interessendi memoratis Officiis, & Functionibus, nisi expresse fuissent ab eodem Archipresbytero vocati. Hac tamen non obstante concordia prosequuti sunt Religiosi in eorum possessione, & memoratis officiis interfuerunt. Verum anno 1757. Archipresbyrer Bernardinus Nocchia in animo sibi constituit Religiosos omnino ejicere, mandavitque, ut Campana, quæ præcedenti vespere pulsari consueverat, nonnisi ipsomet die celebrandi Officii pulsaretur.

Id causæ fuit, ut Religiosi suas proponerent Sacræ huic Congre-

gregationi querelas de turbata possessione, deque nusquam interrupta observantia, auditoque Episcopo septem concordata fuerunt dubia, quæ silente adhuc Archipresbytero sapienti EE.VV. judicio subjiciuntur.

Ad I. inquiunt Religiosi, ipsos removeri non posse ab antiquissima, & plus quam centenaria possessione *Rot.dec.259. num.1. tom.1. coram Molin.*, *& decis.639. num.1. part.18. Recent.*. Ad hanc autem probandam exhibent fidem Notarii testantis, adnotatum reperiisse in libris Conventus, quod iidem Religiosi ab anno 1641. ad annum usque 1757. semper interfuerint = *agli Offizii, che sono stati fatti, e che si fanno annualmente nella Chiesa Parochiale di Cellere, e nelle altre della Terra suddetta*. Nec non exhibent partitas ex iisdem libris extractas de eleemosinis, quas pro interessentia officiis, aliisque Functionibus perceperunt: Ac demum plurium Testium depositiones possessionem comprobantes. Neque obstare dicunt iteratas Archipresbyterorum contradictiones, cum iis non obstantibus in eorum possessione perseveraverint.

Perperamque opponi, rem esse de actibus facultativis perfectam possessionem non constituentibus; respondent enim, quod actus gesti per tempus centenariam excedens, non facultativi, sed necessarii censeri debent. *Rot. coram Bich. decis.522. num.17.*, *& seq.*, *& coram Molin. decis.920. num.9. & 10. tom.3. par.2.* Accedente præsertim Archipresbyterorum contradictione, quæ facultativam qualitatem penitus excludit.

Addunt, præsumi non posse, quod sive ex Parochorum benignitate, sive ex Presbyterorum defectu in Oppido Celleris Religiosorum interessentia processerit, tum quia incredibile est, quod Sacerdotum numerus, qui per spatium ferè bis centenariæ exiguus fuit ad Defunctorum Officia peragenda, nunc adeo adauctus fuerit, ut opus non sit Religiosos evocare, tum etiam quia nulla assignari potest causa, cur idem Presbyterorum numerus satis fuerit pro particularibus, non tamen pro generalibus Officiis. Hinc inferunt, Religiosorum interventum non ad facultatem, aut Parochorum arbitrium, sed ad necessitatem, ad pacta scilicet, & conventiones esse referendum. Ex his ergo satis constare putant de observantia, & consuetudine, qua posita, necesse non sit alium titulum proferre. *Rota decis.7. num. 1. de union. Benef. coram Falconer.*, *& decis.92. num. 51. coram Ansald.*. Et quatenus aliquis titulus esset assignandus, illum depromunt ex Capitulis cum Communitate initis, quorum vigore nonnullis sacris functionibus absque ullo emolumento adesse coguntur. Quare æquum existimant, ut etiam ad ea Officia admittantur, pro quibus certa emolumenta sunt præstituta; maximè quia hujusmodi emolumenta cedere etiam debent in compensatio-

tionem oneris PP. Carmelitis injunctum, celebrandi quotidiè duas Missas, audiendi Confessiones, Sacramenta Infirmis ministrandi, aliaque peragendi, quæ Divinum Cultum, & Animarum curam respiciunt.

Inutiliter autem obiici sustinent absurdum, quod provenit ex continua Presbyterorum Secularium, ac Regularium commixtione, quam vetitam affirmant in *cap.* 1. *de Elect.* Id enim locum tantummodo habere dicunt, quando Sæculares Præsbiteri cum Regularibus unum Corpus constituunt, non autem quando seorsim sacris Functionibus intersunt *cit. Cap. de Elect.*, *Pignat cons.* 80. *num.6. tom.* 10. Multoque minus habendam esse rationem concordiæ, quam Religiosus Simonini Carmelitarum Prior favore Cleri Sæcularis anno 1746. iniit cum Archipræsbytero, tum quia hujusmodi concordia numquam fuit executioni demandata, proindeque ab ea Partes recessisse præsumuntur, tum etiam ob defectum potestatis in Priore, qui irrequisitis sui Conventus Religiosis, suorumque Superiorum deficiente consensu, nullimode propria auctoritate transigere potuit. *Extrav. Ambit. de reb. Eccl. non alien.*, *Gregorius XIII. in const. incip. Ad aures*.

Ad II. contendunt Religiosi, denegari ipsis non posse elæemosinam ratione interessentiæ, quam præstant memoratis Functionibus, cum constito de possessione, debeatur etiam elæemosina, quæ est præmium laboris; præsertim quia accedit plusquam centenaria possessio, quæ jus constituit pro illius perceptione, & ad quam probandam iterum ad partitas librorum se referunt. Advertunt præterea, officia de quibus agitur, peragi ex elæemosinis Habitantium Terræ Cellularum, quorum mens est, ut a Clero tam Regulari, quam Sæculari percipiantur.

Sustinent ad III, per spatium biscentum ferè annorum morem invaluisse, ut facta elæemosinarum partitione inter Clerum Regularem, & Sæcularem, quidquid ex iis superesset, Religiosis pro celebratione Missarum traderetur. Ad id autem probandum iterum provocant ad partitas extractas ex libris Conventus, in quibus sparsim adnotata reperitur elæemosinæ quantitas pro Missarum celebratione recepta. Minime autem in hujusmodi possessione turbandos, neque ab ea removendos asserunt Religiosi, ex eo præsertim, quod nullum umquam stipendium, nulla bona fuerint pro eorum sustentatione a Communitate assignata, sed solum eleemosinas, quas ex Missarum celebratione, & interessentia Officiis percipere potuissent. Hoc etiam in loco reijciendam dicunt concordiam, de qua supra mentio habita est, tum quia nulliter stipulata fuit, tum quia non loquitur de hisce elæemosinis, de quibus tantummodo in præsenti dubio disceptatur.

Ad IV. iterum Religiosi recurrunt ad observantiam, ex qua jus

jus desumunt pro interessentia omnibus Sacris Functionibus, quę fiunt tum in Ecclesia Parochiali, tum in aliis Terræ Celleris Ecclesiis. Et quoad elæemosinæ perceptionem denuo proferunt partitas extractas ex libris Conventus, in quibus illarum quantitas adnotata reperitur. Observant, nullos in præsenti contentione se habere contradictores, quia vel agitur de functionibus extra Parochialem, & tunc nonnisi ad Confratres, vel Patronos pertinet Religiosos aut admittere, aut repellere. *Sac. Congregatio in Hortana Jurium Parochialium* 5. *Julii* 1738. Aut res est de functionibus, quę in ipsa Ecclesia Parochiali celebrantur, & in isto casu expulsio, aut admissio Religiosorum ad eos pertinere debèt, quorum eleæmosinis illæ peraguntur.

Contendunt ad V, nullum jus Archipræsbitero competere exercendi Sacras Functiones in Ecclesiis SS. Egidii, & Rocci, quæ per resolutionem publici Communitatis Consilii, & cum consensu Cardinalis Farnesii Religiosis traditæ fuerunt. Accedere pro illorum omnimoda libertate, & exemptione Summorum Pontificum Constitutiones, quarum vigore non solum a Parochorum subjectione, sed etiam ab Episcoporum jurisdictione Regulares eximuntur *Cap. Tuarum infra de Privil.*, *Fagnan. in cap. Venerab. de Cens.* Atque hęc procedere putant, etiamsì ab Archipræsbytero contraria observantia probaretur; quæ utpote juris dispositioni aperte opposita, omnino foret despicienda. *Rot coram Falcon. de officio Ordinarii decis.* 10. *num.* 2. *tom.* 2., & *in Recent. dec.* 324. *a num.* 3. *ad finem part.* 1.

Confidunt ad VI. ipsis tribuendas esse elæemosinas, quæ ex Fidelium pietate occasione deosculationis Reliquię S. Rocci in eorum Ecclesia colliguntur, excluso omninò Archipræsbytero ab illarum perceptione. Quamvis enim eadem Reliquia non ad Religiosos pertineat, sed ad Comunitatem, quæ illam singulis annis tradit Archipræsbytero, ut in Carmelitarum Ecclesia eidem Sancto dicata publicæ venerationi exponatur, nihilominus ob omnimodum Regularium exemptionem existimant, elæemosinas factas presumi debere intuitu Loci, ubi Reliquia exponitur. *Pignat. consult.* 160. *num.* 1. *ad* 4. *tom.* 4., *Fagnan. in Cap. Pastoralis lib.* 3. *n.* 35.

Concludunt denique ad VII. nullum jus esse Archipræsbytero exercendi Parochiales functiones in memoratis Ecclesiis SS. Egidii, & Rocci, quæ ad Religiosos Carmelitas libere pertinent. Quamcumque vero contrariam consuetudinem, quæ allegari posset, utpote adversantem Regularium libertati, omnino fore rejiciendam.

Hæc a Religiosis Carmelis deducuntur in libello EE. VV. circumferendo, quę perpendere rogantur, an revera subsistat allegata a Religiosis consuetudo, & observantia interessendi Functionibus, & elęemosinas percipiendi, &

an

an actus huc usque gesti facultativi, aut necessarii dijudicari debeant: Inquirendum præterea, an ex Instrumento, cujus vigore Carmelitæ in Oppido Celleris fuerunt excepti, aliisque actis, jus aliquod, aut præsumptio favore Religiosorum pro eleemosinarum perceptione desumi possit. Et quoniam mentio habetur de Transactione a Religioso Simonini olim Carmelitarum Priore inita cum Archipresbytero, non inopportune referenda videntur, quæ statuit Alexander IV. in Constitutione, quæ incipit = *Mente sollicita*, ibi = *Nos itaque compositiones, conditiones, & obligationes, & pacta omnia, quocumque nomine censeantur, quæque absque Generalis, & Provincialis licentia, & assensu inita esse noscuntur, cum sint temeraria penitus, & indigna, præsentium auctoritate irrita esse decernimus, & nullum existere firmitatis, ac Fratres ad eorum observantiam non teneri*.

De functionibus non Parochialibus in Ecclesiis a Parochiali sejunctis prostant generalia decreta Sac. Rituum Congregationis anno 1703. edita, atque inter cætera cum quæsitum fuisset III. *An Confraternitates erectæ in Capellis, vel Oratoriis tam publicis, quam privatis sejunctis ab Ecclesiis Parochialibus quoad functiones non Parochiales habeant dependentiam a Parocho, intra cujus Parochiæ limites sitæ sunt Ecclesiæ*, responsum fuit = *Negativè*. Cohęret resolutio Sacræ hujus Congregationis in *Hortana Jurium Parochialium 5. Julii* 1738., in qua proposito dubio = *An in Ecclesiis Confraternitatum expleri possent functiones non Parochiales independenter a Parochis* = prodiit rescriptum = *Affirmativè*. Videndum, an quæ de Ecclesiis Confraternitatum definita sint, procedant etiam quoad alias Ecclesias a Parochiali sejunctas.

Denique quoad oblationes, quæ in Ecclesiis Regularium occasione alicujus Festivitatis ex Fidelium pietate colliguntur, hæc habet *Fagnan. in cap. Pastoralis lib.3. num.34.* = *Declaratur quarto, ut non procedat in oblationibus, quæ fiunt Sacris Imaginibus existentibus in Ecclesiis Regularium; tales enim non queruntur Parocho, vel Episcopo, sed Monasterio pro Monachis ibi inservientibus*. Videndum, an, & a quo hujusmodi eleemosinæ perceptæ huc usque fuerint, & an ab Archipresbytero in partem emolumentorum Parochiæ, seu potius a Religiosis Carmelitis pro eorum sustentatione percipi in posterum debeant.

Episcopus, qui mandato Sacræ Congregationis, terminum præfixit Partibus ad jura sua deducenda, rem totam judicio submittit EE.VV., quæ idcirco rogantur definire:

I. *An liceat PP. Carmelitis Terræ Celleris intervenire in Ecclesia Parochiali dictæ Terræ Officiis, quæ celebrantur pro Animabus Purgantibus semel in mense, & pro Animabus Defunctorum bis in anno, in casu &c.*

II. *An PP. Carmelitæ dictæ Terræ participare debeant de elee-*

mosina solita pro celebratione dictorum Officiorum, in casu &c.

III. *An PP. Carmelitæ participare debeant de eleemosinis recollectis occasione supradictorum Officiorum ad effectum celebrandi Missas in propria, & Parochiali Ecclesia, in casu &c.*

IV. *An liceat dictis PP. Carmelitis intervenire in dicta Ecclesia Parochiali, aliisque Ecclesiis præfatæ Terræ omnibus, & singulis Functionibus, quæ infra annum celebrantur, & respectivè exigere solitam eleemosinam, in casu &c.*

V. *An competat Jus Archipresbytero exercendi sacras Functiones, & celebrandi Missam sollemnem in Ecclesiis S. Ægidii, & S. Rocci, & deferendi Sacram Reliquiam in dicta Ecclesia, in casu &c.*

Et quatenus affirmativè

VI. *An eleemosinæ, quæ in deosculatione dictæ Sacræ Reliquiæ recolliguntur, pertineant ad Archipresbyterum, vel ad PP. Carmelitas, in casu &c.*

VII. *An Archipresbyter exercere valeat jus Parochiale in dictis Ecclesiis S. Rocci, & S. Ægidii, in casu &c.*

FINIS.

INDEX CONCLUSIONUM,

Quæ adnotatæ sunt in foliis Causarum anni 1773.

A

B

C

D

E

Inter-

L

M

N

O

In

Sta-

T

FINIS.

INDEX
RESOLUTIONUM
Quæ prodierunt in Causis propositis in Sac. Congregatione Concilii anno 1773.

A

B

C

I

Indultum abesiendi a Choro causa infirmitatis, concessa fuit ad annum. *Sanctæ Agathæ Gothorum exemptionis* 13. *Februarii pag.*26.

Instrumenta pro Patrimoniis sacris deferri non debent ad Archivum publicum Communitatis *Sutrina* 23. *Januarii pag.*6.

Irregularitas quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*.

Jubilatio post servitium per annor 40. præstitum concessa fuit Canonico septuagenario in *Pistorien.* 28. *Augusti pag.*134.

Et concessum quoque fuit, ut perciperet omnes fructus Canonicatus, & Præbendæ, nec non parteciparet de emolumentis, & distributionibus, quas antea percipiebat *ibid.*

Et in casu absentiæ exemptus fuit ab onere duarum Missarum, quas ratione Canonicatus singulis Hebdomadis celebrare tenebatur *ibid.*

L

Litis expensæ. Vid. *Expensæ*.

M

Matrimonium ob coactionem, metumque a Patre incussum, est irritum *Theatina Matrimonii* 23. *Januarii pag.*1.

Item ob defectum legitimæ ætatis *ibid.*

Item ob non interessentiam proprii Parochi *ibid.*

Missa pro Populo ex gratia redacta fuit ad unam Missam singulis diebus festis celebrandam in qualibet ex Ecclesiis Parochialibus, quæ a pluribus Parochis collegialiter regebantur. *Calagurritana Missæ pro Populo* 8. *Maii pag.*75.

Et ad unam Missam in una ex Ecclesiis filialibus per turnum celebrandam *ibid.*

Collatis tamen suffragiis in unum pro toto Populo, & detracta eleemosina ex Massa communi *ibid.*

Tot Missæ celebrari debent, quot comportant fructus Cappellaniæ intra eleemosinam a Testatore constitutam *Gadicen. Missarum* 12. *Junii pag.*80.

Hinc non adimpletur voluntas Testatoris per celebrationem Missæ quotidianæ, si alii fructus supersint *ibid.*

Translationem Missæ a die Sabbathi ad diem Dominicam, denegavit Sacra Congregatio in *Placentina* 28. *Augusti pagin.*134.

N

Nominatio ad beneficium, quando nullus adest Presbyter, aut Clericus ex Familia primo loco vocata, debetur Presbytero, aut Clerico alterius Familiæ secundo loco vocatæ, a die vacationis. *Reatina Cappellaniæ* 27. *Novembris ad I. dub. pag.*184.

Fructus verò restitui debent a Patrono qui alterum nominavit, usque ad diem motæ litis, & a die motæ litis restitui debent a Capellano *ibid. ad II. dub.*

O

Oeconomi Ecclesiarum Parochialium. Vid. *Vicarii Curati*.

Onus Capellano injunctum celebrandi *personalmente*, adigit Capellanum ad residentiam *Comaolen.* 18. *Decembris pag.* 193.

Oratorium publicum construi potest in districtu Ecclesiæ Parochialis, etiamsi dissentiant ii, qui sunt de Parochia *Sarsinaten. Erectionis Oratorii* 23. *Januarii pag.*1.

Arbitrio tamen Episcopi assignari debet dos pro manutentione Oratorii *ibid.*

Et illæsa remanere debent jura Parochialia *ibid.*

In Grancia Carthusianorum an visitari possit ab Episcopo *Tridentina Juris visitandi* 13. *Februarii pag.*20.

Ordines Sacros tenetur soscipere possessor Capellaniæ ad quam vocati a Fundatore fuat Presbyteri alicujus Familiæ, si adsint *Nullius Lepriniani Capellaniæ* 12. *Junii pag.*90.

P

Parochialis Missa. Vid. *Missa*.

Parochus, quoad Ecclesias Confraternitatum. Vid. *Capellanus Confraternitatum*.

Habet jus peragendi functiones funerales in Ecclesia Confratrum etiam quando Cadavera in ea tumulanda non sunt de illius Perochia, si id Synodales Constitutionos decernant *Faventina Functionum* 17. *Julii pag.*103.

Patronus, qui ad Capellaniam nominaverit extraneum, rejecto Clerico de Familia secundo loco vocata, tenetur restituere fructus detractis oneribus usque ad diem motæ litis *Reatina Cappellaniæ* 27. *Novembris pag.*184.

Per-

bent ab Eminentissimo Protectore Ecclesie Sanctæ Agnetis in Foro Agonali de Urbe *Eugubina Jurisdictionis* 28. *Augusti ad I. dub. pag.*134.

Sunt amovibiles ad nutum Emi Protectoris eos eligentis *ibid. ad II. dub.*

Postquam electi fuerint examinari, & adprobari debent ab Examinatoribus Synodatibus Diœcesis Eugubinę *ibid. ad III. dub.*

Confirmari etiam debent ab Episcopo Eugubino ante exercitium Curæ Animarum *ibid. ad IV. dub.*

In vacationibus earumdem Ecclesiarum spectat ad Episcopum Eugubinum deputare Æconomos *ibid. ad V. dub.*

Voluntas Testatoris commutari non debet *Callien.* 13. *Februerii pag.* 20.

Nec permittitur commutatio etiamsi suffragia anticipentur *Balneoregien.* 17. *Julii pag.*95.

FINIS.

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGREGATIONIS
CONCILII

Quæ prodierunt Anno MDCCLXXIV.

TOMUS XXXXIII.



ROMÆ MDCCLXXIV.

Ex Typographia Bernabò, et Lazzarini.

SUPERIORUM FACULTATE.

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM
Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1774. per Diœceses dispositus.

A

C

E

F

G

H

I

L

Meli-

F I N I S.

Die Sabbathi 22. Januarii 1774. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PRæsens folium exhibet Causas in præcedenti Congregatione nondum resolutas, aliasque pro hodierna Congregatione adjectas. De omnibus itaque Emi DD. dignabuntur sapientissimum pandere judicium.

ADRIEN PAROCHIALIS.

An dismembratio, & respectivè erectio novæ Parochiæ sustineatur in casu &c. *Sess. 21. cap. 4. de Reform.*

Negativè.

ALEXANDRINA MISSÆ CONVENTUALIS.

I. *An Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ SS. Petri, & Dalmatii Civitatis Alexandrinæ teneatur quotidie Missam Conventualem applicare pro Benefactoribus in genere in casu &c.* *Sess. 22. decret. de observ., & evit. in celebr. Miss.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & quomodo sit concedendum Indultum exemptionis ab onere applicationis Missæ Conventualis in casu &c.*

III. *An, & quomodo quoad præteritum sit providendum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè. Ad II. Dilata, & firmetur status. Ad III. Ad Eminentissimum Præfectum cum Sanctissimo.

ELNEN.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum, in casu &c. *Sess. 12. cap. 6. de Reform.*

Affirmativè juxta votum Episcopi.

Seſſ.14. cap.7. de Reform.

ALBEN. IRREGULARITATIS,

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.

Non propoſita, cum ſequentibus.

Seſs.21.cap.13. de Reform.

AQUIPENDIEN. FUNCTIONUM.

I. *An liceat PP. Carmelitis Terræ Celleris intervenire in Eccleſia Parochiali dictæ Terræ Officiis, quæ celebrantur pro Animabus Purgantibus ſemel in menſe, & pro Animabus Defunctorum bis in anno, in caſu &c.*

II. *An PP. Carmelitæ dictæ Terræ participare debeant de eleemoſina ſolita pro celebratione dictorum Officiorum, in caſu &c.*

III. *An PP. Carmelitæ participare debeant de eleemoſinis recollectis occaſione ſupradictorum Officiorum ad eſſectum celebrandi Miſſas in propria, & Parochiali Eccleſia, in caſu &c.*

IV. *An liceat dictis PP. Carmelitis intervenire in dicta Eccleſia Parochiali, aliiſque Eccleſiis præfatæ Terræ omnibus, & ſingulis Functionibus, quæ infra annum celebrantur, & reſpectivè exigere ſolitam eleemoſinam, in caſu &c.*

V. *An competat Jus Archipresbytero exercendi ſacras Functiones, & celebrandi Miſſam ſollemnem in Eccleſiis S. Ægidii, & S. Rocci, & deferendi Sacram Reliquiam in dicta Eccleſia, in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè

VI. *An eleemoſinæ, quæ in deoſculatione dictæ Sacræ Reliquiæ recolliguntur, pertineant ad Archipreſbyterum, vel ad PP. Carmelitas, in caſu &c.*

VII. *An Archipresbyter exercere valeat jus Parochiale in dictis Eccleſiis S. Rocci, & S. Ægidii, in caſu &c.*

Seſs.25. cap. 9. de Reform.

CASALEN. CONCORDIÆ. De Patronatu tum activo, tum paſſivo Capellaniarum, quæ juxta diſpoſitionem Sacerdotis Marci Antonii Morelli anno 1631. erectæ fuerant in Oppido Occimiani, ſæpius exortæ ſunt controverſiæ inter eos, qui ad illum jus habere contendebant. Voluit porrò Teſtator, ut Capellaniæ eſſent *in perpetuo juſpatronato della mia Caſa Morelli*, & in defectu deſcendentium ex hac Familia jus nominandi tribuit PP. Oratorii S. Philippi Neri Civitatis Caſalen., ac nominationem primùm conferri mandavit Deſcendentibus a Fratribus del Carretto, & poſtea Sacerdoti magis pauperi Oppidi Occimiani. Verum quotieſcumque Capellaniarum vacatio accidit, prætextu ſive prælationis, ſive prædilectionis, aut quavis alia de cauſa, lites exarſerunt inter de-

descendentes per medium fœminarum a Familia Morelli, aliosque descendentes a Fratribus d el Carretto passivè vocatis, ac PP.Congregationis Oratorii, & quod gravius est non idem semper judicii exitus, sed modò unius, modò alterius jura prævaluerunt.

Existimarunt itaque Collitigantes quæstiones omnes in posterum dirimere ope transactionis, qua una ex Capellaniis adjudicata fuit quoad Patronatum activum Josepho Octavio de Pavarantia, altera autem PP. Oratorii, & quoad Patronatum passivum certa lex, ac methodus utrique fuit indicta. Siquidem Pavarantiæ permissa extitit nominatio descendentium tam ex masculis, quam ex fœminis suæ Familiæ, sed in istorum defectu coercita nominatio fuit ad descendentes a fœminis Morelli, ac postea ad descendentes a Jacobo Carretti. Mandatum præterea fuit PP.Oratorii, ut nominarent unum de Familia Carretto, eoque deficiente aliquem ex Familiis Pavarantia, Boltri, & Quarterii. Denique in defectu descendentium ex fœminis Familiarum Morelli, & Carretti, utrique Patrono præscriptum fuit, ut nominarent Sacerdotem magis pauperem Oppidi Occimiani. Hæc sanè, aliaque in prima vacatione exequenda conventa fuerunt in transactione, de qua mentio distinctè habetur in priori istius Causæ Folio, quod est ad *diem* 19.*Decembris* 1772., & fusius transcribitur in Summario libelli a Transigentibus tunc distributi.

Petita proinde ea die fuit transactionis adprobatio, sed quia compertum extitit non omnes interesse habentes fuisse requisitos, idcirco dilata resolutione injunctum fuit Episcopo, ut juxta mentem Sac.Congregationis interpellaret omnes descendentes a Familia Morelli, qui transactioni non interfuerant, aliosque, si qui adessent, jus, aut interesse habere prætendentes. Mandatis obtemperavit Episcopus, affixisque edictis comparuit intra præfinitum terminum Petrus Antonius Martini, qui tanquam descendens a Familia Morelli transactionem impugnare velle declaravit. Itaque in conflictu Partium novo examini subjicitur transactio, de qua Episcopus in nova relatione eadem repetit, quæ in præcedenti exposuerat, ubi dubitare dixit, *an hujusmodi transactio finem sit litibus impositura, ex eo quod exurgent fortasse posteri a Transigentibus causam non habentes, ac jure proprio venientes, qui contendent non potuisse ab anterioribus in sui præjudicium transigi.*

Qui transactionis adprobationem urgent, toti sunt ut ejiciant Petrum Antonium Martini asserentes, ipsum nullum jus super Capellaniis posse sibi adscribere, nisi suam descendentiam probet a Familia Testatoris per gradus distinctos *Paris. consil.*48. *num.*9.*lib.*4., *Fargn.de Jurepat.par.*2. *can.*1. *cas.*13. *num.*7., *Rot. decis.*267 *num.*6. *part.*6. *Recent.*.

Præsertim quia non incidenter de descendentia disceptatur, sed quæstio agitur cum iis, qui non solum suam descendentiam a Testatore evincunt, sed antiquissimam etiam Jurispatronatus possessionem ostendunt. Hanc autem possessionem allegare minimè posse Petrum Antonium, cujus Majores nunquam præsentarunt, nec tanquam passivè vocati nominationem obtinuerunt.

Addunt ejusdem Martini descendentiam a Testatore nonnisi quam ex fœminis tantùm cognatis posse promanare, sed hujusmodi descendentiam nullum jus illi tribuere super Capellaniis, cum Testator sub nomine *della mia Casa Morelli* non alios comprehendere voluerit, quam masculos ex masculis, aut saltem masculos ex Fœminis agnatis *Card. de Luca de Jurepatron. disc.26. num.8.*, *Rot. in Novarien. Jurispatronatus 26. Junii* 1744. §. 2. *coram Molino*. Hinc inferunt dictum Martini pro illegitimo Contradictore habendum esse, nec propositæ transactioni posse contraire, multoque minus aliquid contra illam excipere.

Ex alia autem parte Petrus Antonius Martini reprobandam sustinet transactionem utpote injustam, gravantem, & alterius juris læsivam, quo casu etiamsi inita fuerit rescindi oportere contendit, ne alicui per pacta, & conventiones præjudicium inferatur *Rot. in Recent. decis. 539. num.1. par.prima*, *& decis.312. num.19.part.16.*, *& in Montis Falisci Cambii super Capitali 4.Julii 1754.* § 4., *& fin. coram Bussio*. Gravamen verò, & transactionis injustitiam satis in præsenti casu ex eo resultare, quod Patronatus fuerit aliis adscriptus ipso penitus excluso, quamvis potiori jure fruatur. Probat enim suam descendentiam a Familia Morelli per medium Lauræ filiæ Joannis Antonii Fundatoris fratris, a qua ortum habuit Joannes Pater Michaelis Angeli, qui genuit Vexilliferum Octavium, & ab isto procreatum fuisse dicit Petrum Antonium. Hæc omnia patere ex arbore genealogica, atque ex documentis in Summario relatis. Controverti proinde non posse tum descendentiam, tum majus ejusdem Petri Antonii interesse, cum ex dicta Familia Morelli descendat per medium unius fœminæ agnatæ; contra verò fratres de Pavarantia suam descendentiam non desumant nisi ex aliis fœminis, quæ de agnatione minimè fuerunt; & illi de Quarterio nec descendentiam probent, nec unquam præsentaverint, aut nominationem assequutos fuisse ostendant.

Præterea quoad Anselmum, aliosque de Carretto observat, eos passivam tantùm vocationem allegare posse in remotissimo casu, quo nemo ex descendentibus a familia Morelli Ecclesiasticæ militiæ adscribi, aut Capellaniam vellet accipere, quemadmodum ex Testamento Fundatoris de-

deprehendi affirmat. Ac demum quoad PP. Oratorii sustinet, eos nonnisi in subsidium fuisse contemplatos, quatenus scilicet omnes ex familia Morelli descendentes omninò defecissent, qui quidem casus nondum evenit, cum ipse Petrus Antonius existat ex ea Familia descendens. Nec obesse, quod in præteritis vacationibus nemo ex descendentibus a Laura comparuerit, tum quia id procedere potuit ex ignorantia proprii juris tum etiam quia negligentia quoad præteritum non adimit jus præsentandi in futuris vacationibus *Rot. decis.* 115. *num.* 8. *coram Arguell.*, *& in Alatrina Jurispatronatus* 7. *Decembris* 1705. §. *Minus coram Scotto*. Præsertim quando agitur de Patronatu familiari, qui defertur jure sanguinis, & in quo omnes proprio jure succedunt, cum in isto casu Antecessorum negligentia nullum Successoribus inferat præjudicium *Card. de Luca de Jurepatron. disc.* 35. *num.* 7., *Rot. decis.* 220. *num.* 26. *part.* 11. *Recent.*

Certum verò esse dicit Petrus Antonius præjudicium sibi ex transactione obventurum, quia Patronatus activus adjudicatus noscitur illis de Pavarantia, & PP. Oratorii, quando a Testatore prælativè collatus fuit Descendentibus ex familia Morelli; Passivus autem Patronatus adscriptus legitur iisdem Descendentibus in solo casu, quo defecissent Descendentes ex familiis Pavarantia, & Carretto, cum tamen isti in subsidium tantum vocati a Testatore fuerint, & illi de Pavarantia nunquam comprehensi, aut nominati dignoscantur.

Perperamque objici putat, quod in relatione Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanensis asseratur, ut defectis masculis ex masculis familiæ Morelli, binæ tantùm superfuerint fœminæ agnatæ Testatoris Pronepotes, Helena scilicet, & Francisca, nulla facta mentione de Laura, a qua ipse Petrus Antonius descendit. Respondet enim hujusmodi relationem erutam tantùm fuisse ex foliis laudato Eminentissimo Archiepiscopo ab iis exhibitis, quorum intererat transactionis adprobationem obtinere, nec quoad ea, quæ factum respiciunt prævidere, aut divinari potuisse quæcumque ignota prorsus eidem fuerant. Prætere advertit inanem esse objectionem, quoties certò constat de existentia Lauræ de familia Morelli, idque eo magis resultare ex facto Helenæ, & Franciscæ, quæ occasione controversiæ anno 1641. exortæ super jure nominandi ad unam ex tunc vacantibus Capellaniis articulos produxerùnt, ut probarent Joannem Antonium Testatoris nepotem, filiam habuisse nomine Lauram, quemadmodum ex Testibus super articulis examinatis fuit comprobatum.

Transactio non solum justitiæ, & æquitati consona esse debet, sed insuper uniuscujusque præjudicium avertere, ne illius

illius prætextu alteri fiat injuria. In eam præterea omnes intereſſe habentes conſentire debent, cum nemo invitus cogi poſſit ad tranſigendum. Seriò igitur perſcrutanda transactionis ſubſtantia, videndum, an litibus ſit finem impoſitura, an ſuper Capellaniis jus aliquod competat Petro Antonio Martini, & an invitus adigi debeat ad conſenſiendum. Hiſce perpenſis, Eminentiſſimi PP. dijudicabunt

An ſit adprobanda tranſactio, in caſu &c.

Seſs.25.cap.1. de Reform.

OVETEN. MISSÆ PRO POPULO. In relatione ſtatus ſuæ Eccleſiæ, quam Sac.Congregationi nuper tranſmiſit Epiſcopus Oveten. narravit, plura in ea Diœceſi reperiri Parochialia beneficia, quæ tenues adeo habent reditus, ut ne ad congruam quidem Parochorum ſuſtentationem ſufficiant. Retulit idcirco invaluiſſe apud nonnullos opinionem, ut ſi iidem Parochi diebus feſtis eleemoſinam pro Miſſa ab aliquo pio Benefactore receperint, poſſint iis diebus (Dominicis tamen exceptis) & pro Benefactore, qui eleemoſinam tradidit, & pro Populo Miſſam applicare. Id ergo EE. PP. referendum cenſuit Epiſcopus, ut quid aut permittendum, aut reprobandum eſſet conſultò definirent. Non abs re proinde erit nonnulla animadvertere, quæ Parochorum onus, & Miſſæ applicationem reſpiciunt.

Notum eſt, jure Divino mandatum fuiſſe Animarum Paſtoribus, ſalutaribus præceptis oves ſuas inſtruere, & pro iis Sacrificium offerre. Hoc ſanè innuunt verba Concilii Tridentini *Seſſ.23. cap.2. de Reform.*, quibus non ſolum Miſſæ celebratio, ſed etiam applicatio fuit injuncta, ita quidem ut Parochus non poſſit pro hujuſmodi applicatione eleemoſinam recipere *Fagnan. in Cap. Fraternitatem de Sepulturis num.93. & 94.*. Sacra hæc Congregatio conſtanter rejecit Parochorum querelas, qui onus applicationis ſubire detrectabant, ut in *Civitatis Caſtellanæ 26. Auguſti* 1628., *in Hydruntina* 13.*Februarii* 1639., *in Romana* 17. *Julii* 1649., *in Mileten.* 10. *Maii*, *& in Cremonen.* 20. *Decembris* 1692.. Et ſan. mem. Benedictus XIV. in Conſtitutione *Cum ſemper oblatas* 19. *Auguſti* 1744. Epiſcopis expreſsè injungit, ut reprobatis inanibus interpretationibus, hujuſmodi oneri in ſuis reſpectivè Diœceſibus adimplere curent, *cum relata Concilii verba ſatis clara, & perſpicua ſint, cumque prædicta Congregatio ejuſdem Concilii interpretationi privativè præpoſita conſtanter edixerit, eos quibus Animarum Cura demandata eſt non modò Sacrificium Miſſæ celebrare, ſed illius etiam fructum medium pro Populo*

ſibi

sibi commisso applicare debere, nec illud pro alijs applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosinam percipere posse.

Quæsitum olim fuit, quibus diebus Parochi Missam pro Populo applicare deberent, & quamvis invecta fuisset distinctio, ut qui pinguioribus reditibus ditati erant ad quotidianam applicationem, qui verò tenues habebant reditus festis tantùm diebus ad applicationem tenerentur, nihilominus ad tollendas Parochorum quæstiones super redituum quantitate, declaravit laudatus Pontifex in memorata Constitutione, *satis esse posse, dum ii, qui Animarum Curam exercent, Sacrificium Missæ pro Populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de præcepto, cum prædicti Dominici, aliique festi dies ii sint, in quibus juxta præceptum Concilii Tridentini quilibet Animarum curæ Præpositus Populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet*. Dubitatum præterea fuit in *Hortana*, an sufficeret Missa Conventualis, quæ a Capitulo Cathedralis quotidiè pro Populo applicabatur, itaut Parochus, qui ejusdem quoque Cathedralis erat Canonicus, ab applicatione Sacrificii eximi posset. Proposito autem Sac. Congregationi dubio = *An Canonicus Parochus Ecclesiæ Cathedralis Hortanæ teneatur applicare Missam pro Populo omnibus festis, vel potius sufficiat Missa Conventualis, quæ a Capitulo per turnum quotidie applicata fuit, & applicatur pro Populo?* die 8. *Augusti* 1744. responsum prodiit = *Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam*.

Ab onere applicationis non eximuntur Parochi sive quia Parochialis Ecclesia incertos habeat reditus, *Antonell. de juribus Cleric. lib. 2. part. 6. num. 2.*, sive quia reditus Parochiæ adeo tenues sint, ut ne ad congruam quidem Rectoris sufficiant *Clericat. discord. Foren. discord. 29. de benef. sub n. 43.*, *Ursaya instit. crimin. lib. 1. tit. 10. §. 2. n. 136.*, cum non juxta quantitatem redituum, sed ratione officii teneantur Parochi Missam pro Populo applicare *Ferrar. in Bibliothec. verb. Missæ Sacrificium art. 3. num. 8.*, & consonant Sacræ Congregationis decreta in *Nonantulana* 30. *Aug.* 1698., *in Pistorien.*, *seu Praten.* 14. *Februarii* 1699., quæ quidem decreta confirmata postea fuerunt a san. mem. Innocentio XII. per Litteras Apostolicas sub datum diei 24. Aprilis 1699., ut apud eumdem *Ferrar. loc. cit. num. 6.*. Quare subsequutæ sunt postea aliæ istius Sac. Congregationis resolutiones in *Forojempronien. Missæ Parochialis* 8. *Febr.* 1716. *lib. 66. decret. pag.* 55., & in *Ostien. Parochiæ Castri Romani, & Decimæ* 29. *Januarii* 1724. *lib. 74. decret. pagin.* 38.. Cæterum ad consulendum Parochorum inopiæ, laudatus Pontifex Benedictus XIV. opportunè providit, ut Parochi egentes eleemosinam diebus festis recipere possint, & Missam applicare pro Benefactore, translata tamen ad aliam diem infra hebdomadam applicatione Missæ pro Populo

pulo; proindeque in memorata Constitutione *Cum semper* Episcopis facultatem tribuit dispensandi cum Parochis, quos revera pauperes esse cognoverint, *ad hoc ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosinam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur liberè, & licitè possint, & valeant, dummodo ad necessariam Populi commoditatem in ipsa Ecclesia Parochiali celebrent, ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii Benefactoris obtulerint*.

Hæc adnotanda erant quoad onus Parochis inhærens applicandi Missam pro Populo, præcisius tamen ad rem, de qua agitur, nonnulla adhuc animadvertenda supersunt. Non defuere olim Theologi, & Canonistæ, qui licet incruenti Sacrificii fructum quoad effectum, & ut ajunt *in actu secundo* finitum esse professi fuerint, nihilominus existimarunt, quod pluribus applicari posset, & singulis omnibus æquè prodesset, ac si uni tantum fuisset applicatum: Hinc arguebant, licere post acceptam a pluribus eleemosinam omnibus satisfacere per unicum Sacrificium nominatim, & expresse applicatum pro singulis, qui eleemosinam tradiderant. Viden. *Fagnan. in Cap. Fraternitatem de Sepulturis.* Alii verò considerantes triplicem Sacrificii fructum, ut apud *Sot. de just., & jur. lib.3. quæst.2. art. 2.*, *Cordub. lib.1. quæst.3. not.4*, *Navarr. cap.25. num.92.*, *Card. Bona in tract. ascetic. de Sacrif. Miss. cap.1. §.4.*, unum nempe *generalem*, seu ut ajunt *generalissimum*, qui in universam redundat Ecclesiam, & cujus omnes Fideles participes fiunt; alium verò *medium*, seu *specialem*, de quo illi participant, pro quibus nominatim offertur; tertium denique *specialissimum*, qui ab aliquibus *specialis* dicitur, & de quo ipse Sacerdos particeps evadit, admissa hac triplici distinctione affirmare non dubitarunt, tertium hunc fructum *specialissimum* cedi, & a Sacerdote offerente alteri renuntiari posse, & pro hujusmodi cessione, & renunciatione novam eleemosinam a Sacerdote percipi.

Has porrò Sententias, quas san.mem. Benedictus XIV. in opere *de Synod. Diœces. lib.5. cap.9. num. 4.* subdolas artes appellat, unicè ab avaritia excogitatas, & quæ a Sæculo XIII. in Ecclesiam irreperant, rejecit, abrogavitque Concilium Lambethense celebratum anno 1281., apud *Harduinum tom.7. collect. col.862.* decernens *cap.2.* in hunc modum = *Nec credat celebrans, se dicendo Missam unam posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque promisit specialiter, & in solidum celebrare . . . . . Absit enim, ne a quoquam Catholico credatur, tantùm intentione prodesse Missam unam devotè celebratam mille hominibus, pro quibus forsan dicitur, quantum si mille Missæ pro eis devotione simili cane-*

scen-

rentur. Licet ipsum Sacrificium, quod est Christus, sit infinitæ virtutis, non tamen in Sacrificio suæ immensitatis summam plenitudinem operatur: alioquin pro uno mortuo nunquam oporteret nisi unam Missam dicere. Operatur enim in hujusmodi mysteriis distributione certa suæ plenitudinis, quam ipse eisdem lege infallibili alligavit. Nihilominus initio etiam sæculi XVI. pravas hujusmodi opiniones nondum fuisse eliminatas constat ex Norimbergensi Germanorum Principum conventu, qui apud Adrianum VI. conquestus est, quod *Sacerdotes unius diei Missas, ad quas fundationis, seu annuæ recordationis jure celebrandas obligantur, non semel, sed quater, quinquies, pluriesque venundant, unaque Missa duobus, tribus, aut pluribus Ecclesiasticis beneficiis satisfacere præsumunt.* Potentiori igitur opus fuit remedio ad hanc corruptelam eradicandam, illudque opportunè præstitit san. memor. Urbanus VIII., dum anno 1625. approbavit decreta a Sacra Congregatione Concilii edita, quorum unum *numero III.* his verbis conceptum erat. Sacra Congregatio *sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ elæemosinæ præscriptæ fuerunt, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin immò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Alterum verò num. IV. ita fuerat expositum. Sac.Congregatio *revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis Personis Ecclesiasticis, ac Locis piis, tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, & Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfaciat.*

Hæc tamen omnia tanti non fuerunt ponderis, ut impedirent, quominus laxæ quædam ea de re opiniones sensim irreperent, quas eadem Sac. Congregatio reprobavit, & Summi Pontifices postea damnarunt. Siquidem nonnulli Auctores scriptis etiam typis traditis asseruerunt, Sacerdoti Missam pro alio recepta eleemosina celebranti, licitum esse eleemosinam quoque accipere ab altero, cui applicet partem fructus, seu valoris Sacrificii ipsi met Sacerdoti debitam, (nempe *specialem*, aut *specialissimam*) & hunc casum non esse comprehensum sub decreto S.Congregationis Concilii prohibente duplex pro unica Missa stipendium recipi. Verùm Sac.Congregatio die 25 *Januarii 1659.*, approbante san.mem. Alexandro VII. declaravit = *Nulli Sacerdoti licitum esse præfata ratione, sive prætextu aliam eleemosinam accipere præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur: ac proinde casum hunc esse comprehensum in decretis alias per eamdem S. Congregat. Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro unica Missa recipiatur. Fagnan. loc. sup. cit. sub num. 96.*

Similiter eodem anno, referente pariter Fagnano, qui munere Secretarii S.Congregationis tunc fungebatur *loc. cit. sub num.97.* Auctores aliqui animadvertentes fructum *medium* Sacrificii, de quo potest Sacerdos pro libito disponere, dividi in *satisfactorium*, & *impetratorium*, in ea fuerunt sententia, ut si aliquis Sacerdoti daret eleemosinam pro Missa cum applicatione fructus *satisfactorii*, & alius daret eleemosinam pro applicatione fructus *impetratorii*, posset Sacerdos unica Missa satisfacere utrique obligationi applicando cuilibet fructum petitum. Propositum autem fuit dubium: An Sacerdos, qui unum stipendium accepit pro celebratione Missæ ex.gr. pro defuncto, & sic cum obligatione applicandi fructum *satisfactorium*, & aliud stipendium pro celebratione Missæ ex.gr. pro infirmo, & sic cum obligatione applicandi fructum *impetratorium*, possit unica Missa utrique obligationi satisfacere applicando defuncto *satisfactorium*, & infirmo *impetratorium*, & an in hoc casu locum habeat decretum S.Congregationis Concilii *de celebr. Miss.* S. Congregatio die 13.Decembris 1659. respondit ad primam partem *non posse satisfacere*, quo verò ad secundam *habere locum*.

Hinc inter propositiones ab Alexandro VII. die 20. Septembris anni 1665. damnatas, hæc recensetur, nimirùm VIII. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite recipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.* Ac præterea alia, X. *Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram* = Quoniam vero priora S.Congregationis decreta loquebantur de Sacerdotibus accipientibus eleemosinas manuales, non autem explicitè de obtinentibus Beneficia Ecclesiastica, idcircò inter cætera dubia super iisdem decretis excitata quæsitum fuit = *An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, Legati, aut Salarii possint etiam manualem elæemosinam pro Missis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere?* Et S. Congregatio in responsionibus ad dubia, quas san.mem. Innocent.XII. adprobavit, respondit = *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione Beneficii, seu Capellæ, Legati, aut Salarii, si eleemosinas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.*

Hisce præmissis dissimulandum non est Auctores, qui scripserunt ante vulgatissimam Benedicti XIV. Constitutionem *Cum semper oblatas*, sententiam pro Parochis fuisse amplexos. Hos inter recensere liceat Franciscum Sylvium *in 3. part. D. Thomæ qu.83. art.1. quæst.17.*, ubi quærit, utrum

qui

qui pro pluribus celebrare debet, satisfaciat celebrando *unam Missam pro omnibus*, atque hæc habet inter cætera = *Quamvis autem Parochus obligatus sit celebrare pro suo Populo Dominicis præsertim, & festis diebus, non videtur tamen illicitum, si aliquando stipendium accipiat ab uno particulari, qui pro se cupit celebrari. Nec obstat, quod a Populo sive ex decimis, sive aliunde alatur: Parocho enim debentur proventus pastorales non precisè, ut celebret ad intentionem Populi, sed ratione totius officii pastoralis: Tenetur quidem omnibus festis, & Dominicis Missam in Ecclesia Parochiali facere; sed aliud est teneri ad eam dicendam, ut Parochiani illam possint audire, aliud verò ad offerendum particulariter pro illo* = Postea verò nonnullis relatis auctoribus, quibus visum est Parochum non teneri omnibus Festis, & Dominicis Missam facere ad intentionem Populi, sic pergit = *Pro regula tamen ordinaria servandum est, ut quibus diebus Sacerdotes tenentur Missas celebrare ratione sui Beneficii, non possint eleemosinas ab aliis accipiendo una Missa utrique obligationi satisfacere* = Ac demum addit, *cavendum esse, ne Parochi frequenter in festis, & Dominicis stipendium accipiant ab aliquo particulari. Cum enim non facile possit determinari, quoties obligentur ad celebrationem pro suo Populo, non debent periculo se exponere.* Verum non est prætereundus Fagnanus, qui *loc. sup. cit. sub num. 94.* relato Concilii Tridentini decreto *sess. 25. cap. 1. de Reform.* adigente Parochos ad offerendum sacrificium pro ovibus suis, ex eo sequi affirmat, non posse Parochum eleemosinam accipere iis diebus, quibus illud tenetur applicare pro Populo, quia scilicet fructus medius sacrificii jam reperitur alteri debitus. Idque præterea confirmat ex Concilio Provinciali Mediolanensi IV. ab Apostolica Sede adprobato *tit. de his, quæ pertinent ad Sanctissimum Missæ sacrif.* ubi prohibetur Parochis, ne Dominicis, aliisque diebus, quibus tenentur celebrare pro Populo aliud suscipiant Missarum celebrandarum onus.

Superaccessit denique Constitutio Sa. Me. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* ubi de re tota maturè agitur, & cuilibet dubio egregiè prospicitur. Quam itaque indulgentiam mereantur Parochi in præsenti casu, & quomodo ipsorum inopiæ providendum sit, viderint Eminentissimi PP., a quibus quæritur:

An & quomodo sit locus applicationi Missæ pro Populo in casu &c.

TREVIREN. IRREGULARITATIS. Ex improviso ictu decidentis Mallei cujusdam Fabri Ferrari Sacerdos Joannes Baptista Jovant talem passus est læsionem in dextera manu, ut non solum partem pollicis, & indicis, sed

Sess. 24. cap. 6. de Ref. & sess. 22 Decr. de observ., & evitan. in celebr. Missar.

sed etiam extremitatem digiti medii amiserit. Hac de re arcetur a celebratione Missæ, & interdicitur, quominus gerat munus Vicarii Curati, quod variis in locis laudabiliter exercuit. Cum tamen ope digiti medii, & articulò pollicis possit sine deformitate, aut periculo sacram hostiam tenere, ac frangere, & Calicem contrectare, supplex idcircò dispensationem ab irregularitate implorat, ut & Missam celebrare, & Sacramenta administrare valeat, aliaque omnia exequi, quæ Parochi officium concernunt. Hanc autem dispensationem quo facilius assequatur, facultatem postulat utendi in rebus divinis peragendis auxilio sinistræ manus, quatenus cum dextera in aliquo deficere comperiatur. Exponit extremam, in qua reperitur egestatem, ita ut non habeat unde vivere, nec Matri Viduæ, ac senio confectæ, nec Fratri, & Sorori possit alimenta præbere. Unum quidem possidet Beneficium, cujus titulo ad Sacros Ordines fuit promotus, sed illius reditus vix pares sunt pro satisfactione oneris Missarum, quibus gravatur,

Decem Testes Sacerdotali caracthere insigniti, & in Ecclesiastica dignitate constituti Oratoris paupertatem confirmant, ejusque mores, pietatem, zelum Animarum, aliasque virtutes summopere extollunt, addentes ipsum *digito medio, & permanente pollicis articulo sine ulla notabili deformitate Sacram Hostiam firmiter tenere, immo, & facile frangere, nec non Calicem sustinere, & attollere, salutem per verba Dominus vobiscum ad Populum conversus, benedictionem ipsa manu dextera in fine Missæ impertiri, manus expensas habere, cæteras quoque tum benedictiones, tum cæremonias in decursu SSmi Sacrificii fieri solitas, absque scandali, horrorisue periculo facere, & adimplere possit, & valeat, præhabitis diligenti*, & *rigoroso examine, nec non iteratis exercitiis compertum se habere, & in anima sua jurare posse*. Officialis verò Trevirensis facto experimento coram cæremoniarum Magistro retulit, Oratorem absque indecentia, & sine scandalo Calicem, & Sacram Hostiam elevare, ipsamque frangere, adeoque existimat, *quod ipsi petita dispensatio Missæ Sacrificium, aliaque Sacramenta administrandi, & respectivè celebrandi, excepta tamen ob deformitatem manus distributione Sacræ Communionis, gratiosè concedi possit, præsertim cum supplicans valdè tenue beneficium possideat, ratione cujus omni hebdomada quatuor Missas celebrare tenetur*.

Divino præcepto in veteri testamento corpore vitiati a Sacerdotali officio arcebantur. Siquidem *Levit.*21. *vers.*18., & 19. habetur quod Dominus sic ad Moysen loquutus est= *Loquere ad Aaron. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo, nec accedat ad ministerium ejus si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore*

pere, *si herniosus*. Verum cum morte Christi præcepta omnia cæremonialia finem habuerint, idcirco hæc quoque lex desiit obligare, & in ipso Ecclesiæ initio, non attento an promovendi ad Sacerdotium, vel Episcopatum aliquo corporis vitio obnoxii essent, solum quærebatur quod apti fierent ad Sanctuarii ministerium, ac virtutibus pollerent, & omnibus qualitatibus, quibus verbo, & exemplo præesse possent gregi ipsorum curæ commisso. *Tomasin. de vet.*, *&* *nov. Eccles. discipl. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 78. *a num.* 2. *ad* 6., & in *Can.* 76. qui appellatur Apostolorum habetur = *Si quis vel oculo orbatus*, *vel fæmore oblæsus*, *Episcopatu autem dignus sit*, *fiat*. *Non enim Corporis damnum eum polluit*, *sed Animæ inquinatio*.

Quidquid tamen sit de veteri Ecclesiæ disciplina, certum est ex pluribus Summorum Pontificum responsis compertum hodie fieri, ab Altaris ministerio arceri, qui aliquo corporis vitio laborant. Etenim in *cap. Illiteratos dist.* 36. sic decernitur = *Illiteratos*, *aut aliqua parte corporis vitiatos*, *vel imminutos nullus præsumat ad Clericatus Ordinem promovere*. Et in *cap. Presbyterum I. de Clerico ægrotante* sancitum legitur = *Præsbyterum*, *cujus duos digitos cum medietate palmæ abscissos significasti*, *Missam non permittas celebrare*, *quia nec secure propter debilitatem*, *nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus*. *Ipsum autem cæteris Officiis Sacerdotalibus fungi minime prohibemus*.

Verùm si defectus talis sit, ut non impediat, quominus Sacerdos Missam celebrare valeat, nec scandalum generet, aut deformitatem, tunc celebratio permittitur, & dispensatio indulgetur. In *Cap. de Presbytero* 1. *de corpore vitiatis*, agebatur de Presbytero, qui in duello partem digiti amiserat, & requisitus Alexander III., an dictus Presbyter posset in suo Ordine ministrare, respondit = *De Presbytero Campaniæ*, *qui duellum sponte obtulit*, *&* *oblatum suscepit*, *&* *in eo partem digiti amisit*, *respondemus*, *quod cum ipse non perdiderit tantum de digito*, *quin sine scandalo possit sollemniter celebrare*, *satis potes post peractam pænitentiam cum eo misericorditer agere*, *&* *permittere in suo Ordine ministrare*, *licet ejus excessus gravis admodum extitisset* = Et in *Cap. Thomas eod. tit.* cum quidam Monachus ex percusione cujusdam Barræ ferreæ pollicis ungulam amisisset, & dispensationem postulasset, ut ad Sacros Ordines promoveri posset, Honorius III. respondit = *Thomas Monachus proposuit*, *quod cum in annis puerilibus esset constitutus quædam Barra ferrea super dexteræ suæ pollicem fortuito casu cadens ungulam avulsit ab eo*. *Quocirca mandamus*, *quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens*, *&* *aliud Canonicum non obsistat*, *propter disformitatem hujusmodi non dimittas*, *quin eum ad Ordinem promoveas Sacerdotis*.

Plura juxta rerum circumstantias prostant dispensationum exem-

exempla. Cum Regulari; cui ob morbum manus erat impedita, dispensatum fuisse; ut celebraret cum assistentia alterius Sacerdotis, refert *Henriq. lib.14. cap. 8. num.4. litt.Q.,& Lean. Oper. moral. part.5. tract. 2. de Irregular. quæst.89.*, qui ulterius *quæst. 90.* subdit, Romanum Pontificem dispensare posse cum Sacerdote carente utraque manu, ita tamen ut per manum alterius Sacerdotis Hostiam elevet, frangat, & sumat. In *Cusentina* Sacerdos quidam amiserat flexibilitatem brachii dexteri nec illud elevare, nec signo Crucis se signare poterat, nisi intercedente distantia unius circiter palmi a fronte, a pectore, ab unoque humero, & ab ore, nec in celebratione Missæ Sacram Hostiam, & Sanguinem sumere poterat. Postulavit itaque dispensationem, ut ope brachii, & manus sinistræ Missam celebrare posset, propositisque duobus dubiis I. *An Sacerdos sit irregularis in casu &c.* II. *An eidem sit concedenda dispensatio; ut Missam celebrare possit in casu &c.* = responsum fuit *die 13. Julii 1725.* Ad I: *Affirmative.* Ad II: *Arbitrio novi Archiepiscopi.* Similiter in *Placentina* relata inter supplices libellos *die 1. Februarii 1766.* concessa fuit dispensatio cuidam Sacerdoti, qui ex accepto vulnere in brachio dextero, nec Sacram Hostiam elevare poterat, nec Calicem ori admovere, nec pectus percutere cum diceret = *Domine non sum dignus* = *lib.116. decret. pag.50.* Ac demum *in Lunen. Sarzanen.* Sacerdos Thomas Bianchi ex apopletico morbo, non poterat calicem sumere, nec manum ori admotam tenere, nisi pollicem ab indice disiungeret: Petiit proinde dispensationem, ut in celebratione Missæ ope sinistræ manus uti posset, quam quidem dispensationem concessit S.Congregatio *die 26. Augusti 1769.*, & Sanctissimus die 28. *ejusdem mensis* adprobavit *lib.119. decret. pag.243.*

Verum in *Abellinen. irregularitatis* cum ageretur de Sacerdote; qui apoplesia correptus, nec læva manu uti poterat in sumptione Calicis, nec illum attollere ad ea verba *omnis honor, & gloria*; nec Hostiam super eum frangere, S. Congregatio die 28. Julii 1770. dispensationem denegavit. Præterea in *Augustana Irregularitatis* Sacerdos, & Parochus Josephus Frank ob subortam ex Chirurgi imperitia in sinistra manu inflammationem istius digitos amiserat. Postulavit itaque facultatem celebrandi cum digitis argenteis, quibus affabre elaboratis, & ab Episcopo consecratis ritus omnes, & Cæremonias, ipsam quoque Hostiæ elevationem, & fractionem, absque ullo incommodo, periculo, aut dedecore peragere posse dixit. Verùm cum quæsitum fuisset die 19. *Decembris* 1772. = *An sit locus dispensationi in casu &c.* = prodiit resolutio *Negativè*.

Notandum tamen in præsenti casu, quod Sacerdos Orator non solùm dispensationem postulat, ut Missam celebrare, sed

sed etiam ut munus Vice-Parochi exercere valeat. Quatenus ergo dispensationem pro celebratione Missæ indulgendam esse EEmi PP. existimaverint, rogantur perpendere, an etiam pro hujusmodi exercitio possit indulgeri. Porrò laborantibus aliquo corporis vitio illorum Ordinum, & functionum permittitur exercitium, quæ absque scandalo, & periculo peragi possunt *Tomassin. de vet.*, *& nov. Eccles. discipl. part.2. lib.1. cap.83. num 8.*, *Ferrar. in Bibliothec. verb. Irregularitas art. 1. in nov. addit. num 8.* & patet ex relato *Cap. Presbyterum 1. de Cleric. ægrotan.*, in quo cum Pontifex arcendum propter deformitatem, & scandalum decrevisset Sacerdotem a celebratione Missæ, tamen subdidit = *ipsum autem cæteris Officii Sacerdotalibus fungi minimè prohibemus*.

Perpensis itaque circumstantiis dijudicandum erit.

An, & quomodo sit locus dispensationi in casu &c.

CAJETANA. In Cathedrali Ecclesia Cajetana anno 1746. erecta fuit Præbenda Theologalis; anno verò 1749. Pænitentialis Præbenda juxta Concilii Tridentini dispositionem fuit instituta. Cum tamen omnes Capituli reditus ex unica massa proveniant, ex qua tum fructus Canonicatuum, tum quotidianæ distributiones detrahuntur, & inter omnes æquè partiuntur, idcircò Canonici Theologus, & Pænitentiarius nil ultra lucrantur, quam quod ab aliis omnibus percipiatur. Hac de re supplicem illi obtulerunt libellum Episcopo Cajetano Pastoralem agenti visitationem, relataque æquali inter omnes Canonicos fructuum partitione, asseruerunt, nullum omninò stipendium fuisse ipsis constitutum ratione muneris explicandi Sacram Scripturam, & excipiendi Fidelium Confessiones, sed ea tantùm fructuum quantitate contentos esse debere, quæ aliis assignatur. Præterea exposuerunt annuos reditus, comprehensis etiam distributionibus, non excedere summam ducatorum 60. pro quolibet, quæ ad onera Canonicalia obeunda vix pares esse noscuntur, cum præsertim detrahenda ex ea summa sit eleemosina pro Missis 300., quæ ab unoquoque singulis annis celebrari debent. *Sess.5. cap.1., & seqq.24. cap.8. de Reform.*

Hisce ergo de causis Episcopum rogarunt pro assignatione peculiaris Præbendæ, conficiendæ ex unione simplicium Beneficiorum, quæ primò forent vacatura. Episcopus verò ne quid ageret inconsulta Sede Apostolica, rem totam narravit Sac. Congregationi, asserens petitionem Canonicorum Theologi, & Pænitentiarii veritati, ac rationi consonam comperiisse. Veritati quidem, cum Præbendarum erectio peracta fuerit modo superius exposito: Reditus

tus verò ascendant ad ducata 60., ex quibus detrahenda sunt ducata 57. pro aliorum onerum implemento, prout ex libris Ecclesiæ, & ex Processu exarato occasione erectionis Præbendarum resultare testatur.

Rationabilem quoque retulit Oratorum petitionem, cum æquum sit, ut qui laboribus supra cæteros gravantur, pinguiori etiam Præbenda, seu Præstimonio fruantur. Præterea advertit; Canonicos Theologum, & Pænitentiarium juxta dispositionem Concilii Tridentini *sess. 5. cap. 1. de Reform.* ad propria munera adamussim exequenda per subtractionem fructuum fore cogendos, id tamen fieri non posse in Cathedrali Ecclesia Cajetana, in qua iidem Canonici nil aliud lucrantur, quam fructus, qui pro servitio Chori, & celebratione Missarum ab omnibus æquè percipiuntur. Hinc si Canonicos Theologum, & Pænitentiarium desides agnoverit in legendo Sacram Scripturam, aut excipiendis confessionibus, ex alia verò parte, quoad servitium Chori, & celebrationem Missarum diligentes compererit, quomodo in hisce circumstantiis se gerere debeat Episcopus, prorsus ignorat.

Adidit fuisse a Concilio Tridentino tributas Episcopis facultates uniendi simplicia beneficia Præbendis Theologali, & Pænitentiariæ non solum ut ipsæ erigantur, sed etiam ut earum reditus, si post erectionem tenues comperti fuerint, augeantur; atque idcircò Canonicis Theologo, & Pænitentiario in omnibus Cathedralibus peculiare stipendium assignatum inveniri, de quo tunc solum participent, quando onera ipsis inhærentia adamussim adimpleverint. Hæc Episcopus animadvertenda censuit; cæterum sapientissimum EE.VV. judicium expectat.

Summorum Pontificum, Conciliorumque decretis inhærens S. Tridentina Synodus *sess. 5. cap. 1. de Reform.* de Præbenda Theologali pro Lectore S. Scripturæ hæc habet = *In Ecclesiis autem Metropolitanis, vel Cathedralibus, si Civitas insignis, vel populosa fuerit . . . ubi nulla Præbenda, aut Præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, Præbenda quomodocumque, præter quam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto constituta, & deputata intelligatur, & quatenus in ipsis Ecclesiis nulla, vel non sufficiens Præbenda foret, Metropolitanus, vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis Beneficii ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum suæ Civitatis, & Diæcesis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut ipsa Sacræ Scripturæ lectio habeatur* = De Pænitentiario verò *sess. 24. cap. 8. de Reformat.* statuit, ut *in omnibus etiam Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commodè fieri poterit, Pænitentiarius aliquis cum unione Præbendæ proximò vacaturæ ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel* Do-

Doctor . . . qui dum Confessiones in Ecclesia audit, interim præsens in Choro censeatur.

Quia verò Concilium Tridentinum non absolutè facultatem tribuit Episcopis assignandi Lectori S. Scripturæ simplex aliquod beneficium, sed *quatenus in ipsis Ecclesiis nulla, vel non sufficiens Præbenda foret*, Canonico autem Pænitentiario jussit Præbendam tantum proximè vacaturam assignari, idcircò Doctores nonnulli inferunt non licere Episcopo ad instituendam Theologalem, vel Pænitentiariam Præbendam simplicia beneficia unire, quando Præbendæ vel Canonicatus adsint; idque decisum ab hac S. Congregatione fuisse tradunt *Pignattel. consult. Canon.62. num.17. tom. 3.*, *Barbos. in d. cap. Concil. Trident. num.38.*, *Corrad. in prax. Benef. lib.2. cap.5. num.16.*, *Card. Petra ad Constit.* 11. *Innocentius VI. num.12. tom.4.* Quod si in Cathedrali nullæ adsint Præbendæ, fructusque omnes in quotidianis distributionibus consistant, assignari poterunt hujusmodi distributiones, quæ loco Præbendæ succedant, quemadmodum a S. Congregatione definitum referunt *Garz. de Benef. part.5. cap.4. num.128.*, *Corrad. loc. cit. num.13.*, & 14., *Barbos. de Canon. cap.27. n.7.*, *Pignatel. loc. pariter cit. n.20.*

Sanè in *lib.28. decret. fol.331.* legitur casus Sac. Congreg. propositus *in Anagnina Theologalis 23. Julii* 1674. his verbis expressus = *Canonicus Theologus Cathedralis nullos reditus habens præter simplices distributiones quotidianas pro Divinis Officiis, quas habent alii etiam Canonici non excedentes scuta 60., supplicat declarari, an ei pro onere Lecturæ, quod subit singulis hebdomadis, assignandum sit aliquod stipendium particulare. Sacra Congregatio respondit Negativè*= Accessit tamen notissima Constitutio Sa. Me. Benedicti XIII. incipien. = *Pastoralis Officii* = 14. Kal. Junii 1725., ubi in §. *Cæterum* præter alia statuitur, *tertiam partem proventuum d. Præbendæ Theologalis ab Episcopo distribui, & proportionabiliter applicari singulis lectionibus S. Scripturæ, quæ a Præbendato præscriptis diebus, & horis totius anni habendæ erunt; ita ut si Præbendatus universas lectiones habuerit, assignatas distributiones integras absque ulla prorsus diminutione consequatur; si verò in aliqua, vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis Lectionibus respondentes amittat, quæ in Sacristiæ Ecclesiæ beneficium cedant, & erogentur; In casu autem gravioris contumaciæ Præbendati liceat Episcopo deputare alium Theologum, Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem, qui jugiter supplendo ejusdem Præbendati vices, præfatis distributionibus potiatur.*

Verum laudatus Pontifex accuratè prævidit, simulque opportunè consulere voluit tenuitati Præbendæ Theologalis. Quarè in §. *Quoniam* memoratæ Constitutionis mandavit, *quod ubi Præbenda Theologalis computatis etiam distributionibus quotidianis ad annuum saltem reditum scut.60. monetæ Romanæ non ascendat, pro summa ad hanc taxam conficiendam deficiente iidem*

te iidem Episcopi unire possint, & debeant eidem Præbendæ aliquod simplex beneficium, cujus supplemento prædicta summa conficiatur. Ac tandem §. *Postremò* hæc addidit = *Postremo quicumque hactenus de Præbenda Theologali, & Sacræ Scripturę lectione sancimus, extendimus, ac adamussim observari volumus, & mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici Penitentiarii in illis Cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus, ejusque honestam sustentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia, & preter illa, que a Nobis superius disposita sunt, ea insuper, que Tridentina Synodus cap. 5. sess. 24. de Reform. de hujus Ministri qualitate, ętate, & exemptione a servitio Chori constituit exactè observari decernimus.*

Hac itaque stante Benedictina Constitutione controversia orta est, an pro constituenda congrua scut. 60. Canonicis Theologo, & Pænitentiario detrahenda forent onera; propositoque S. huic Congregationi dubio in *Camerinen. Præbendæ Theologalis, & Pęnitentiariæ I. = An congrua favere Præbendarum Theologalis, & Pænitentialis Ecclesiæ Cathedralis ad tramites Concilii Romani tit. 1. cap. 6. supplenda usque ad summam scut. 60. sit computanda deductis oneribus dictarum Præbendarum, & respectivè Beneficiorum uniendorum in casu &c.* = responsum fuit *die 3. Decembris 1735.* = Ad I. *Affirmativè.* Dubitatum præterea fuit an in unione simplicium Beneficiorum juxta mentem Benedictinæ Constitutionis Præbenda Theologalis, seu potius Pænitentiaria præferri deberet, discussoque dubio in eadem *Camerinen.* II. = *An Præbendæ Theologali, seu potius Pænitentiali competat prælatio in unione dd. Beneficoorum in casu &c.* = sequens prodiit resolutio = Ad II. *in casu, de quo agitur unienda esse unicuique pro medietate, & amplius* = Prostat utrumque decretum in *lib. 85. decret. S. Congregationis pag. 451.*

Perpensis itaque tum juris dispositione, tum facti circumstantiis EE. PP. dijudicabunt.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 26. Februarii 1774. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRes in hodierno Folio adjiciuntur Causæ, quæ cum aliis in præcedenti Folio relatis sapienti EE.VV. judicio subjiciuntur.

ALBEN. IRREGULARITATIS. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu &c.

In Decisis.

AQUIPENDIEN. FUNCTIONUM. *Ses. 21. cap. 13. de Reform.*

I. *An liceat PP. Carmelitis Terræ Celleris intervenire in Ecclesia Parochiali dictæ Terræ Officiis, quæ celebrantur pro Animabus Purgantibus semel in mense, & pro Animabus Defunctorum bis in anno, in casu &c.*

II. *An PP. Carmelitæ dictæ Terræ participare debeant de eleemosina solita pro celebratione dictorum Officiorum, in casu &c.*

III. *An PP. Carmelitæ participare debeant de eleemosinis recollectis occasione supradictorum Officiorum ad effectum celebrandi Missas in propria, & Parochiali Ecclesia, in casu &c.*

IV. *An liceat dictis PP. Carmelitis intervenire in dicta Ecclesia Parochiali, aliisque Ecclesiis præfatæ Terræ omnibus, & singulis Functionibus, quæ infra annum celebrantur, & respectivè exigere solitam eleemosinam, in casu &c.*

V. *An competat Jus Archipresbytero exercendi sacras Functiones, & celebrandi Missam sollemnem in Ecclesiis S. Ægidii, & S. Rocci, & deferendi Sacram Reliquiam in dicta Ecclesia, in casu &c.*

Et quatenus affirmativè

VI. *An eleemosinæ, quæ in deosculatione dictæ Sacræ Reliquiæ recolliguntur, pertineant ad Archipresbyterum, vel ad PP. Carmelitas, in casu &c.*

VII. *An Archipresbyter exercere valeat jus Parochiale in dictis Ecclesiis S. Rocci, & S. Ægidii, in casu &c.*

Dilata.

Sess.25. cap. 9. de Reform.

CASALEN. CONCORDIÆ.
An sit adprobanda transactio, in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess.25.cap.1. de Reform.

OVETEN. MISSÆ PRO POPULO.
An & quomodo sit locus applicationi Missæ pro Populo in casu &c.

Episcopus se gerat ad formam Constitutionis san. mem. Benedicti XIV. incipien. *Cum semper oblatas*.

Sess. 24. cap.6. de Ref.. & sess.22 Decr. de observ., & evitan. in celebr. Missar.

TREVIREN. IRREGULARITATIS.
An, & quomodo sit locus dispensationi, in casu &c.

Pro gratia arbitrio, & conscientiæ Ordinarii facto verbo cum Sanctissimo.

CAJETANA.
An, & quomodo sit providendum, in casu &c.

Sess.5. cap.1., & seqq.24. cap.8. de Reform.

Affirmative, & esse providendum per unionem simplicium Beneficiorum usque ad summam scutorum sexaginta ad formam Constitutionis san. mem. Bened. XIII. *Pastoralis officii*, deductis oneribus.

ARI-

ARIMINEN. CAPELLANIÆ. Per actum donationis, quæ dicitur *inter vivos*, Benedictus Sampieri de Castro Gambettulæ donavit Sacerdoti Fabritio Panzani nonnulla designata Bona, quorum tamen vigesimam ad effectum testandi, & usumfructum quoadviveret sibi reservavit. Onus imposuit Sacerdoti donatario celebrandi Missas quinque singulis hebdomadis, quatuor nempe in Ecclesia Divi Benedicti a se ipso constructa, aliam verò in qualibet sibi benevisa Ecclesia. Post obitum ejusdem Sacerdotis donatarii mandavit, *che la presente donazione cada con tutti li patti, ed obblighi sudetti a quel figlio sarà capace nato dal Signor Gio: Battista Panzani Fratello del sudetto Signor D. Fabrizio, e dopo la morte di questo tal donazione vuole, che vada alla Communità di Gambettola con la libera facoltà di eleggere un Cappellano a suo piacimento.* *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Reform.*

Deinde Testamentum condidit, in quo non solum declaravit quidquid in donatione expresserat, sed plures etiam addidit leges; atque onera. Siquidem declaravit suam fuisse mentem erigendi laicalem Capellaniam in Ecclesia S. Benedicti, cujus dotem auxit, ejusque favore de vigesima, quam sibi in donatione reservaverat bonorum parte disposuit. Onus verò addidit celebrationis Missæ quolibet die sive festo, sive feriato, tributa tantùm Capellano vacatione unius diei in singulas hebdomadas. Præterea eidem Capellano onus injunxit persolvendi annuum livellum scutorum 15. filiæ suæ Moniali, & post istius obitum tradendi dotem scutorum 10. alicui pauperi Puellæ Parochiæ S. Ægidii nuncupat. *del Bosco*. Ac demum mandavit, ut a Capellano duo celebrarentur officia Missarum decem pro quolibet, alterum nempe in festo S. Benedicti, aliud autem in die sacro Beatæ Mariæ de MonteCarmelo. Quo verò ad nominationem Capellani præcepit, ut post obitum Sacerdotis Fabritii Panzani eligeretur *un Figlio del Signor Gio: Battista Panzani, che venga istradato al Sacerdozio, oppure sia Sacerdote*, deinde *un Figlio, che sia Sacerdote di Giuseppe, e di Pietro Giovanni Zani*, ac postea *un Figlio, che sia Sacerdote di Francesco, e Lorenzo Montanari*, & demum *uno, che sia Sacerdote della Famiglia discendente da detto Signor Gio: Battista Panzani*; quibus omnibus deficientibus jus nominandi tribuit Communitati Gambettulæ, cum lege, *che dovrà sempre nominare un Sacerdote, e debba prima nominare, e preferire uno, se vi sarà, della Famiglia Panzani*.

Post obitum Sacerdotis Fabritii primi Capellani tam in donatione, quam in testamento nominati, existimans Communitas Gambettulæ nullum ex filiis Joannis Baptistæ Panzani idoneum esse ad Capellaniam assequendam, devenit ad nominationem Capellani in personam cujusdam Sacerdotis Fiorucci. Verùm clamavit Joannes Baptista nomine Jo-

Josephi filii sui, & favorabilem ab A.C. sententiam reportavit, cum lege tamen, ut postquam Josephus ad ætatem annorum 25. pervenisset ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem promoveri debuisset, atque huic sententiæ acquivit Communitas, & Josephus Capellaniam usque ad obitum possedit, quamvis Sacros Ordines nunquam susceperit. Hoc autem defuncto comparuit Petrus Panzani nomine Joannis Baptistæ filii, & prævio monitorio manutentionem petiit bonorum ad Capellaniam pertinentium, sed Communitas coactis Comitiis in Capellanum elegit Sacerdotem Jacobum Tonielli. Itaque Petrus Panzani supplicem obtulit Sanctissimo libellum, quo petiit pro filio dispensationem a requisita qualitate Sacerdotali, eodemque tempore causam super manutentione prosequi curavit; sed rejecta manutentione, remissoque Sacræ huic Congregationi libello super petita dispensatione, concordata a Partibus fuerunt dubia, quæ in calce transcripta sunt. Interim a lite recessit Joannes Baptista, & Petrus Panzani alterum filium Fabritium substituit, cujus nomine causa modo agitur.

Contendit proindè Fabritius ad I. dubium sibi competere prælationem ad Capellaniam, utpoté descendenti ex Familia Panzanì a Testatore prædilecta, & expresse vocata *Piton. de controv. Patron. allegat.* 8. *num.* 2., *Rot. coram Pamphil. decis.* 99. *num.* 3.. Prædilectionem autem, apertamque vocationem ex testamenti contextu desumi; nec obesse defectum qualitatis Sacerdotalis, tum quia res est de Capellania merè laicali, & collativa, tum ètiam quia Testator nullibi præscripsit, ut Capellanus per se ipsum Missas celebraret *Pignattell. consultat. canon.* 2. *num.* 2. *tom.* 7., *Rot. dec.* 520 *num.* 8. *coram Merlìn.*, & Sacra Congregatio in *Ariminen.* 17. *Maji* 1636.. Cæterum observat vocabulum Sacerdotis Testatorem tantummodo usurpasse quoad Capellanos substitutos ex Familiis Zani, & Montanari, non tamen in descendentibus a Familia Panzani. Siquidem post obitum Sacerdotis Fabritii ab ipso nominati, Capellaniam conferri voluit uni ex filiis Joannis Baptistæ Panzani, *che venga istradato al Sacerdozio*, & reliquos ex ea Familia descendentes vocavit *come sopra*, quæ quidem clausula eumdem succedendi modum, atque ordinem repetit *Rot. in Recent. decis.* 269. *num.* 8. *part.* 5., *dec.* 175. *num.* 10. *part.* 6., & *dec.* 177. *num.* 14. & 15. *part.* 9.. Præsertim quia Orator est de prædilecta Familia Panzani, eique proinde concessum censeri debet quidquid aliis ex ea Familia largitum noscitur *Peregrin. de fideicomm. art.* 16. *num.* 68., *Menoch. consil.* 117. *lib.* 81. *num.* 2., *Piton. de controv. Patron. alleg.* 80. *num.* 14.

Quare idoneum se dicit ad Capellaniam assequendam, etiamsi tempore vacationis Clericus non esset, & sextum ætatis an-

annum non excesserit, cum sufficeret propensa voluntas ingrediendi viam Ecclesiasticam postea panditam per susceptionem Ordinum, & quod in habitu Clericali incederet *Garz. de Benefic.par.7. cap.1.num.9. & 10.* Nilque officere, quod Testator Capellaniam in designata Ecclesia fundaverit, nec non Missarum onus adjecerit; cum hæc omnia *demonstrativè* tantùm apposita censeri debeant ad indicandam erectionem Capellaniæ, non autem *dispositivè* ad illius qualitatem demonstrandam. Et hanc revera fuisse Testatoris voluntatem ex eo resultare affirmat, quod quamvis ipse in primum Capellanum nominaverit Sacerdotem Fabritium Panzani, nihilominus eidem facultatem tribuit Missarum onera per alium adimplendi, si forte aliquo impedimento detineretur. Hinc arguit nominationem Sacerdotis in primum Capellanum præseferre non posse qualitatem Capellaniæ Sacerdotalem, cum de natura Capellaniæ Sacerdotalis sit, ut Missarum onera nonnisi quam ab ipso met Capellano impleantur; atque idcirco præsumi debere Sacerdotem Fabritium fuisse a Testatore nominatum ex affectione potius, & sanguinis conjunctione, quam ad Sacerdotalem Capellaniæ qualitatem suadendam, *Rot. coram Tanar. dec.197. num.11.*, & *in Firmana Capellaniæ 7. Junii 1751. coram Matthæjo*. Addit, hujusmodi qualitatem nullimodè fuisse a Testatore requisitam in Josepho Panzani, qui post obitum Sacerdotis Fabritii Capellaniam obtinuit, cum de illo expresse dixerit, quod *in caso non fosse Sacerdote . . . . in tal caso mi contento, che li suoi Parenti, o lui medesimo faccia celebrare gl' obblighi di Messe*.

Atque ex hoc ipso, quod Testator Capellaniam retineri voluerit ab eodem Josepho etiamsi Sacerdos non esset, eique indulserit, ut per alium Missarum oneribus satisfaceret, infert, vocabulum Sacerdotis adjectum tantummodo fuisse ad indicandum quemcumque Ordinem Ecclesiasticum, quia sub hoc vocabulo indiscriminatim tam Presbyteri, quam inferiores Clerici comprehenduntur, & communiter usurpatur ad distinguendos Clericis a Laicis *Fagnan. in Cap. Ut Abbates de ætat.*, & *qualit. præfic. num.61.*, *Barbos. ad Concil. Trident. sess.22. de Reform. cap.4. num.14.*, *Piton. consult. 2. num.23.* Idque confirmari ab exitu litis actæ a Communitate cum Josepho Panzani, qui favorabilem ab A.C. sententiam reportavit, & licet prima solùm tonsura insignitus, Capellaniam tamen acquiescente Communitate ad obitum usque pacificè possedit. Hunc autem statum, qui ultimus est, & Communitatis acquiescentia probatum maximè spectari debere existimat, & ad illius tramites proferri judicium *Rot. decis.75. num 7. coram Lancett.*, & *in Recent. decis.329. num.6. part.18.* Concludit sibi uni adjudicandam esse Capellaniam ad exclusionem extranei, qualis

lis est Sacerdos Antonius Tonielli: Maximè quia istius nominatio illegitimis, & simoniacis artibus a Communitate fuit exarata.

In omnem casum sustinet ad II. denegandam sibi non esse dispensationem super defectu ætatis, & qualitatis Sacerdotalis, tum quia agitur de persona expresse a Testatore vocata, & prædilecta, tum etiam quia res est de Capellania laicali, licet Testator præceperit, quod Missæ *dovranno sempre celebrarsi da detto Cappelliano pro tempore*, quia Capellano injunctum non fuit onus celebrandi *per se ipsum*, & verba illa *demonstrativè* tantùm apposita censeri debent. Quamvis autem Capellania esset Sacerdotalis, & hujusmodi qualitas in Capellano requireretur, existimat nihilominus indulgendam in præsenti casu dispensationem, cum nullus adsit vocatus, & prædilectus, qui sit actu Sacerdos *Piton. de controv. Patron. alleg.* 17. *num.* 15.. Despiciendum verò Communitatis præjudicium ex sequutâ Capellani nominatione: Observat enim non potuisse Communitatem ad nominationem devenire pendente supplicatione apud Sanctissimum pro obtinenda dispensatione, quia per rescriptum Summi Pontificis idoneus evadere potuisset Orator ad Capellaniam assequendam, licet idoneus revera non fuisset.

Hinc arguit ad III. sustineri non posse nominationem Sacerdotis Tonielli, quoties aderat persona prædilecta, & a Testatore expresse vocata, quæ ope dispensationis Capellaniam obtinere potuisset. Præterea ejusdem Sacerdotis nominationem simoniaca labe infectam dicit, prout in sua relatione testatur Episcopus Ariminensis; eo quia promiserit, sesequè obligaverit Missas celebrare facere a filio cujusdam Consiliarii, qui suffragium in publicis Comitiis pro collatione Capellaniæ ferre debebat, cum eleemosina obulorum 15', ùnde etiam ex hoc capite irritandam fore confidit.

Ex alia tamen parte Defensores Communitatis Gambettulæ quoad I. dubium existimant nullam Fabritio Panzani competere prælationem ad Capellaniam, utpote quia Fundator non omnes descendentes, sed unum tantùm ex filiis Joannis Baptistæ Panzani ad illam in donatione invitaverit. Cum ergo unus ex filiis Joannis Baptistæ Capellania potitus fuerit, nulli amplius affirmant esse locum substitutioni *Leg. Qui Hæred. §. Plautius ff. de condit.*, *& demonstr.*, *Rot. coram Molin. decis.* 654. *num.* 10., *& coram Cerro decis.* 413. *num.* 1.. Inanem vero esse prædilectionem erga omnes descendentes familiæ Panzani ex testamento mutuatam, cum post exaratam donationem non posset Fundator novas in testamento conditiones adjicere, multoque minus jus nominandi Communitati tributum immutare *Leg. Perfecta Cod. de donat.*, *Rot. in Recent. decis.* 515.

cis.515. num.1. & seq. . Cæterum etiamsi testamentum attendi deberet, contendunt nihilominus nullam Fabritio tribui posse prælationem, quoties Secerdos non sit, cum Testator non aliter descendentes ex familia Panzani præferri in Testamento voluerit, quam si Sacerdotali carachere essent insigniti: Nec prodesse, quod Capellania sit laicalis, & retineri possit etiam a pueris, & fœminis; id enim procedere dicunt, quando non obstet Fundatoris voluntas, quia Capellania potest esse laicalis, quatenus nullam super ea jurisdictionem, & auctoritatem exercere valeat Episcopus, sed tamen nonnisi a Sacerdote possideri debeat *Card. de Luc. de Jurepatr. discur.45. num.10.*, *Rot. in Recent. decis.182. num.14.*, *& seq. par.18.*

Ex testamento autem resultare dicunt, quod post obitum Josephi Panzani, in quo uno qualitatem Sacerdotalem Testator non requisivit, de aliis expressè præceperit, ut Sacerdos semper ad Capellaniam institueretur. Nec vocabulum Sacerdotis tam latè sumi posse, ut simplicibus etiam Clericis conveniant, cum nimis aperte pandita dignoscatur Testatoris voluntas non alios admittendi, quam eos, qui Sacerdotali carachere essent insigniti; idque etiam factum fuisse Petrum Panzani Fabritii Patrem in foliis ad Episcopum Ariminensem transmissis. Advertunt præterea Sacerdotis vocabulum etiam lato modo sumptum aptari non posse eidem Fabritio, qui nec prima tonsura est insignitus, & ob teneram ætatem annorum septem loqui nondum didicit.

Ad II. contendunt neque ex donatione, neque ex testamento justam causam, aut rationem erui posse pro obtinenda dispensatione. Non quidem ex donatione, quia in ea Fundator vocavit unum ex filiis Ioannis Baptistæ Panzani, deindeque jus nominandi tribuit Communitati Gambettulæ *con libera facoltà di eleggere un Cappellano a suo piacimento*, absque ullo onere præferendi in nominatione aliquem ex descendentibus a familia Panzani. Nec ex testamento, quia Testator descendentes ex eadem familia non aliter præferri voluit, quam si essent actu Sacerdotes. Cum ergo Fabritius non sit Sacerdos, & jam adsit Capellanus a Communitate nominatus, qui hujusmodi qualitate polleat, nullam proindè concludunt superesse causam dispensandi, & fundationis legi suprema auctoritate derogandi *Lambertin. de Jurepatr. lib.2. par.3. quæst.9. art.10.*, *Gonzal. ad reg.8.Cancel.*, *Rot. in Recent. decis.159. num.12. par.10.* . Maxime quia dispensatio jus adimeret jam Communitati quæsitum, in cujus præjudicium gratia retorqueri deberet *Pignattell. consult. canon.52. num.7.*

Sustinent ad III. tam vigore donationis, quam testamenti jure potuisse Communitatem ad Capellani nominationem devenire. Repetunt hoc etiam in loco per donationem

tributam Communitati fuisse facultatem eligendi Capellanum *a suo piacimento* post mortem filii Joannis Baptistæ Panzani. Per testamentum verò impertitam fuisse prælationem tantùm Sacerdoti ex familia Panzani, qui modò non adest. Perperamque opponi simoniæ vitium in electione Sacerdotis Jacobi Tonielli, quia iste convenerit cum altero Sacerdote Petro Antonio Pedrelli de mutuò inter se dividendis Capellaniæ emolumentis, atque etiam quia uterque promiserit uni ex Consiliariis suffragium pro nominatione Capellani laturo, quod onera Missarum Capellaniæ inhærentia adimplere faciet per filium suum cum eleemosina manuali majore. Respondent enim, quod cum res sit de Capellania merè laicali, non solum conditiones pacisci, sed etiam pecunia offerri potest *Abbas cons* 47. *par*.2., *Barbos. jur. Eccl. univ. lib* 3. *cap*.5. *sub num*.3., *Gonzal. ad reg* 8. *Cancell. gloss*.5. *num*.25. Et quamvis ageretur de Beneficio Ecclesiastico, nihilominus affirmant nil à Sacerdotibus Tonielli, & Pedrelli gestum fuisse, quod simoniam saperet, cum ambo convenerint super jure incerto, nec vetitum alicui sit in totum, vel in parte cedere commodum, quod ex futuro eventu sibi obventurum confidit *Leg. Qui studet* 1., *& Cap. Cum pridem de pactis*, *Piton. discept. Eccles*. 138. *num*. 17.

Quoad promissionem factam uni ex Consiliariis præmittunt Communitatis Consilium non constitui ab uno Consiliario, cujus etiam dempto suffragio, sufficiens tamen fuisset aliorum octo Consiliariorum suffragium, qui Sacerdotem Tonielli elegerunt, licèt sex tantùm requirerentur. Deindè contendunt promissionem nullo modo simoniacam dici posse, cum non principaliter, sed secundariò facta deprehendatur *Piton. discept. Eccles*. 138. *num*. 22., *Bonaccin. tom*.1. *de Simon. disp*.1. *quæst*.1. *sub num*.6, *Farinacc. consult*.180. *num*. 1., Ac præterea asserunt hujusmodi promissionem fuisse revocatam priusquam Consiliarii ad nominationem Capellani devenirent, cum ambo Sacerdotes restitui sibi curaverint syngrapham promissionem continentem, atque apertè professi fuerint illam fuisse abrogatam.

Despiciendam verò censent oppositam nominationis nullitatem, utpotè factam pendente recursu apud Sanctissimum pro dispensatione, cum extrajudicialis recursus nullam præseferens inhibitionem, & solùm gratiam respiciens, impedimento esse non posset, quominus Communitas jure suo uteretur. Denique nullius ponderis existimant difficultatem ab Episcopo Ariminensi in sua relatione expositam, quod scilicèt Communitas pro hac vice à jure nominandi ceciderit, utpotè quia nominationem expleverit elapso jam quadrimestre a die vacationis Capellaniæ. Inquiunt enim, quod cum res sit de Capellania laicali nullus in jure præfinitus reperitur terminus Patro-

nis

nis ad nominandum, sed nominandi facultas etiam quoad tempus tota pendeat a Patronorum arbitrio independenter ab Ordinario *Rot. coram Molin. decis.*422. *num.*13.

Episcopus postquam Collitigantium jura fusius retulit, concludit jus nominandi Capellanum competere Communitati Gambettulæ, sed pro hac vice illud ad se devolutum dicit, tum quia electio Sacerdotis Tonielli simoniaca est, tum etiam quia nonnisi expleto quadrimestre Communitas ad nominationem devenit.

Voluntas Fundatoris pro erectione Capellaniæ Laicalis tam ex donatione, quam ex testamento desumitur. Verùm in testamento nonnullæ adjectæ comperiuntur conditiones, & onera, idque fieri posse non solùm a Fundatoribus, sed etiam a Patronis, qui Capellaniæ, aut Beneficii dotem àuxerint, censet *Lambertin. de Jurepatron. lib.*1. *par.*2. *quæst.*4. *art.*4. *num.*20., *Rot. coram Seraphin. decis.*1414. *num.*1., *coram Coccin. decis.*146. *num.*9. & S. Congregatio in *Melevitana Jurispatronatus* 2. *Junii* 1729.. Videndum tamen in præsenti casu, an per augumentum dotis tolli potuerit, aut interverti, aut immutari jus Communitati ex præcedenti donatione quæsitum.

Ponderandum præterea, an per demandatam nominationem Sacerdotis exclusus dici debeat Clericus, etiamsi ex prædilecta familia descendat. Porrò *Ferrar. in Biblioth. verb. Capellania num.*20. *&* 21., existimat Capellaniam conferri etiam posse simplici Clerico, quando Fundatnr dixerit = *Instituatur Capellanus*, *qui Missas celebret* = quia hoc modo censetur Testatorem indicare potius voluisse onus celebrationis Missarum, quam Capellani qualitatem; & allegat *Fagnan. in Cap. Ut Abbates* 1. *de ætat.*, *& qualit.*, *& ordine præficiend. num.*70.. Quod si Testator dixerit = *Volo, ut præsentetur*, *aut instituatur Sacerdos*, *vel Capellania conferatur Sacerdoti*, tunc nonnisi Presbyterum ad illam nominare posse putat *Lambertin. de Jurepatron. part.*1. *lib.* 2. *quæst.*7. *artic.* 29.. Sacra Congregatio in *Imolen.* 23. *Maii* 1722., in qua Fundator injunxerat erectionem *Jurispatronatus merè laicalis*, cum certo Missarum onere, & quatenus Capellanus esset infirmus, aut legitimè impeditus voluit, ut per alium eidem oneri satisfaceret, proposito dubio = *An Beneficium sit Sacerdotale*, *in casu &c.* = responsum fuit = *Affirmativè*.

Dispensatio super defectu ætatis facilius a Sede Apostolica concedi solet Consanguineis Fundatoris, ut aliquid commodi tribuatur sanguini, & sæculares ad fundationes Beneficiorum in augumentum divini cultus peragendas alliciantur. Cavendum tamen, ne aut Beneficii qualitas, & natura, aut Testatoris voluntas obstet, & ne alicui per dispensationem præjudicium inferatur. Non enim ope dispensationis proximior præferri debet in præjudicium re-

motioris jam præsentati, & qualitatibus præditi, ut ait *Monacell. tom.3. lib.2.*. Duo itaque in præsenti casu perpendenda sunt, primo an ritè Communitas ad nominationem devenire potuerit pendente recursu ex parte Fabritii Panzani pro dispensatione. Deindè an Communitas a jure suo ceciderit ob elapsum quadrimestre a die vacationis Capellaniæ, prout Episcopus censet.

Tandem ponderandum, an simoniaca labe infecta censeri possit electio Sacerdotis Tonielli vel quia convenerit cum Sacerdote Pedrelli de dividendis Capellaniæ emolumentis, vel quia promiserit Missas celebrare facere a filio unius ex Consiliariis, qui suffragium ferre debebat. Advertendum, an simonia locum habeat dum agitur de Capellania mere laicali, & an tempore habili, & ante nominationem pactio fuerit abrogata, ac revocata. His ergo, aliisque perpensis circumstantiis dignabuntur Emi PP. definire.

I. *An competat Fabritio Panzani prælatio ad Capellaniam de qua agitur in casu &c.*

Et quatenus Negativè.

II. *An sit illi concedenda dispensatio in casu &c.*

Et quatenus Negativè.

III. *An sustineatur nominatio facta a Communitate, seu potius sit deveniendum ad novam nominationem in casu &c.*

Non proposita cum reliquis.

Sess. 23. cap. 1. de Reform.

LUCEN. APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO. Decennio post editam a sa. mem. Benedicto XIV. notissimam Constitutionem *Cum semper oblatas*, in qua multa de applicatione Missæ pro Populo disertè præscripsit, & declaravit, Episcopus Lucensis in Galæcia nonnulla anno 1755. ad illius normam condidit Statuta. Inter cætera mandavit, ut Parochi, qui duas insimul unitas Parochias haberent, non una tantùm diebus festis Sacrificii applicatione contenti essent, sed in una Parochia per se ipsos, in alia verò per alterum Sacerdotem Missam pro Populo celebrare, atque applicare tenerentur. Non omnibus tamen hæc arrisit ordinatio: Hinc pluribus Episcopali mandato plaudentibus, aliis vero contradicentibus res eo devenit, ut

ut pugnantium opinionum discrepantia ad hæc usque tempora protracta fuerit, & adhuc perseveret. Itaque Josephus Didacus Guttierez Rector Parochiæ de Meilan, cui altera unita reperitur, dubius quid agere debeat, pro conscientiæ serenitate, quæstionem ab EE. VV. definiri supplicat.

Episcopus hodiernus de more auditus refert, Parochorum voluntatem explorasse, eorumque sententias sedulò requisivisse, quas tamen adeo inter se discordes reperiisse dicit, ut nihil certi constitui possit. Quare è re sua censuit rationes pro utraque parte exponere, ut ex earum accurato examine certum proferri valeat super proposita controversia judicium.

Et sanè, qui onus duplicis applicationis inherere existimant Parocho duabus Parochiis præposito, innituntur synodalibus Diœcesis Constitutionibus anni *1669.*, quibus applicatio Missæ pro Populo Animarum Rectoribus ita præcise iniungitur, ut si in distinctis sui regiminis Ecclesiis bis eodem festo celebraverint, utramque Missam pro suo respectivè Populo applicare teneantur, quacumque alia obligatione postposita, nulloque a Fidelibus accepto stipendio. Huic sanctioni sese conformavit anno 1755. Lucensis Episcopus dum Benedictinam Constitutionem promulgavit, & observari jussit; & ne quid ad Parochorum sublevandam inopiam deesse videretur, eamdem quam laudatus Pontifex Benedictus XIV. indulserat moderationem, & ipse permisit, ut scilicet Parochi verè pauperes alteram ex Missis accepta eleemosina pro Benefactore applicare possent, dummodo ad aliam infra hebdomadam diem applicationem pro ovibus suis transferrent.

Synodales hac de re Constitutiones conformes asserunt dispositioni Concilii Tridentini, nec non Constitutioni Benedictinæ, & Sac. hujus Congregationis judicio, quia cum Populus ad audiendam Missam diebus festis adigatur, æquum videtur, ut Parochus pro Populo Sacrificium offerat propitiationis, & laudis. Atque hæc ratio non solum militat pro uno Parocho, qui uni tantùm Parochiæ præest, sed etiam pro Parocho, qui duabus, vel pluribus Parochiis inserviat, cum in unaquaque Parochia Populus assistat ad adimplendum præceptum. Præterea advertunt festis præcipue diebus teneri Parochum fidei rudimenta docere, ac Fideles pabulo Verbi Dei, & Sacramentorum administratione reficere, atque idcircò congruum esse, ut etiam pro Populo orare, & sacrificium offerre teneatur. Et quamvis unus Parochus diversis regendis Parochiis sit præpositus, non tamen convenire, ut Populus unius, vel alterius Parochiæ Spirituali auxilio applicationis Missæ privetur, sed unumquemque Populum Sacrificii fructu potiri debere, cum præsertim ab unoquoque Populo stipen-

pendia Parochus accipiat. Denique putant adigendum Parochum in diversis Parochiis Missam sive per se, sive per alium applicare, quia in qualibet Parochia celebrare ex officio debet Missam Parochialem, & juxta receptam Auctorum opinionem a Sac. Congregatione probatam, tenetur Parochus ad applicationem Missæ pro Populo, quoties ex officio celebrare teneatur.

Verùm contrariæ opinionis adsertores affirmant, neque in Constitutione sa. mem. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*, neque aliis in locis verbum ullum fieri de onere applicationis in diversis Parochiis uni Parocho commissis, licet sæpius actum fuerit tam de facultate concedenda Parochis bis eadem die celebrandi, quam de aliis rebus ad materiam de celebratione, & applicatione Missæ illustrandam, atque explicandam apprimè opportunis. Sustinent idcircò Parochiarum unionem non præseferre onus duplicis applicationis, quia cum unus sit Parochus, unus etiam quoad spiritualia censendus est Populus. Exemplum desumunt a Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum, quæ licet aliquibus diebus Missam Conventualem bis celebrent, nihilominus unam tantùm Missam applicando satisfaciunt. Hæc omnia confirmant frequentiori Diœcesis consuetudine, quam attenta plurium Parochorum inopia præservandam esse contendunt. Ac demum innituntur Constitutionibus Metropolitanæ Synodi Compostellanæ anni 1746., ubi declaratum fuit, satis esse Parochis, qui duas Missas eodem die celebrare debent, si unam tantùm applicent pro Populo, nisi ex consuetudine, aut unione, aut alio speciali titulo ad utriusque applicationem cogantur.

Quoad assertam consuetudinem Episcopus observat, quod licet invecta revera extitisset, non tamen probari posset fuisse ab Episcopis admissam, vel tolleratam, resistente præsertim Episcopali decreto, de quo mentio supra habita est. Parochorum verò inopiæ jam satis consultum dicit, & juxta rerum circumstantias magis inposterum provisurum confidit. Cæterum Episcopus summopere optat, & enixè rogat pro definitione dubii, ut quæstionibus jamdiù vigentibus tandem aliquando finis imponatur. Ipse tamen pro sua opinione, affirmativam sententiam tuetur, ut scilicet Parochi, qui duabus præsunt Parochiis, ad duplicem applicationem per se, & per alium teneantur, ex rationibus superius expositis, *quibus ultrò subscripserunt gravissimi, & doctrina præstantes Viri, quotquot in hac Urbe consului*. Addit, *applicationem utriusque Missæ pro Populo quo modo potui, non consiliis modo, & exhortationibus, sed ubi tulit casus præceptis quoque promovere studui, quo, & meam, & meorum Subditorum conscientiam in tuto ponerèm*.

Non

Non inopportune in re, de qua agitur, prænotandum videtur, Ecclesiarum unionem tribus modis fieri posse, ut ait *Gonzal. in Comment. Cap. sicut unire 8. de excess. Prælat. num.3.*. Uniuntur scilicet Ecclesiæ, quando unum corpus ambo efformant, & una ex duabus Ecclesiis constituitur *Cap. cum Dilectus de his, quæ vi, Cap. Recolentes, de Stat. Monach.*. Et hæc unio communicationem quoque privilegiorum importat, ita quidem ut de juribus unius Ecclesiæ alia quoque particeps evadat, *Cap. Novit ne sed. vacan.* Præterea uniuntur aliquando Ecclesiæ, servata tamen earum distinctione, sed una superior, & principalis, alia inferior, & accessoria evadit. In isto casu Ecclesia inferior, seu subiecta proprium nomen amittit, & assumit nomen Ecclesiæ principalis, cujus privilegiis potitur *Cap. Recolentes de Stat. Monach.*, sed propria jura non amittit, quin immò illa in Ecclesiam superiorem per communicationem transfundit *Cap. Quia Monasterium de Relig. Dom.* Denique fit unio Ecclesiarum, quando utraque in suo statu permanet, nec una alteri subditur, sed tanquam consociatæ in pari gradu censentur æquè Cathedrales, aut Parochiales. Verum ratione unionis ad earum regimen unus Rector præficitur, quamvis quælibet jura sua, suaque privilegia sine commixtione, vel imminutione retineat.

Sanè quando Ecclesiæ Parochiales aut subiectivè, aut æque principaliter uniuntur, utriusque Parochiæ Populus distinctum corpus efformat, & unusquisque sua jura retinet, inter quæ maximè recensetur incruenti Sacrificii participatio per oblationem, quæ fiat a Parocho diebus saltem festis. Hinc sa. mem. Benedictus XIV. in Constitutione *Cum semper oblatas* prudenter admodum, ac ritè declaravit in §. *Quum enim*, Vicarios Ecclesiarum Parochialium, sive perpetui sint, sive ad nutum amovibiles, omnes indistinctè teneri ad applicationem Missæ pro Populo ipsorum curæ commisso. Nemo autem inficiabitur Parochos duabus Ecclesiis præpositos curare debere, ut in unaquaque Ecclesia diebus festis Missa celebretur, cui Fideles interessendo Ecclesiastico præcepto satisfaciant. Jam verò onus audiendi Missam diebus festis ea præcipuè de causa iniunctum Fidelibus videtur, ut uno animo, unoque spiritu cum Sacerdote celebrante Deum exorent, & opem Divinæ Misericordiæ per Jesum Christum implorent; atque idcircò speciali ratione pro se, & Populo præces, & Sacrificium offerre debet Sacerdos, qui *pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis*, quemadmodum ait Apostolus in *Epist. ad Hæbreos 5. 1.*

Verùm enim verò non obscurè Concilium Emeritense Sæculo VII. celebratum Parochis indixit, ut in singulis Ecclesiis Missam celebrarent, & *pro singulis quibusque Ecclesiis*, (idest

(ideſt Fidelium cœtibus) illam applicarent. Sic enim ſtatuit *can. 19.* = *In Parochiis multæ ſunt Eccleſiæ conſtitutæ, quæ a Fidelibus factæ, aut paucum, aut nihil de rebus videntur habere. Sacerdotali erga decreto Præsbytero uni plures extant commiſſæ; proindeque ſalubri deliberatione cenſemus, ut pro ſingulis quibuſque Eccleſiis, in quibus Præsbyter juſſus fuerit ordinatione præeſſe, pro ſingulis diebus Dominicis Sacrificium Deo procuret offerre* = Quid ergo in præſenti caſu dijudicandum ſit, viderint Emi PP., qui rogantur præ oculis habere relata Diœceſis Luceſis Synodalia decreta, atque Epiſcopi præceptum; Nec non Compoſtellanæ Diœceſis Conſtitutiones, aſſertamque conſuetudinem; ac præterea perpendere, an Sacerdotes, qui Vicariam Parochis in alterutra Eccleſia operam præſtant, habendi ſint quoad hunc ſaltem actum applicationis Miſſæ pro Populo, tanquam Vicarii ſive amovibiles, ſive perpetui Eccleſiarum Parochialium, qui ex Benedictina Conſtitutione ad applicationem adiguntur.

Quæritur.

An Parochi duabus Eccleſiis Parochialibus præpoſiti teneantur Dominicis, aliiſque feſtis diebus Miſſam in unaquaque Eccleſia ſive per ſe, ſive per alium applicare pro Populo in caſu &c.

Seſs. 22. cap. 6. de Reform.

IMOLEN. LEGATI. In teſtamento condito anno *1691.* Petrus Meloni mandavit Jacobæ, & Juſtinæ filiabus, quas hæredes inſtituerat, ut infra duos menſes a die ſui obitus computandos emere tenerentur *a favore della Ven. Compagnia di S. Antonio di Padova di Bagnara* capitale cenſus ſcut. *600.*, annuique reditus ſcut. *36*, quæ ſingulis annis inſervirent pro celebratione Miſſarum tercentum in ſuffragium ſuæ Animæ, ſuorumque Conſanguineorum. Prima vice ipſe met Teſtator deſtinavit pro iſtius oneris implemento Sacerdotem Laurentium Bacchi, & poſt ejus mortem Miſſas celebrari voluit a Filiis Joſephi, & Antonii Meloni, iiſque non extantibus ſelegit filios dd. Juſtinæ, & Jacobæ hæredum, & in iſtorum defectu facultatem tribuit Sodalitio Divi Antonii Patavini, ejuſque pro tempore Officialibus eligendi duos Sacerdotes magis pauperes Terræ Bagnariæ, qui Miſſas celebrarent, uſque dum aliquis ex contemplatis Familiis Sacerdos adeſſet.

Sequuto Teſtatoris obitu iſtius filiæ, & hæredes illicò tradiderunt Sodalitio S. Antonii ſcuta *600.*, quæ in emptionem cenſuum fuerunt erogata, & Sacerdos Laurentius Bacchi ab anno *1693.* Miſſarum onera cæpit adimplere.

Ex

Ex regestris onerum Missarum Parochialis Ecclesiæ Bagnariæ, atquè ex plurium Sacerdotum depositione constat Missas fuisse celebratas ad annum usque 1732. ad Altare Divi Antonii Patavini in eadem Parochiali situm, ubi etiam Testatoris Cadaver juxta illius dispositionem tumulatum fuerat. Ab eo autem tempore é vivis erepto Sacerdote Bacchi patet ex depositione testium Missas usque ad annum 1735. fuisse ad dictum Altare celebratas a Sacerdote Josepho Meloni, eoque postea assumpto ad regimen Parochialis Ecclesiæ Oppidi Belvedere in illius locum subrogatus fuit Sacerdos Joannes Alexius Meloni, qui Missarum celebrationi in eodem Altari per aliquod tempus satisfecit.

Cum tamen reditus fuissent imminuti, & fructus censuum redacti ad scuta tantum 30. 16. 6., idcircò decreto Curiæ Episcopalis Imolensis imminutus quoque fuit Missarum numerus, & præfinita eleemosina ob. 12. pro qualibet Missa. Anno 1753. occasione Pastoralis Visitationis animadvertit Episcopus Missarum implementum negligi ad Altare S. Antonii Patavini, proindéque decrevit *Missas pro legato quondam Capitanei Petri Meloni imposterum per RR. DD. Josephum, & Joannem Alexium Fratres de Melonis, & futuros Capellanos celebrandas esse in Ecclesia Archipræsbyterali, & ad Altare S. Antonii Patavini*. Adversus hujusmodi decretum iidem Sacerdotes reclamarunt, sed ipsorum querelæ rejectæ fuerunt a Sac. Congregatione, quæ die 13. *Septembris* 1755. disposita per Episcopum servari mandavit. Verùm memorati Sacerdotes nedùm obtemperare minimè curarunt decreto Episcopi Sac. Congregationis auctoritate roborato, sed insuper sese ingerere curarunt in administratione Capitalium, quæ pro adimplemento oneris Missarum destinata reperiebantur. Quare Sodalitii Officiales supplices postularunt, ut iidem Sacerdotes ad celebrationem Missarum in Altari Divi Antonii Patavini adigerentur, & ab administratione Capitalium repellerentur.

Præces hujusmodi die 20. Novembris 1756. remissæ fuerunt Episcopo pro Informatione, prævia tamen confirmatione resolutionis æditæ die 13. Septembris 1755.; sed quia ob Sodalitii paupertatem causa prosequi non potuit, idcircò Sacerdotes in sua contumacia perseverantes, Missarum celebrationem neglexerunt. Hinc Episcopus in alia Visitatione peracta in Oppido Bagnariæ *die* 10. *Julii* 1764. mandavit *per R. D. Ioannem Alexium Meloni modernum Capellanum Capellaniæ fundatæ a quondam Capitaneo Petro Meloni doceri infra mensem de circumscriptione decreti alias, & usque de anno* 1753. *in Pastorali visitatione lati, sin minus infra mensem contra ipsum juris remediis procedi pro habendo implemento Missarum pro supradicto Fundatore deficientium ab an-*

no 1739. exclusivè usque ad præsens, & quoad eleemosinam Missarum a Cardinali Accorambono taxatam ad rationem ob. 12. pro qualibet Missa mandavit inposterum computari debere ad rationem Missæ manualis, scilicet unius julii pro qualibet Missa, assignando remanentes obulos duos pro utensilibus uniuscujusque ex dictis Missis,

Non tamen hęc omnia satis fuerunt, ut cuncta componerentur, & certus præfiniretur modus exequendi pii Testatoris voluntatem; proindeque ad novas Sodalitii præces necesse fuit causam agere quatuor dispertitam dubiis, quæ tacentibus adhuc Sacerdotibus Meloni diù jam expectatis sapienti EE. VV. judicio subiiciuntur.

Ad I. advertunt Sodalitii Defensores, quod Missæ, & Anniversaria a Testatore relicta, ex præsumpta ipsius voluntate in ea Ecclesia celebrari debent, ubi Cadaver fuit tumulatum *Abb. consil. 99. part. 2. Pignattell. consult. Canon. 32. num. 1., & 2. tom. 3.*. Et eo magis enixam voluntatem præsumi, si observantia accesserit *Cap. cum Dilectus de consuet., Cæsar de Graff. decis. 1. eod. tit.*. Hinc arguunt, quod cum Missæ juxta dispositionem Petri Meloni celebratæ semper fuerint in Archipræsbyterali Ecclesia Bagnariæ, & ad Altare Divi Antonii Patavini, ubi humari voluit, nonnisi injuria hodierni Capellani despecta plurium annorum consuetudine ab ea recedere prætendunt, & liberum sibi esse putant Missas ubique celebrare.

Contendunt ad II. Testatorem suis hæredibus iniunxisse, ut Sodalitio S. Antonii traderent scuta 600. Sodalium arbitrio eroganda in censibus, quorum fructus in adimplementum pii Legati erogarentur. Existimant proindè Sodalibus tantummodò competere Capitalium administrationem, quam hactenus exercuerunt, & Capellanos teneri Missarum eleemosinam ab ipsis recipere. Nec obesse Sodalitii paupertatem, cujus causa non satis tutam censent Capitalium administrationem: Respondent enim, fidelem administrationem quoad tempus præteritum in dubium revocari non posse, nec unquam Sodalitium prætermisisse eleemosinas Missarum Capellanis rependere. Quo verò ad futurum affirmant in Sodalium Congregatione habita anno 1759. statutum fuisse, administrationem nemini committi debere, nisi prævia cautione, & hoc modo cuique Capellanorum præjudicio satis consultum putant.

Quoad III. se referunt ad decreta ædita ab Episcopo in actu Visitationis, quæ utpotè rationi consona confirmationem mereri sustinent. Et denique ad IV. nihil a Sodalibus perpetratum fuisse dicunt, quod coerceri debeat, vel spretum decretorum Sac. Congregationis quoquo modo præseferat.

Super hac controversia non semel, sed iterum, ac tertio auditus fuit Episcopus. In prima relatione anni 1755. retulit

lit rationum momenta, quibus motus occasione Pastoralis Visitationis expletæ in Oppido Bagnariæ anno 1753. decrevit pii Legati satisfactionem in Ecclesia Archipræsbyterali, & ad Altare Divo Antonio Patavino Sacrum. Advertit, quod licet Testator nullam designaverit Ecclesiam, in qua Missæ celebrari deberent, nihilominus cum illius Cadaver tumulatum fuerit in eadem Ecclesia, & ad dictum Altare, nec non Sodalitio jus nominandi Capellanum reliquerit, videtur ex præsumpta Testatoris voluntate, & peculiari ipsius erga Divum Antonium devotione non alibi quam in dicta Ecclesia, & Altari Missas a Capellanis fore celebrandas.

Eadem ferè repetit in secunda relatione anni 1759. addens, Capellanos protestatos fuisse nolle se in memorata Ecclesia, & Altari Missas celebrare, nisi auctoritate Sac. Congregationis coacti ad id fuerint. Et quoad administrationem existimat eam sodalitio competere, cui Testator consignari mandavit scuta 600. investimento collocanda. Præterea observat nullum Capellanis subesse periculum ex objecta sodalitii paupertate, quoties administratio non aliter, quam prævia cautione committitur. In postrema verò relatione anni 1765. confirmat ea omnia, quæ in aliis præcedentibus expresserat, solumque advertit injuste Capellanos conqueri de suo decreto, quo obulos duos pro utensilibus Ecclesiæ assignavit; Cum enim Testator nullum peculiarem fundum hac de causa reliquerit, æquum censet, ut expensæ pro utensilibus detrahantur ex reditibus pii Legati, nec ad illas cogi posse sodalitium, aut Testatoris hæredes, quando fundus pro legati satisfactione destinatus noscitur.

Certum est Missas celebrari debere in Ecclesia a Testatore designata, sed in præsenti casu quæritur ubi nam celebrari debeant, cum nulla a Testatore fuerit Ecclesia præfinita. Existimat *Abb. cons. 99. per tot. lib. 2.*, *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quæst.* 1000. *num.* 7., *& alii*, eas celebrari debere in Ecclesia ubi Cadaver fuit tumulatum, tum quia id conforme videtur Testatoris desiderio *Pignattell. cons. 32. num. 1. tom. 3.*, *Piton. discept.* 148. *num. 3.*, tum etiam quia congruum est, ut Ecclesia prædilecta, & quæ defuncti ceneres servat, sentiat quoque commodum celebrationis Missarum *Rot. in Romana celebrationis Missarum 15. Iunii* 1732. *cor. Calcagnin.* apud *Scarfanton. ad Ceccoper. part. 3. in fin. decis.* 22. *num.* 4. 5. 30., *&* 32., & hanc sententiam sequuta est Sac. Congregatio in *Bononien. Legati Missarum* 15. *Decemb.* 1742. Præsertim si accedat observantia usque a tempore obitus Testatoris, quæ illius voluntatem explicat, atque declarat *Rot. cor. Bich. dec.* 602. *num.* 47., *& cor. Emerix. Iun. decis.* 1102. *n.* 9., *&* 10.

Quoad administrationem, de qua in secundo dubio agitur, serio ponderanda sunt verba testamenti, quæ ita se habent= *Grava l'infrascritti suoi Eredi, che in termine di due mesi dopo la morte del sudetto Testatore debbano creare, e costituire un capitale di censo di sc. 600. di annua risposta di scudi 36. a favore della Ven. Compagnia di S. Antonio di Padova di Bagnara, e che da frutti del medesimo Capitale si debbano celebrare in perpetuo Messe* 300. = Videndum an vigore istius dispositionis libera competat administratio Sodalibus, a quibus Capellani Missarum eleemosinam recipere teneantur, & an Capellanorum securitati consultum sit per cautionem tradendam ab eo, cui administratio concredita foret.

In reliquis præstat habere præ oculis Episcopi decreta ædita in Pastorali visitatione, ejusque relationes, ut definiatur.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus* 13. *Septembris* 1755., & 20. *Decembris* 1756. *in casu &c.*

II *An, & cui competat administratio Capitalium Legati, & fructuum exactio, in casu &c.*

III. *An, & a quo tempore docendum sit de adimplemento Missarum, & juxta quam rationem illarum stipendium sit taxandum in casu &c.*

IV. *An constet de attentatis, & a quo, & quomodo sint purganda, in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 12. Martii 1774. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

EX præcedenti Congregatione tres indecisæ superfuerunt Causæ, quæ cum aliis sex in præsenti folio descriptis consuetum implent Causarum numerum, super quibus rogantur Emi PP. sapientissimum ferre judicium.

ARIMINEN. CAPELLANIÆ. *Sess.22. cap.8. de Regular.*

I. *An competat Fabritio Panzani prælatio ad Capellaniam, de qua agitur, in casu &c.*

Et quatenus negativè

II. *An sit concedenda dispensatio, in casu &c.*

Et quatenus negativè

III. *An sustineatur nominatio facta a Communitate, seu potius sit deveniendum ad novam nominationem, in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Negative, & amplius. Ad III. Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam, & amplius.

LUCEN. APPLICATIONIS MISSÆ PRO POPULO. *Sess.22. cap.1. de Reform.*

An Parochi duabus Ecclesiis Parochialibus præpositi teneantur Dominicis, aliisque festis diebus Missam in unaquaque Ecclesia sive per se, sive per alium applicare pro Populo, in casu &c.

Affirmativè, exceptis tantùm Parochiis unitis unione plenaria, & extinctiva, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

IMOLEN. LEGATI.

I. *An sit standum vel recedendum a decisis sub diebus 13. Septembris 1755., & 20. Decembris 1756. in casu &c.*

II. *An, & cui competat administratio Capitalium Legati, & fructuum exactio in casu &c.*

III. *An, & quo tempore docendum sit de adimplemento Missarum, & juxta quam rationem illarum stipendium sit taxandum in casu &c.*

IV. *An constet de attentatis, & a quo, & quomodo sint purganda in casu &c.*

Ad I. In Decisis, & amplius. Ad II. Competere Sodalitio. Ad III. Servetur Decretum Episcopi anni 1764. Ad IV. Negativè.

Sess. 23. cap. 10. de Reform.

HISPALEN. ORDINUM. Lucas Franciscus Rodriguez de la Barrera ex Oppido de Alcolea, quod jurisdictioni subest Sacri Equestris Ordinis Hierosolymitani, suffultus dimissorialibus litteris Vicarii a Commendatario ibidem deputati, primam Tonsuram, & minores Ordines suscepit ab Abbate Claustrali S. Antonii del Tardon Ordinis S. Basilii. Cum verò domicilium postea transtulerit intra limites Archiepiscopatus Hispalensis, & apud Eminentissimum Archiepiscopum instetisset, ut ad Ordines promoveri posset, dubitatum tunc fuit de Ordinum validitate, idcirco Lucas adeundam censuit Apostolicam Sedem pro obtinenda venia, & rehabilitatione. Fusius de re actum fuit in folioistius Causæ, quod est ad diem 18. Septembris anni elapsi, & opportunè resumi nunc poterit, ibique plura perpensa sunt, quæ conferre posse videbantur. Omnibus tamen ad examen revocatis in sequentiCongregatione diei 27. Novembris dilata fuit resolutio, & quia multa deducta extiterant de privilegiis Ordini S. Basilii, ejusque Abbatibus concessis, mandatum idcircò dederunt Eminentissimi PP., ut ab ejusdem Ordinis Procuratore Generali hujusmodi privilegia accuratius inquirerentur, ædito rescripto = *Dilata, & ad mentem*.

Itaque Procurator Generalis in sua relatione EE. VV. circumferenda, postquam originem, & Institutum Congregationis Monasticæ S. Basilii narravit, subdit, suum Ordinem fuisse a Summis Pontificibus iisdem privilegiis, & prærogativis decoratum, quibus Congregatio Cassinensis S. Justinæ ornata fuerat; quin immo Ordini Sancti Basilii tanquam propria concessa fuisse ea omnia, quæ per communicationem Congregationi Cassinensium fuerant impertita,

tita. Id autem patere ex Constitutione san. mem. Gregorii XIII., cujus verba jam transcripta sunt in præterito istius Causæ folio, & hanc Constitutionem confirmatam fuisse a san. mem. Clemente VIII. per aliam Constitutionem incipientem *Quæ ad restituendos* 4. *Kalend. Novembris* 1592. *tom.* 5. *Bullar. nov. part.* 1.. Idipsum quoque deprehendi ex aliis litteris in forma Brevis san. mem. Pauli V., quibus initium *Injuncti Nobis tom.* 5. *Bullar. nov. part.* 3., in quo relata Constitutione Gregorii XIII, relatisque privilegiis, gratiis, & immunitatibus Ordini S. Basilii concessis, eadem omnia Apostolica auctoritate probata, & confirmata fuerunt his verbis = *Ac prædicta omnia privilegia cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, decretis, & declarationibus, quarum tenores, etsi de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus . . . . illasque, & illa Ordini prædicto, illiusque Abbati Generali, & Abbatibus, Prioribus, aliisque Superioribus, & Fratribus suffragari, eosque universos, & singulos illis frui, uti, & gaudere ubi, quando, & quoties opus fuerit posse, & debere in omnibus, & per omnia &c.*

Inter cætera vero privilegia Congregationi Cassinensium concessa, animadvertit illud præcipue recenseri, quo illius Abbatibus facultas tributa noscitur ea omnia peragendi, quæ fiunt ab Abbatibus benedictis, etiamsi benedictionis munus non acceperint. Ad hoc probandum profert Constitutionem san. mem. Eugenii IV. 3. *Kalend. Januarias anni* 1434. relatam a *Margarin. in Bullar. Cassinens. tom.* 1. *pag.* 57. *sub num.* 4., quæ ita se habet = *Prædictique* (Abbates) *sic electi, seu nominati absque alicujus Sedis prædictæ, vel alterius provisionis adminiculo, & præter hoc, quod eis propterea munus benedictionis impendatur, ipsis Monasteriis, & Prioratibus, ad quæ sic electi, & nominati fuerint regere, & gubernare, nec non omnia, & singula, quæ per Abbates aliorum Monasteriorum, & Locorum dictæ Congregationis juxta illius Statuta, & Constitutiones hujusmodi fieri poterunt, facere, & exercere liberè, & licitè possint, & valeant*. Et cohærent aliæ ejusdem Pontificis Constitutiones, quarum una incipit *Etsi quaslibet*, altera *Regularem*, & alia *Romani Pontificis* relatæ pariter a *Margarin. loc. cit. pag.* 7. *sub. num.* 3., *pag.* 73., & *pag.* 82. *num.* 2., & in *Bullar. nov. inter Constitutiones Eugenii IV. tom.* 3. *part.* 3.; quas omnes Constitutiones Summi Pontifices Alexander VI., & Leo X. postea confirmarunt, ut apud eundem *Margarin. loc. citat. pag.* 105., & *pag.* 124. *tom.* 3.

Infert ex his Procurator Generalis, easdem omnino facultates competere Abbatibus Ordinis S. Basilii, etiamsi benedictionem non acceperint. Præsertim quia a tempore, quo idem Ordo in Congregationem fuit redactus, scilicet ab

ab anno 1579., ad hanc usque diem, Abbates ante benedictionem eorumdem privilegiorum vigore ea omnia gerere consueverunt, quæ ab Abbatibus benedictis peraguntur, & præcipuè suis subditis primam tonsuram, & minores Ordines contulerunt.

Præter hæc habenda præ oculis sunt, quæ statuit Alexander III. in *Cap.1. de supplend. neglig. Prælat.*, quod nempe *si Episcopus tertio cum humilitate, ac devotione requisitus Abbates benedicere renuerit, eisdem Abbatibus liceret proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad hujusmodi officium pertinent exercere.* In explicatione istius Decretalis observat *Tamburin. de jur. Abb. disput.* 11. *num.* 1. 3. *&* 4., quod *benedictio non est simpliciter necessaria ad acquirendam potestatem Ordinis: Si enim fuisset simpliciter necessaria Summus Pontifex in negligentiam, vel contumaciam Episcopi Diœcesani tradidisset Abbatibus facultatem eligendi potius quem maluissent Episcopum, qui illis hoc benedictionis munus impenderet, quam absque benedictione exercendi omnia, quæ ad eorum officium pertinere noscuntur.* Et allegat rationem *num.6. & seq.* his verbis = *Insuper hæc benedictio non imprimit caractherem, neque est a Christo Domino instituta, itaut ad talem potestatem acquirendam simpliciter necessaria reputanda sit.*

Viderint Emi PP. quod respondendum sit dubio, quod denuo proponitur

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo, in casu &c.

Consulendum Sanctissimo pro absolutione, & rehabilitatione ad Ordines.

Seß. 23. cap.8. de Reform.

FIRMANA CAPELLANIARUM. Præter multa legata, quæ Jacobus Ferri testamento reliquerat, nonnulla peculiaria bona designavit pro dote unius, vel plurium Capellaniarum, quas in Ecclesia Suffragii Oppidi Montis Ulmi erigi mandavit. Deinde in usufructu instituit Octaviam, & Joannem Baptistam Ferri Patrueles, & post istorum obitum hæreditatem deferri voluit ad eandem Ecclesiam, cum lege ibidem erigendi tot Capellanias, quot ex universa hæreditate erigi potuissent, injuncto Capellanis onere sex Missas qualibet hebdomada in ea celebrandi. Plurimùm verò confidens prudentia, & integritate dictorum Octaviæ, & Joannis Baptistæ, cum quibus de erigendis Capellaniis sæpius sermonem habuerat, plures eisdem contulit facultates tum quoad bona prioribus, vel posterioribus Capellaniis adjudicanda, tum quoad illarum numerum, amovibilitatem, seu perpetuitatem, tum etiam quoad Capellanorum nominationes, aliaque

in

in testamento fusiùs legenda. Ipsorum proinde consilia pro lege haberi, & omninò servari jussit, eisque potestatem fecit convertendi hæreditaria bona in aliud pium opus, etiam post jam sequutam Capellaniarum erectionem; ac denique mandavit, ut si ab ipsomet Testatore, aut ab hæredibus aliquod Altare constructum in memorata Ecclesia fuisset, tunc ab uno, vel pluribus Capellanis pro libito hæredum Missæ ad dictum Altare celebrari deberent.

Defuncto jam Testatore Octavia, & Joannes Baptista hæredes usufructuarii præmissa protestatione de servanda omnino, & absque variatione illius dispositione, declararunt, quod licet fructuum hæreditariorum quantitas onus Missæ quotidianæ præseferre posset, nihilominus nonnisi quam sex Missas singulis hebdomadis in Ecclesia Suffragii præscribere optabant. Præterea in eodem actu ad unam ex Capellaniis nominarunt Clericum Joannem Philippum Pampinoni, *e non essendo in età esso Chierico Gio: Filippo Pampinoni di celebrare la Messa, ci contentiamo, che possa farla celebrare per alium, che sia Confessore*. Insuperque Patronatum activum post mortem Octaviæ Sodalitio Suffragii adjudicarunt. Ac tandem unicuique Capellano onus addiderunt assistendi in decursu unius mensis expositioni Sanctissimi Sacramenti, & auxilium in ea sacra functione præstandi.

Occubuit Joannes Baptista superstite Octavia Sorore, quæ novam edidit quoad Capellanias, de quibus agitur, declarationem. Siquidem declaravit, Capellaniam collatam Clerico Pampinoni subesse oneri audiendi Sacramentales Fidelium Confessiones. Addidit, quidquid imposterum explicatum ab ea fuisset, id omne consonum futurum voluntati Testatoris sibi jam panditæ. Hinc unicuique ex Capellaniis suam denominationem aptavit, ac proinde de sex Capellaniis dixit = *Devono avere la sua Uffiziatura nell' Altar Maggiore di detta Chiesa di S. Michele Arcangelo, ed in detto Altare celebrarsi le Messe da ciascun Cappellano* = De aliis duabus Capellaniis ait = *Queste offizieranno nel sudetto Altare di S. Alessio in detta Chiesa*. Et de alia inquit = *Avrà l'Uffiziatura, e celebrazione delle Messe nell'Altare di S. Niccolò parimenti in detta Chiesa* = Post hæc declaravit, ut Capellaniæ Sacerdotibus tantùm conferri possent, sed si in Oppido Montis Ulmi aliquis adesset bonæ indolis Adolescens, tunc permisit, ut iste ad Capellalaniam nominari posset, dummodo tamen antequam Capellaniæ possessionem apprehendat Clericus evadat, & postquam ad ætatem annorum 25. perventus fuerit ad Sacerdotium ascendat, sub pœna amissionis Capellaniæ ipso facto incurrenda. Verùm præferri in nominatione jussit Sacerdotes, seu Clericos ex tribus sibi sanguine conjun-

 ctis

ctis Familiis, nempe Ugolini, Bertolazzi, & Pampinoni. Postremo loco declaravit, ut si quis ex Capellanis in adimplemento onerum defecisset, tunc liberum esset Sodalitio Suffragii Capellaniæ reditus sequestro subjiciendi, eosque erogandi in adimplementum onerum cum eleemosyna manuali, & quidquid superesset eidem Sodalitio applicandi *in premio della vigilanza sopra l'adempimento della pia volontà del Testatore*.

In sequelam postremæ hujusce declarationis tam Sacerdotes, quam Clerici trium Familiarum Ugolini, Bertolazzi, & Pampinoni post obitum Octaviæ de prælatione cum Sodalitio contenderunt. Favorabilem ab A.C. sententiam reportarunt, sed devoluta in gradu appellationis Causa ad Rotæ Auditorium, in hoc Tribunali adhuc indecisa pendet. Præter Causam super prælatione aliam earumdem Familiarum Sacerdotes, & Clerici excitarunt prætensionem prævio Monitorio coram A.C. authumantes nullimodè teneri ad Sacerdotium ascendere, nec oneribus Capellaniæ per se ipsos satisfacere. Sodales tamen Suffragii oblatis precibus Sanctissimo Domino Nostro curarunt, ut decreto Eminentissimi Pro-Auditoris ad S. Congregationem remitteretur inspectio tantùm super qualitate Sacerdotali, vel non Sacerdotali Capellaniarum; atque hæc est causa, quæ tribus dispertita dubiis modò agitur.

Ad I., & II. inquiunt Sodales solam Fundatoris voluntatem spectandam esse ad dignoscendum, utrum onera Capellaniis injuncta sint a Capellanis per se ipsos adimplenda, *Rot. in Reatina Capellaniarum* 16. *Junii* 1711. §. *Quoniam coram Aldrovando*. Hinc Testatoris dispositionem, & geminas declarationes seriò perscrutandas. Sustinent autem, tres Familias Ugolini, Bertolazzi, & Pampinoni nullam habere directam vocationem passivam, sed virtute tantùm posterioris declarationis nuda, ac simplici ad Capellanias prælatione gaudere. Arguunt proinde, quod si alii ad Capellanias primario vocati, & Sacros Ordines suscipere, & onera per se ipsos adimplere tenentur, id ipsum quoque trium Familiarum Clerici exqui debeant, *Gratian. disceptat.*460.*num.*56., *Rot. decis.*571. *num.*1.*part.*1. *Recent.*. Nec obesse, quod alii vocati fuerint appellatione Sacerdotis, & earumdem Familiarum Clerici nomine Sacerdotis, aut Juvenis; respondent enim disparitatem solum adesse quoad qualitatem Sacerdotalem actu, non tamen quoad onus assumendi Sacerdotium statimac ad ætatem annorum 25. pervenissent, quemadmodum diversa Personarum conditio præsefert.

Adduut demandatum Capellanis fuisse, ut in designato Altari celebrarent; atque ex hoc inferunt requisitum quoque fuisse Sacerdotium, & onus personalis celebrationis. Observant præterea injunctum ipsis fuisse aliud onus assistendi

stendi expositioni Augustissimi Sacramenti, atque id nonnisi quam a Sacerdotibus, aut in Sacris Ordinibus constitutis fieri posse, cum in eo actu necessaria sit delatio Stolæ, quæ solum a Sacerdotibus, vel Diaconibus adhiberi potest ex Edicto san. mem. Clementis X. relato a *Ferrar. in Biblioth. verb. Eucharistia num.64.* . Animadvertunt ulterius præscriptum ab Octavia fuisse, ut Capellaniæ conferrentur *a Soggetti, che sieno Sacerdoti;* Atque inde sequi præscriptam qualitatem Sacerdotalem in ipso actu electionis, a quo disjungi non possit *Constantin. vot.decis.35. num.1. & seq.* . Sustinent, quod si Octavia in aliquibus casibus permisit, ut ad Capellanias etiam Clerici aliquando nominari possent, legem tamen indixit, ut Sacerdotium susciperent statim ac ad ætatem ann. 25.pervenissent, cujus rei exemplum præbet nominatio ab ipsa met facta de Clerico Pampinoni eidem cognito, & sanguine conjuncto, cui expresse mandavit, ut ad Sacerdotium ascenderet, & interim oneribus per alium satisfaceret. Si ergo in isto casu, & ad certum tempus facultatem tribuit adimplendi per alium, hujusmodi facultatem in aliis circumstantiis vetitam fuisse contendunt *Rot. in Reatina Immissionis 25. Junii 1758. §. Dupliciter coram Eminentissimo Elephantutio*, unde concludunt, omnes Capellanos indispensabiliter teneri ad assumendum Sacerdotium, sine quo personali obligationi Missarum satisfacere non valent, *Constantin. vot. decis. 35. num. 3. 6. & 17., ac vot. decis. 191. num. 43. & 44.*

Neque objici posse, quod facultas celebrandi per alium, certa causa, & ratione coercita solum fuerit ad Clericum Philippum Pampinoni, non tamen ad cæteros, qui ex designatis aliis Familiis descenderent, tum quia reliquis Clericis alibi expresse legitur injunctum onus suscipiendi Sacros Ordines, tum etiam quia si facultas coercita fuit ad dictum Clericum Philippum filium Constantii Pampinoni, quem pro stipite prædilectæ Familiæ Octavia designavit, id ipsum potiori jure repetitum censeri debet de Clericis aliarum Familiarum, cum eadem quoad omnes concurrat ratio conjunctionis sanguinis *Rot. in Romana Prælationis 3. Junii 1732. §. Spectata coram Nunez*. Immo præ aliis contemplatum fuisse Clericum Philippum ex eo deprehendi putant, quod ipse notissimus fuerit Joanni Baptistæ, & Octaviæ Ferri, eisque magis dilectus; cæteri vero, qui ex aliis Familiis nascituri erant, utpote ignoti minorem dilectionem promereri debuerint. Jam vero absurdum esse dicunt, quod Octavia durius egerit cum dilecta, & nota persona, quam cum aliis omnino ignotis, proindeque existimant, quod si Clerico Philippo injunctum fuit onus assumendi Sacerdotium statim ac per ætatem potuisset, & onera per se

 ipsum

ipſum adimplendi, id a fortiori aliis præſcriptum fuiſſe dijudicari debeat *Rot. in Firmana Pecuniaria* 20. *Januar.* 1712. §. *ultimo coram Aldrovando*. Præſertim, quia Clericus Philippus directam habuit vocationem, reliqui autem vix nuda prælatione potiebantur.

Obſervant inſuper, quod tam in teſtamento, quam in poſterioribus declarationibus ſemper mentio habita fuerit de Sacerdotibus, eiſque demandatum, ut onera per ſe ipſos in deſignato Altari adimplerent. Præciſius verò animadvertunt declaratum ab Octavia fuiſſe, ut Capellaniæ conferri deberent perſonis morum candore fulgentibus, quæ Divinum cultum in Eccleſia Sodalitatis promoverent, ideoque permiſerit, ut ad Capellanias nominari poſſet etiam Clericus, dummodo tamen ad Sacerdotium ſub pœna caducitatis aſcenderet, eique ſolum tribuerit oneribus per alium ſatisfacere poſſe, quouſque ad legitimam ætatem perveniſſet. Ex hoc autem novum exurgere putant argumentum, quod ſuadeat Capellanias eſſe Sacerdotales, & onus Capellanis impoſitum per ſe ipſos adimplendi. Neque objici poſſe, quod aliud ſit diſponere intuitu conjunctionis ſanguinis, aliud verò meritorum intuitu, & ideo diſpoſita in uno caſu ad alium trahi non poſſint. Siquidem ponderandum proponunt, quod etiam Clericus Pampinoni iiſdem legibus ſubjectus fuit a Joanne Baptiſta, & Octavia Ferri, quia ſcilicet perſpecta ipſis erat Teſtatoris voluntas quoad omnes; & ſicuti in iis quæ Divinum cultum reſpiciunt potior ratio haberi debet de meritis, quam de ſanguinis conjunctione, idcirco inferunt, quod ſi Clericos meritis pollentes eidem legi ſubjecit, eodemque onere gravavit, multo magis id ipſum de aliis demandatum fuiſſe dijudicari debeat.

Denique animadvertunt Teſtatorem præſcripſiſſe, ut Eccleſiæ inſervirent Sacerdotes *collegialiter* viventes, ſed abſurdum fore dicunt, ſi hujuſmodi Collegium ex Sacerdotibus conſtitueretur, atque ex Clericis, qui ſemper in Clericatu manerent. Suſtinent Collegium eundem finem, eademque onera habere, & quamlibet inæqualitatem reſpuere *Rot. in Cervien. Beneficii* 20. *Novembris* 1713. §. *Quo vero coram Scotto*. Præſertim quia onus unicuique impoſitum legitur Fidei rudimenta, & literas Pueros edocendi, pro quibus ætas ad Sacerdotium requiritur *Piton. de Jurepatr. alleg.* 33. *num.* 15. & 18.. Addunt tam in teſtamento, quam in declarationibus ea uſurpari vocabula, quæ cum Sacerdotio conjuncta ſunt, ab eoque inſeparabilia, & ideo Capellanias, de quibus agitur, Sacerdotales dijudicatas fuiſſe ab Emo Archiepiſcopo, cujus judicium plurimum attendi mereatur.

Breviter ſe expediunt Sodalitii Defenſores a III. Dubio, animadvertentes apertè ab Octavia adiectam fuiſſe pænam

ca-

caducitatis in casu, quo aliquis ex Capellanis ad Sacerdotium non ascenderet, absque ulla interpellatione, vel moræ purgatione, atque ideo contendunt, quod dies interpellet pro homine, neque in claris ulla opus sit interpretatione *Leg. Ille, aut Ille ff. de Leg. 2.*. Nec prodesse exceptionem, quod pœna indicta solum fuerit Clericis ex tribus èxtraneis Familiis descendentibùs: Repetunt enim, de aliis etiam demandatum existimari debere quidquid de illis fuit dispositum *Leg. 13*, *& Leg. 26.*, *&* 27. *ff. de Legib.*. Si ergo Octavia extraneis Clericis pœnam indixit, eam quoque Clericis Consanguineis impositam fuisse censeri, ne Consanguinei Testatoris voluntatem impunè contemnerent. Omnes enim par pœna constringit: Præsertim quia Octavia prius de pœna loquuta est, & deinde ad Consanguineorum prælationem descendit, atque in quavis dispositione priora magis influunt in posterioribus *Rot. in Sulmonen. Canonicatus* 7. *Maii* 1721. §. *Quia coram Crispolto*. Cæterùm si Consanguinei pœnam ab Octavia inflictam effugerunt, evadere tamen non posse confidunt pœnas ad juris tramites ab EE. VV. infligendas, ut ad Sacerdotium ascendere cogantur, cum jamdiù ætatem annorum 25. fuerint prætergressi.

Ex alia parte nihil hactenus deductum est. Eminentissimus Archiepiscopus perpensis omnibus, quæ circa Capellaniarum qualitatem animadvertenda erat, putat non potuisse Octaviam priorem declarationem immutarè, aut variare, quam cohærenter ad Testatoris voluntatem una cum Fratre emiserat. Deinde ait = *Hæc igitur in causa sunt, ut Cappellanias actu Sacerdotales universim existimem, eisque propterea neminem frui posse, nisi cum ad quintum, & vigesimum ætatis annum pervenerit Sacerdotii gradum assumat*.

Præsentis controversiæ definitio tota pendet a Fundatoris dispositione, quæ seriò perscrutanda est. Nihil enim facultatis sibi assumere poterant Exequutores, nisi quæ fuit ipsis a Fundatore tributa. Certum est, & communi Doctorum placito firmatum, Fundationes post æditum ab Ordinario decretum non posse immutari, nec in minimo alterari: Quando tamen variandi facultas fuit in fundatione reservata, tunc novæ leges, ac conditiones adjici ex intervallo possunt, quia reservationis vigore retrotrahuntur ad tempus, quo hujusmodi facultas fuit reservata, cum reservatio importet prærogativam perfectionis fundationis, & conditionem suspensivam actus usque ad novam declarationem *Corrad. in prax. Benef. lib. 2. cap. 10. quæst. 5. num. 151.*. Ponderandum idcirco, an hæc regula locum habeat, seu a fortiori servanda sit in præsenti casu, cum nullum ab Ordinario æditum videatur decretum, quo prior, vel posterior declaratio fuerit adprobata. Videndum an facultas Exequutoribus impertita extiterit quocum-

cumque tempore, aut modo variandi, seu potius in aliquibus tantum circumstantiis.

Animadvertendum præterea, an Octavia post mortem Cohæredis variare potuerit, & vinculum Sodalitio injicere. Ac demum, an Fundator voluerit Sacerdotales Capellania instituere, & an ex posterioribus saltem declarationibus tales dijudicandæ sint. Varias hac de re tradit regulas *Fagnan. in Cap. Ut Abbates de ætat.*, *& qualit. per tot.*, & plura habentur in folio Causæ, cui titulus *Ariminen. Capellaniæ*, relatæ in postrema Congregatione diei 26. *Februarii* nuper elapsi, quæque priori loco in hodierno folio recensetur; Quibus omnibus perpensis EE. PP. definire rogantur.

I. *An Capellaniæ ordinatæ a Jacobo Ferri, & conferendæ Familiis Ugolini, Bartolazzi, & Pampinoni sint Sacerdotales, vel non Sacerdotales, in casu &c.*

Et quatenus Affirmativè ad primam partem, & Negativè ad secundam

II. *An Capellani teneantur per se ipsos onera adimplere, in casu &c.*

Et quatenus Affirmativè

III. *An, & quomodo in casu inadimplementi sit providendum, in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

ALBANEN. CAPPELLANIÆ. In Collegiata Ecclesia Oppidi Ariciæ Capellaniam sub invocatione Divi Rocci instituit Sextilius Nicolini cum onere duarum Missarum qualibet hebdomada, & alterius cum cantu, ac aliis quinque Missis lectis in die festo ejusdem Sancti celebrandis. In actu erectionis Capellaniæ onus assumpsit Fundator construendi in præfata Ecclesia Sacellum, illudque sacris suppellectilibus providendi: Insuperque Capitulo solvere promisit annua scuta quatuor pro situ, in quo Sacellum construi debuisset, ac etiam tradere duas libras Ceræ; & pro istorum omnium implemento nullum peculiarem fundum assignavit, sed cuncta sua bona hypothecæ subjecit.

Cum verò Fundator hæredibus in testamento primo, & secundo loco vocatis mandaverit *che non possino far inventario, ma debbano contentarsi avere quello solamente, che si troverà alla loro morte*, idcircò hæredes omnem ferè hæreditatem dissiparunt. Superfuit tantummodo Vinea valoris scutor. 20., & parva Domus in Terra Ariciæ, quam Sextilius Tiberi postremus hæres anno 1664. vendidit cum pacto redimendi Joanni Baptistæ Pinci, cui legem indixit, ut scu-

ta

ta 331. 50. erogaret in dimissionem æris alieni, quo venditor gravabatur, ac prætereà pro adimplemento voluntatis Sextilii Nicolini scuta 15. singulis annis Capitulo Collegiatæ persolveret. Verum pro exequenda ejusdem Sextilii dispositione majorem summam, quam assumpserat emptor persolvit, eamdemque solutionem illius heredes prosequuti sunt, sed quia Domus ruinam minatur, & ex illius pensionibus vix scuta sexdecim retrahuntur, quæ ne ad onera quidem subeunda sufficiunt, idcircò Paulus Gramignia, & Catharina Pinci Conjuges, ad quos emptoris hæreditas delata est, deletionem postulant oneris duarum Missarum qualibet hebdomada, promittentes aliis oneribus adamussim satisfacere. Hoc modo facile sibi esse putant censum super domo imponere, pro conficiendis reaptationibus, quibus indiget.

Rogatus de sua sententia Eminentissimus Episcopus, exposita ab Oratoribus confirmat, ac refert nulla adesse alia bona Sextilii Nicolini, nec ea a possessoribus posse vindicari, utpotè quia vigore facultatis in testamento tributæ fuerunt ab hæredibus distracta. Advertit Joannem Baptistam Pinci emptorem assumpsisse quidem onus persolvendi Capitulo Arciæ annua scuta 15., sed nullam in propriis bonis obligationem emisisse. Quoad reparationem Domus asserit scuta circiter 400. in eam causam fore eroganda, ac demum votum suum aperiens existimat *Oratores absolvendos esse tantum ab onere duarum Missarum hebdomadalium, firmis remanentibus solutione scutorum quatuor pro situ Capellæ, celebratione Missæ cantatæ cum quinque Missis lectis in festo S. Rocci quolibet anno, & provisione Sacrorum supellectilium Capellæ. Quæ onera Oratores satisfacere promittunt, & Canonici a me auditi consentiunt. Ad id censendum moveor attenta usura solvenda ab Oratoribus pro censu creando, & habita respectu ad exiguitatem pensionum, quæ ex domo etiam reaptata percipi poterunt.*

Imminutis reditibus pro satisfactione onerum destinatis, eadem quoque onera imminui debent, presertim si legatum *taxativè* ut ajunt fuerit conceptum, Benedictus XIV. *de Synodo Diæcesana lib.3. cap. ultim. num.*32.,, & S. Congregatio in *Isernien.* 26. *Junii* 1723., *in S. Severinæ* 13. *Junii* 1725., *& in Trancn.* 22. *Novembris* 1738. secus tamen, si *demonstrativè* relictum deprehendatur *Pasqualig. de Sacrif. Miss. quæst.*1078., vel pro illius satisfactione universa hæreditatia bona fuerint hypothecæ subjecta, cum in isto casu neque alicujus specialis fundi assignatio ab hæredibus facta attendatur *Ferrar. in Biblioth. verb. Missæ Sacrificium art.*2. *num.*19., & Sacra Congregatio in *Romana reductionis Missarum* 18. *Aprilis* 1733. Quamvis autem Sextilius Nicolini cuncta sua bona pro adimplemento onerum hypothecæ subjecerit, nihilominus ponderandum, an ea ritè

ab

ab hæredibus distrahi potuerint vigore legis in testamente adjectę *che non possino far inventario, ma debbano contentarsi avere quello solamente, che si troverà alla loro morte*.

In reducendis Missarum oneribus certa regula est, quod alia potius onera, quam Missarum numerus imminui debet *Monacell. formul. legal formul.19. tit.10. part.1. num.25., & seq.*, dummodo tamen Testatoris voluntas non obstet *Passarin. de stat. homin. tom.2. quest.187. num* 1101. Si verò res sit de Missis manualibus, & Anniversariis, ista potius quam illę reductioni sunt obnoxia *Fagnan. in Cap. Ex parte de Constit. num.34.*: Cum enim Sacrificia prosint Defunctis per modum suffragii, juxta doctrinam D. Thomę *in 4. distinct.45. quæst.2. art 4. ad 1.* plus certè suffragii capiunt Fidelium Animæ si plures Missæ celebrentur, quam si ex istarum eleemosina unum fiat Anniversarium. *In Nepesina Reductionis* Rector cujusdam Capellaniæ ob redituum tenuitatem conquestus fuerat de gravitate oneris duarum Missarum singulis mensibus, & alterius cum cantu quolibet anno atque idcircò cum reductionem exposceret, proposito dubio = *An, & quomodo sit locus reductioni oneris Missarum in casu &c.* = S. Congregatio *die 15. Februarii* 1772. respondit = *Esse locum reductioni ad rationem elemosinæ manualis deleta Missa sollemni*. Videndum itaque, an in præsenti casu sit locus diletioni oneris Missarum duarum singulis hebdomadis, seu potius Missæ cum cantu in die festo S. Rocci.

Denique non est prætereunda reflexio, quod Oratores nullam habent causam a Sextilio Nicolini, neque ab ejus hæredibus, sed domum possident uti hæredes emptoris, qui illam oneroso titulo acquisivit, cum lege dumtaxat solvendi annua sc. 15. Capitulo Collegiatæ Ariciæ, absque eo quod ullam in bonis propriis obligationem emiserint. Quid ergo in hisce circumstantiis dijudicandum sit viderint Emi PP., a quibus quæritur.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Sess.22. cap.6. de Reform.

ROMANA ALIMENTORUM. Conspicuam summam scutorum triginta millium Paulus Paganini donavit Ven. Archiconfraternitati Sanctissimæ Annunciationis de Urbe, cum lege, ut ex annuis fructibus tot dotalia subsidia scutorum centum pro quolibet distribuerentur pauperibus Puellis, quæ sive in Domino, sive in sæculo nuberent. Jus nominandi ad medietatem subsidiorum dotalium Deputatis ejusdem Ven. Archiconfraternitatis tribuit, & pro alia medietate contulit Magdalenæ ejus Nepoti nuptæ Theodosio de Rubeis, eorumque descendentibus

tibus tam masculis, quam fæminis in infinitum. Istius liberalitatis intuitu plura Summi Pontifices beneficientiæ argumenta præbuerunt erga descendentes a Familia de Rubeis, quorum favore & dotium cumulum, & alimentorum præstationem demandarunt. Hisce motus exemplis Julius de Rubeis supplicem obtulit Sanctissimo D.N. libellum, quo postulavit, ut ex medietate redituum legati Paganini eroganda pro Puellis ab ipso nominandis, detrahantur annua scuta 60. pro alimentis Aloysii filii sui, qui hujusmodi subsidio adiutus & litteris erudiri, & in aliquo Seminario educari possit. Ablegatis precibus S. huic Congregationi, cum Archiconfraternitas petitioni obstiterit, oportuit idcircò dubia proponere, quæ in calce transcripta leguntur.

Inquit ad I. Julius de Rubeis denegandam sibi non esse petitam pro Filio alimentorum præstationem, tum quia probat suam descendentiam a Paulo Paganini, tum etiam quia constat de gravi suæ Familiæ paupertate, cui pii legati Fundator prospexisset, si illam prævidere potuisset, *Cap. Nobis* 25., *& Cap. Quicumque de Jurepatr.* Maximè quia res est de Alimentis præstandis optimæ indolis Adolescenti, & ex causa studiorum, quam æque privilegiatam dicit ac causam dotium *Gratian. cap.*62. *n.*3. *&* 4., *Rot. decis.*485. *num.*5. *part.*13., *& decis.*349. *num.*1. *part.*2. *Recen.*. Allegat exemplum Philippi Paganini Avi, qui ex fructibus pii legati subministrationem scut.5. in singulos menses a S.M. Clemente XII. reportavit. Et quia Archiconfraternitatis Deputati hujusmodi gratiam referunt ad extremam ejusdem Philippi paupertatem non valentis alimenta præbere numerosæ soboli, quam ex duplici conjugio susceperat, respondet, non dissimilem esse suam conditionem, suamque paupertatem Parochi testimonio comprobatam, cum sibi, & Familiæ unicè victum quærat ex negotio Aurigæ, quod nedum tenuissimum est, sed ut plurimum insufficiens ad vitam honeste sustentandam.

Nec nullimode computari posse assignamentum scutorum quinque ex pio legato Paganini anno 1767. factum Annæ Oratoris Filiæ, tum quia hujusmodi assignamentum nè sufficit quidem ad alimenta, vestes, aliaque necessaria eidem Annæ comparanda, tum etiam quia pro alendis aliis quinque filiis jam adultis major modò requiritur impensa, quam quæ retroactis temporibus requireretur.

Ex his infert ad II. impertiendam esse Aloysio filio petitam alimentorum subministrationem in scutis quinque in singulos menses a die, quo porrecta fuit supplicatio, scilicet a mense Maii anni 1770. Præsertim quia ex reditibus medietatis pii legati, quæ assignata fuit pauperibus Puellis a Familia de Rubeis nominandis, deductis oneribus

adhuc eroganda supersunt annua scuta 143., quibus Oratoris filio commode succurri potest.

Ex alia verò parte Archiconfraternitatis Deputati quoad I. animadvertunt, Paulum Paganini tantummodo pauperibus Puellis in donatione prospicere voluisse, ac proinde fructus pii legati nequaquam converti posse in causam alimentorum pro masculis, qui nunquam fuerunt a Donante contemplati *leg. Fideicom. §. Si rem ff. de legat.3., leg. Meminerint Cod. unde vi, Authen. de hæred., & Falcid. in fin.* Et quamvis admittant Patrono pauperi ex bonis Ecclesiæ succurrendum esse, id tamen locum habere affirmant in supplementum, quatenus nempè Patronus aliundè non habeat, unde vivere possit *Cap. Quicumque 16. Abb. in cap. Nobis num.6.*. Negant, Julium de Rubeis in eo statu reperiri, cum Aurigæ artem exerceat, paratumque habeat negotium curribus, & equis sufficienter instructum; nec non alterum negocium exerceat, quod dicunt *Caffettiere*, unde quidquid ad Familiæ sustentationem necessarium fuerit, percipere potest.

Addunt, satis superque ex reditibus pii legati consultum fuisse Oratoris paupertati per annuam assignationem scut. 60. factam Annæ filiæ degenti in Monasterio Narniæ, ubi observant annua solum scuta 25. requiri. Concludunt, medietatem legati Paganini adeo huc usque livellis, atque assignamentis prægravatam esse, ut nonnisi quam annua scuta 85. libera supersint, atque hæc imminui deinceps potuerunt ob immanem Familiæ de Rubeis Puellarum numerum, quarum petitiones in dies augebuntur.

Nihil quoad II. dubium respondent Archiconfraternitatis Deputati, iis forsan consisi rationibus, quæ in primo dubio deduxerunt.

Eminentissimus Protector post expositam facti seriem, relataque argumenta ab utraque parte adducta, hæc habet = *Sane Paulus Paganini, dum Archiconfraternitati donavit conspicuam summam scutarum triginta millium, unico Puellarum favori respexisse visus est, ut nimirum facilius nuberent sive in Domino, sive in sæculo sine detrimento pudicitiæ.*

Nihil in hac causa ponderandum occurrit præter ea, quæ hinc inde a Partibus exposita sunt. Viderint Eminentissimi PP., an constet de Oratoris paupertate, & an aliqua liberalitate sit ejus filio succurrendum, ut definiant.

I. *An sit locus præstationi alimentorum causa studiorum ex reditibus legati pii bo.me. Pauli Paganini in casu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & in qua summa, & a quo tempore sint eadem alimenta præstanda in casu &c.*

SE

SEGOBIEN. In relatione status suæ Ecclesiæ Episcopus Segobiensis dubium S. Congregationi proposuit, quod his præcisè verbis expressit = *An Confirmationis Sacramentum solis Adultis, aut usu rationis prædictis ministrare debeam, an etiam Pueris nulla habita ætatis ratione ad illius Sacramenti susceptionem vi consuetudinis hic vigentis admitti licitè possint, in nostris præcipuè tam amplis Hispaniæ Diœcesibus, in quibus dum earum visitatio fit vix, ac ne vix quidem convocari queunt Adulti per Montes, & Agros dispensi, inducique, ut prius quam tantum Sacramentum suscipiant, Sacramentali confessione disponantur, nisi visitatio in plures, quam commodè fieri potest dies protrahatur. Quæ impedimenta meo judicio in causa fuere, cur Episcopi hujus Regni confirmationis Sacramentum & Pueris, & Adultis communi beneficio etiam num conferre consueverint*=Super hoc igitur sapientissimum EE.VV. judicium exquiritur, nec inopportuné erit nonnulla animadvertere, quæ ad rem conferre posse videntur. *Sess.7. cap. 3. de Confirmat.*

Nullam olim ætatem ad suspiciendum Confirmationis Sacramentum præfinitam fuisse, sed ætatem quamlibet sicut Baptismo, ita & Confirmationi idoneam habitam fuisse, luculentissime patet ex antiquissimo more, qui in Ecclesia viguit, & ad sæculum usque XIII: perseveravit, conferendi Confirmationem statim post Baptismum, de quo plura apud Martene *De antiquis Ecclesiæ Ritibus lib.* 1. *cap.* 2. *art.*1. §. 2., *& seq.* Constat præterea, diu multumque in Ecclesia permansisse usum confirmandi pueros. Siquidem Innocentius Papa I. *in Epistola ad Decentium Eugubinum Episcopum* §.6., meminit Confirmationis *infantium* his verbis: *De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere*. Meminit etiam S. Augustinus *tract.*6: *in* 1. *Johannis Epistolam num.* 10. dicens: *quando imposuimus manus istis infantibus adtendit unusquisque vestrum &c.*, Meminit denique Gennadius *in libr. de Eccles. dogmat.*, nec non Ordo Romanus, aliique libri ritnales sæculi VIII. IX. X. XI.; ubi ritus describuntur, quibus parvuli consignari debent.

Morem hunc sæculo etiam XII., & XIII. passim obtinuisse, plures ostendunt Synodales Diæcesum Constitutiones. Odo quippe Parisiensis Episcopus, qui Mauritio successit, anno 1196., vel 1197. in sua Synodo statuit *I. Ut Sacerdotes frequenter moneant Populum ad Confirmationem puerorum. II. Quod post Baptismum debet suscipi Sacramentum Confirmationis* III. *Ut sæpe dicatur Laicis, ne expectent diu ad confirmandum pueros adventum Episcopi, sed ducant eos ad eum, nisi adesse audierint prope*. Synodus incerti loci ædita ab Edmundo Martene *tom.*4. *Anegdot. cap.* 39. inquit *Publice proponatur in Ecclesia, quod nisi infra annum puer fuerit confirmatus, tam Pater, quam Mater ab ingressu Ecclesiæ suspendetur*. Richardus Poore Episcopus Sarumensis in Anglia *in suis*

Constitut. cap. 24. inter cetera edixit = *Si ultra quinque annos & plus puer fuerit per negligentiam, ac incuriam parentum non confirmatus, tam Pater, quam Mater ab ingressu Ecclesiæ tamdiu suspendantur, quousque puer confirmetur. Simili pœnæ subiacebit Sacerdos, qui circa hoc negligens fuerit.* Synodus Oxoniensis anno 1887. *cap.* 3. hæc habet = *Ne ob parentum negligentiam parvulos contingat absque Confirmatione diutius remanere, statuimus, ut parvuli infra triennium a tempore ortus sui Confirmationis recipiant Sacramentum . . . Alioquin Parentes ex tunc qualibet sexta feria in pane, & aqua jejunent, donec pueri confirmentur.*

Hujusmodi tamen disciplina Sæculo XIII. desinente, & XIV. ineunte cœpit immutari in Germania, Galliis, & Italia. Synodus enim Coloniensis *anno* 1280. *cap.* 5. celebrata permisit, ut septimus ætatis annus ad Confirmationem recipiendam expectaretur. En verba *Præsbyteri moneant Parentes, ut pueros nondum confirmatos ad Episcopum, qui solus potest confirmare, ducant septennos, vel majoris ætatis.* idemque habetur in Synodo Lingonensi anni 1404., atque hujusmodi ætas ita placuit omnibus, qui interfuerunt Conciliis Sæculo XVI. celebratis, ut eam præverti passi non fuerint. Hinc Concilium Provinciale Mediolanen. I. *tit. de his quæ pertinent ad Sacr. Confirm. administrationem*, in *Act. Eccles. Mediol. part.* 1. sic jussit: *Minori septennio Confirmationis Sacramentum nemini præbeatur.* Idque decreverunt Synodus Turonensis an. 1583. *cap.* 7., Synodus Bituricensis anno 1584. *tit.* 32. *can.* 4. Synodus Aquensis anno 1585. *cap. De Confirmationis Sacramento*, Synodus Tolosana *anno* 1590. *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. Synodus Narbonensis *an.* 1609. *cap.* 15., quarum decreta leguntur apud Vvitasse *de Sacramento Confirmat. quæst.* 4. *art.* 2. & apud Benedictum XIV. *De Synodo Diœces. lib.* 7. *cap.* 40. *num.* 3. Atque hæc hodierna est disciplina Ecclesiæ, quam Catechismus ex decreto Concilii Tridentini æditus *De Confirmat. Sacram. tit. quo ætate Christiani ad hoc Sacramentum admittendi* his verbis expressit: *Observandum est, omnibus quidem post Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis usum habuerint. Quare si duodecimus annus expectandus non videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit.*

Hodiernæ consuetudinis plures afferunt Theologi rationes. I. scilicet, ut evitetur periculum iterationis hujus Sacramenti. II. Quia cum hoc Sacramentum sit quasi ultima consummatio Sacramenti Baptismi, ut ait S. Thomas, & veluti secunda Fidei professio, conveniens idcirco esse dicunt, ut qui primam fecerunt per alios, secundam per se faciant. III. quia cum necessitas non urget, quærenda est major revertentia Sacramenti, quæ servatur, quando

do propria devotione suscipitur, & fide. IV. quia Confirmatio, *non ad salutis necessitatem instituta est, sed ut ejus virtute optime instructi, & parati inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset: ad quod sane pugnæ genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos esse judicavit*, ut legitur in Catechismo *loco sup. citat.*

Verum hanc disciplinæ mutationem, justis de causis in Latinam Ecclesiam invectam, nunquam amplexa est Ecclesia Orientalis. Retinet enim etiam nunc morem vetustissimum ministrandi statim post Baptismum Confirmationis Sacramentum, sicuti testantur inter cæteros Leo Allatius *De perpet. consens. Eccles. Occid.*, & *Orient. lib.3. cap.* 18. Thomas a Jesu *De conversion. Gentium lib.*7. *cap.*7., ac Joseph Vicecomes *in observat. Ecclesiast. de antiquis Baptismi ritibus lib.*5. *cap.*32., atque de Maronitis, & Syris refert id ipsum Naironus in *Eupolia Fidei Catholicæ part.*2.*cap.*3. Consuetudo hujusmodi suis idoneis causis, atque rationibus minime destituitur, quas Pater Drovet *tom.*2. *De Re Sacrament. quæst.*9. æquiparare videtur iis rationibus, quibus innititur disciplina hodierna Ecclesiæ Latinæ, & sic ait: *Habent suæ consuetudinis idoneas causas Græci; habent & suæ Latini. Illi subjecti magis, quam Sacramenti respectum habentes, voluerunt, Confirmationem statim post Baptismum conferri, ut nimirum, quidquid gratiæ poterant, promptius Neophytis procurarent. Isti decori magis, ac dignitati Sacramenti, quam exigentiæ Fidelium consulentes, eousque differendum statuerunt, donec instructionis capaces essent, & possent divini beneficii pretium pro meritis æstimare.* Causas hujusmodi, quibus Orientalis, & Occidentalis Ecclesia diversa disciplina fulcitur, præ oculis habens Benedictus Papa XIV. relinquendos duxit Cophtos in sua antiqua consuetudine recipiendi Confirmationis Sacramentum statim post Baptismum, sed simul summopere reprehendendos, quod abhorrerent a Baptismo ritu Latino collato ex hoc potissimum, quod seorsim a Confirmatione administretur, prout videre est in ejusdem Pontificis Constitutione incipien. *Eo quamvis tempore la* 129. *tom.*1. *Bullar.* §.5., & 6.

Cæterum quamvis consultissimè cautum sit in Latina Ecclesia, ut renatis fonte Baptismatis conferatur Sacramentum Confirmationis in ea solum ætate, in qua instructionis capaces sunt, & possunt Divini beneficii pretium pro meritis æstimare, vetitum tamen absolutè non est, ne ullo unquam casu septennio minoribus conferri queat: Quinimmo ex iisdem Synodorum decretis, quibus hodierna firmatur Ecclesiæ Latinæ disciplina, liquido apparet, pueris ante septimum ætatis annum licitè posse administrari. Re quidem vera in Concilio Mediolanensi Provinciali V. *ann.*1579. habito *part.*1. *Actor. Eccles. Mediolan. pag.*187. *noviss. edit. Patavinæ, tit. quæ ad Sacramentum*

Con-

Confirmationis pertinent hæc statuta leguntur : *Alio decreto, quod in Concilio Provinciali I. sancivimus, cautum est, ne Confirmationis Sacramentum iis præberetur, qui annis septem minores natu sunt : si tamen Episcopus ob aliquam causam justam, atque adeo necessariam, parvulo, & infanti, qui non modo eam ætatem expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum*. Synodus Turonensis an. 1583. de Confirmatione loquens prohibuit solum, ne id *facile* fieret : Aquensis Synodus anni 1585. vetuit ne id fieret, *nisi justa de causa* : Tolosana an. 1590. id fieri non permisit *nisi summa* esset *necessitas*.

Atque ad id referri debent, quæ habentur in Pontificali Romano Clementis VIII primum, deinde Urbani VIII. auctoritate recognito, ubi *tit. De Confirmandis* pro certo supponitur, Sacramentum Confirmationis etiam infantibus ab Episcopo administrari. Sic enim ibidem legitur *Pontifex infantes pueros, vel Adultos Sacri Baptismatis unda perfusos confirmare volens paratus . . . accedit*. Et iterum = *Infantes per Patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dexteris*. Atque hac ratione conciliari facile potest Cathechismus Concilii Tridentini cum Pontificali Romano, ita ut nulla sit contrarietas, nullaque antilogia, quemadmodum animadvertit Bened. XIV. *de Synod. Diœces. loc. sup. cit. num.* 8. dum ait = *Catechismus prohibet, ne regulariter Sacramentum Confirmationis conferatur pueris ante septennium : Pontificale supponit, quod in aliquo extraordinario casu, justaque urgente causa possit idem conferri. Quæ traduntur in Catechismo constituunt regulam : quæ adduntur in Pontificali, constituunt limitationem regulæ*.

Si quis autem quærat, quæ nam esse possit justa, & urgens causa ministrandi Confirmationem infantibus, ac pueris, primo loco respondetur, quod habenda ratio est discriminis eorum vitæ. Et sanè, quod Confirmatio non sit denegandа pueris ante septennium, si tali morbo laborent, ut decessuri prævideantur, patet ex Divo Thoma, qui 3. *p. q.* 72. *art.* 8. *ad* 4. sic rem conficit : *Anima, ad quam pertinet spiritualis ætas immortalis est. Et ideo etiam morituris hoc Sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum illud Ephes.* 4. 13. : Donec occuramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi = Et ideo *Hugo de S. Victore lib.* 2. *de Sacrament. part.* 7. *cap.* 3. ait, omninò periculosum esse, si quis ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret : *non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinent gratiam*. Et antea Angelicus Doctor docuerat = *Ætas corporalis non præjudicat animæ, unde etiam in puer*

puerili ætate homo potest consequi perfectionem spiritualis ætatis, *de qua dicitur Sap.*4. 8.: Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. *Et inde est, quod multi in puerili ætate propter robur Spiritus Sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo*. Et quamvis non desint, qui asserant, Angelicum Doctorem hic non loqui de infantibus, cum dicat, *multos eorum fortiter certasse pro Christo*, attamen *in* 4. *disc.*7. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæst.* 2. eamdem doctrinam ad infantes quoque extendit, dum ait: *Quia infantilis ætas non patitur fictionem, qua effectus Sacramenti impediatur*. En integrum S. Doctoris testimonium: *Confirmatio potest puero tradi, & convenienter traditur: quia infantilis ætas non patitur fictionem, qua effectus Sacramenti in traditione impediatur, & ideo quamvis ei tunc non competit confiteri, vel pugnare, certum tamen est, quod effectum Sacramenti plene recipit, per quem erit idoneus ad pugnam, & confessionem ad perfectam ætatem veniens, nisi gratiam acceptam per peccatum amittat*.

Jure igitur meritoque pueris morituris Sacramentum Confirmationis confertur, quemadmodum pluribus prosequitur Catalanus *tom.* 3. *in Pontificale Romanum pag.* 227. *num.* 22.. Licet enim (ut observavat Benedictus XIV. *loc. cit. num.* 6.) Confirmatio non sit illis ante usum rationis necessaria ad pugnandum pro fide Christi, non est tamen inutilis, tum quia auget illis gratiam, tum quia eis tribuit jus ad recipienda gratiæ auxilia, quibus suo tempore roborentur ad sustinendam pugnam in casu, quo ex morbo convalescant. Quam ob rem Du-Hamal *tom.*5. *Theolog. tract. de Sacrament. dissert.* 3. *cap.* 1., postquam docuit expedire, ut Sacramentum Confirmationis conferatur habentibus usum rationis, excipit infantes constitutos in mortis articulo, quibus laudabiliter conferri affirmat.

Præter vitæ discrimen, aliæ insuper non desunt justæ causæ, ob quas Confirmatio pueris ante usum rationis sancte, & licite administrari valeat etiam juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, uti animadvertunt Sylvius *in* 3. *p. S. Thomæ q.*72. *art.*45., Layman. *Theolog. Moral. lib.* 5. *tract.*3. *cap.*5. *num.*2., Diana *p.*3. *tract.*4. *resolut.*19., Cotonius *lib.*1. *de Sacram. controv.* 3. *cap.*3. Ivenin *de Sacram. dissert.*3. *q.*8. *cap.*1., Silvester Maurus [*tom.*3. *Theol. lib.* 11. *q.*119. *num.*4., Roncaglia *de Sacram. tract.* 3. *cap.*3. *num.*5. Card. Gotti *tom.*13. *Theolog. pag.*336. *num.*6., aliisque plurimi, de quorum sententia possunt etiam modo inungi pueri ante septennium, si prævideatur futura diutina absentia Episcopi, aut non facilis in posterum futurus ipsius Episcopi accessus ad pueros vel ob ingravescentem ejusdem ætatem, vel propter puerorum distantiam a Civita-

te;

te, vel propter itineris difficultatem, aliamve justam causam.

Nec demum omittenda sententia S.M. Benedicti XIV. exposita in *tract. de Synodo Diaecesf. lib.7. cap.*10. Refert in primis, non multis antea annis dubitatum, & disceptatum fuisse, an sustinenda esset quædam Synodalis Constitutio, in qua Episcopus paratum se declaraverat ad Sacramentum Confirmationis administrandum pueris mox decessuris, ne privarentur incremento gratiæ, & gloriæ, quod certo forent ab eo Sacramento consecuturi. Pluribus hinc in medium adductis, quæ ad rem. de qua agitur sunt valde accommodata, sic demum concludit *Quibus positis, si Episcopus in suis Constitutionibus diceret, paratum se esse ad conferendum Sacramentum Confirmationis pueris, & infantibus baptizatis, sed constitutis in mortis periculo; aut juberet, ut sibi Sacramentum Confirmationis ministraturo in hoc, aut illo loco suæ Diæcesis, exhibeantur pueri, & infantes, cum facilis ad eos imposterum sibi non sit futurus accessus, vel propter sui ingravescentem ætatem, vel propter eorum distantiam a Civitate, aut propter itineris difficultatem, nihil profecto in hujusmodi Constitutionibus Synodalibus videretur reprehendendum, cum in præfatis circumstantiis non sit locus regulæ traditæ in Catechismo, sed potius limitationi ejusdem regulæ, de qua in Pontificali.* His ergo relatis, inquirendum est, an quæ in præmisso Postulato afferuntur motiva, & causæ ungendi etiam pueros ante septennium, uti fieri consuevit in Diæcesi Segobiensi, satis aptæ sint, atque idoneæ ut recedatur a generali regula, atque idcircò sequi oporteat ejusdem regulæ limitationem, cui locus est, ubi justa aliqua causa concurrat. Quæritur.

An attentis peculiaribus circumstantiis Sacramentum Confirmationis administrari possit etiam Pueris, vel Infantibus nulla habita ætatis ratione in casu &c.

Sess.21. cap. 1. de Reform.

LEODIEN. INDULTI. Mos est antiquissimus in Collegiata Ecclesia S. Dionysii Civitatis Leodii, ut Capitulares omnes in Capitulum admissi reditus duorum annorum, quos vocant *annos carentiæ*, favore Fabricæ Ecclesiæ relinquere teneantur. Cum vero eadem Collegiata pluribus indigeret reparationibus, & Capitulum plura ea de causa debita contraxisset, supplicem obtulit libellum san.mem. Benedicto XIV., quo exposuit tum tenuitatem redituum ad Fabricam pertinentium, tum reaptationum necessitatem, petiitque proinde, ut tertium quoque carentiæ annum *excepta sola permutationis causa* addere dignare-

retur, fructusque Fabricæ Ecclesiæ applicare. Preces remissæ fuerunt Sac. huic Congregationi, de cujus consilio laudatus Pontifex die 24. Januarii 1749. litteras Apostolicas in forma Brevis expediri mandavit, quibus Officiali Leodiensi commisit, *ut tam fructus tertii anni Præbendarum Ecclesiæ hujusmodi inde vacaturarum, excepta causa permutationis, & exceptis Coadiutoribus actu existentibus, quam alios duarum Præbendarum supranumerarium in superius expositam fabricæ causam in decennium tunc inde proximum Auctoritate Apostolica gratis applicaret.*

Elapso primo decennio S.M. Clemens XIII. ad preces Capituli aliud Indultum iisdem conceptum clausulis, & conditionibus die 21. Julii 1759. concessit. Denique anno 1770. supplices Capitulares adierunt SSmum D. N., è cujus beneficentia novum Indultum per organum S. hujus Congregationis reportarunt, in quo expresse pariter excepta fuerunt beneficia, quæ vacassent *ex causa permutationis*, *prout etiam illa Coadiutorum actu existentium*. Vigore postremi hujus Indulti existimavit Capitulum ad tertium carentiæ annum adigendum esse Canonicum Petrum Franciscum de Maccar Coadiutorem deputatum an. 1760., qui ob mortem Coadjuti die 13. Martii 1770. in liberam Canonicatus possessionem fuerat immissus. Hac proinde de causa Canonicatus reditus eidem constanter denegavit; Quare Canonicus de Maccar recursum habuit ad S.Congregationem, ut ad perceptionem fructuum tertii anni admitteretur, & modò quæritur, an ejus petitioni sit indulgendum.

Contendit itaque non aliundè Capitulum jus suum desumere posse, quam ex posteriori Indulto anni 1770., sed nullimodè in eo comprehensum se esse dicit, cum excepti expresse fuerint Coadjutores actu existentes, in quorum numero usque ab anno 1760 reperiebatur. Perperamque opponi, Indultum anni 1770. nil aliud præseferre, quam prorogationem alterius Indulti anno 1749. concessi, proindeque clausulam illam *exceptis Coadiutoribus actu existentibus* referendam esse ad Coadjutores tempore prioris Indulti existentes, non autem ad eos, qui posteriori tempore admissi fuerunt. Respondet enim nullum in postremo Indulto reperiri verbum, quod prorogationem præseferat quinimmò postremum hoc Indultum concessum fuisse postquam elapsi jam fuerant octo menses a tempore expirati Indulti anni 1749.

Cæterum etiamsi tertium Indultum prioris prorogationem tantummodo importaret, nihilominus observat, quod sicuti in isto Coadiutores actu existentes excipiuntur, ita etiam in illo excepti intelligi debent Coadiutores, qui tunc actu extabant, *Cap. Mandatum de Rescript.*, *Cap Final. de Præbend.*, & *Cap. Multiplic.* 3. Præsertim quia, si conditio Coadiutores excipiens in postremo Indulto adje-

cta intelligi velit de Coadiutoribus existentibus anno 1749. inanis prorsus fuisset, quia de tempore postremi Indulti nulli aderant Coadiutores ex iis, qui eodem anno 1749. extabant. Advertit etiam exceptos in Indulto fuisse tam Coadiutores, quam beneficia ex causa permutationis, & nihilominus fructus tertii anni ex hisce beneficiis percepti fuerunt, licet plures post Indultum permutationes evenerint. Ac demum ponderandum proponit, quod licet Capitulum in precibus postulaverit, ut exciperentur beneficia ex sola causa permutationis, semper tamen addita quoque fuit exceptio Coadiutorum *actu existentium*.

Neque objici posse factum Canonici de Bardene, nec non Canonici Chostret, & Præcistæ Cæsarei, qui cum post primum Indultum munus Coadiutoris assumpserint, amissioni fructuum in tertio carentiæ anno se submiserunt. Siquidem quoad Canonicum Bardene animadvertit, hunc de Coadiutoria fuisse provisum in mense Maii anni 1761., & Coadiutum obiisse in mense Augusti anni 1764. Infert idcircò, quod cum de tempore secundi Indulti, scilicet de anno 1759. non esset amplius Coadiutor, mirum videri non debeat, si legi carentiæ pro tertio anno se submiserint. Quo vero ad Canonicum Chestret observat, nullam ex ejus facto regulam desumi posse, cum prorsus ignoretur quo tempore in Coadiutorem fuerit deputatus. Quod si non obstante exemptione, quæ eidem vigore Indulti competere potuisset, subire nihilominus voluerit tertium carentiæ annum, contendit, ex facto unius Canonici nullum præjudicium aliorum juribus inferri *Rot.cor.Seraphin.dec.*1303. *n.*7. *& in Recent. decis.*49.*n.*27. *part.*19. Extraneum autem putat exemplum Præcistæ Cæsarei, cum ejus Præbenda neque per permutationem, neque per Coadjutoriam unquam vacaverit, neque idcirco a lege carentiæ eximi potuerit. Denique inallegabile prorsus esse dicit aliud exemplum Canonici Querin, qui post oblatas jam preces pro obtinendo postremo Indulto, Canonicatum per resignationem fuit assequutus. Respondet enim præscriptum de eo fuisse a Sacra Congregatione, ut sub exemptione in Indulto expresa nullimode comprehenderetur, addita in eodem Indultó declaratione = *Non tamen excepta Præbenda novissime per resignationem dimissa* = Hinc peculiaris dispositio in uno casu demandata, ad alios trahi non posse.

Ex alia parte nihil hactenus deductum est. Officialis Leodiensis transmissis documentis a Collitigantibus exhibitis, sapientissimum EE. VV. judicium expectat.

Tota Causa pendet ex intelligentia Indulti, cujus verba superius transcripta sunt. Hæc igitur perpendere rogantur Emi PP. ut definiant

An Canonicus de Maccar teneatur ad tertium carentiæ annum, in casu &c.

Dic

Die Sabbathi 23. Aprilis 1774. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

IN præsenti folio aliquid addere visum est ad complementum præteriti folii, pro cujus reassumptione Emi PP. deprecantur. Restat igitur ut omnia mature perpendantur, & dubia, quæ proponuntur, opportune definiantur.

FIRMANA CAPELLANIARUM. *Sess. 23. cap. 8. de Reform.*

I. *An Capellaniæ ordinatæ a Jacobo Ferri, & conferendæ Familiis Ugolini, Bartolazzi, & Pampinoni sint Sacerdotales, vel non Sacerdotales, in casu &c.*

Et quatenus Affirmativè ad primam partem, & Negativè ad secundam

II. *An Capellani teneantur per se ipsos onera adimplere, in casu &c.*

Et quatenus Affirmativè

III. *An, & quomodo in casu inadimplementi sit providendum, in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Iterum proponatur.

Ad III. Dilata.

ALBANEN. CAPPELLANIÆ. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Negative.

Seſſ. 22. cap. 6. de Reform.

ROMANA ALIMENTORUM.

I. *An ſit locus præſtationi alimentorum cauſa ſtudiorum ex reditibus legati pii bo. me. Pauli Paganini in caſu &c.*

Et quatenus affirmativè.

II. *An, & in qua ſumma, & a quo tempore ſint eadem alimenta præſtanda in caſu &c.*

Ad I: Negativè, & amplius.

Ad II. Proviſum in primo.

Seſs. 7. can. 3. de Confirmat.

SEGOBIEN. Cum dubitatum a nonnullis fuerit, an Sacramentum Confirmationis adminiſtrari poſſet Pueris, & Infantibus, quorum interitus prævidetur, & morti proximi exiſtimantur; atque inter pugnantes hac de re opiniones ſæpius Epiſcopi conſultationes habuerint, certamque ſemitam, quam ſine offenſione, aut periculo ſequi deberent, ſibi aperiri poſtulaverint, idcircò occaſione propoſitionis iſtius cauſæ, quæ judicium EE. VV. expectat, præter dubium, quod cohereat circumſtantiis ab Epiſcopo Segobien. propoſitis, non incongruum videtur alterum dubium addere quoad pueros morti proximos, cujus definitio rem totam conficiat. Ultra ea, quæ in præterito iſtius Cauſæ folio perpenſa jam ſunt §. *Si quis autem*, & §. *Jure igitur*, animadvertere præſtat, quod licet Eccleſia Latina decori, ac venerationi Sacramenti proſpiciens, priſcam conſuetudinem confirmandi pueros ſtatim poſt Baptiſmum immutandam decreverit, nihilominus non abſolutè, atque expreſſe prohibuit, quominus pueri ante rationis uſum confirmarentur, quando ex neceſſitate, & propter vitę diſcrimen id expedire viſum fuerit. Ita planè ſentiunt *Sylvius in 3. part. Divi Thomæ quæſt. 72. num.* 8., *Diana part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 19., *Juvenin. de Sacram. diſſert.* 3. *quæſt.* 8. *cap.* 1., aliique relati a ſa. mem. Benedicto XIV. *de Synod. Diœceſ. lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 5.

Hinc auctor de re Sacramentaria *lib.* 3. *quæſt.* 8. *cap.* 1. *quæſtiunc.* 2. inquit = *Nec putandum morem hunc ægrotantes confirmandi ab Eccleſia abrogatum: quamquam enim ubique penè deſierit, idem tamen etiam num legum antiquarum eſt vigor, Eccleſiæ eadem voluntas, quæ ſemper optavit, ut filiis ſuis omni ratione ſuccurreretur, nec ulla omninò Sacramenta ſubtraherentur, quæ Chriſtus Dominus ad ſalutem hominum procurandam, eorumque gratiam, ac gloriam amplificandam inſtituit* = Et Edmun-

Edmundus Martene *lib. 1. de antiq. Ecclesiæ ritibus cap. 2. art 1. num.6.* ait = *Alioquin omni ætati conferendum est Confirmationis Sacramentum, & prævalere debet illud S. Thomæ. . . Morituris hoc Sacramentum dandum est*. Atque in hanc Sententiam descendit Catalanus *ad Pontifical. Roman. tit.21. §. 7. num.20., & seqq.*

Nec defuerunt illustris memoriæ Episcopi, qui licèt ad avertendum periculum reiterationis, ætatem infantili majorem pro Confirmatione requisierint, periculum tamen mortis exceperunt. Præ omnibus attendere sufficiat laudatum Pontificem Benedictum XIV., qui dum Bononiensem Ecclesiam regeret, morem hunc confirmandi pueros morituros servavit, quamvis quoad alios præscripserit, neminem confirmaturum, qui septennium non excessisset. Sic enim statuit *in Instit.6. num.12.* = *Illud palam monemus, neminem a nobis confirmandum, qui septimum ætatis annum non excesserit*, = & statim addidit = *Mandamus insuper Parochis, ut ægrotos nobis denuntient, qui in lethali periculo versantur, ne sine Confirmatione vitam absolvant, sicut etiam precepit S. Carolus* = Ægrotos prætereà nondum confirmatos designabit, eosque Archiepiscopo denunciabit, ut ne ingravescente morbo sine hoc Sacramento decedant = *Idem de pueris periculoso morbo laborantibus intelligendum est, cum S. Thomæ doctrina, & auctoritate certi simus, quod* etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequentur, sicut & hic majorem obtinent gratiam. *Nos autem nullo impedimento retardabimur, ne infirmos domi invisamus, ipsosque in eo discrimine Sacramenti hujus virtute confirmemus*. Et ante ipsum præscriptum id quoque fuerat in Concilio Provinciali Beneventano VI. sub Ugone II. a Guidardio Archiepiscopo habitum anno 1374.; Nam *tit.5. cap.3.* habetur = *Si verò casus necessitatis, mortis, vel alius immineat, tunc licitè cujuscumque ætatis parvuli fuerint, confirmentur*.

Et revera morituris semper subvenire curavit Ecclesia, ita quidem, ut si quis Infidelis infirmitate languens, baptizari, & Chrismate inungi optaverit, illico sit accurrendum, prout decernitur in antiquissimo *Can.39.* Eliberiano, *Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manus imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit eis manum imponi, & fieri Christianos* = & Concilium Parisiense anni 829. *can.33. tom.4. collect. Harduin. col.1318.* a lege decernente, ut Baptismus, & Confirmatio conferrentur dumtaxat tempore Paschatis, & Pentecostes, excepit infirmos, & periclitantes, de quibus ait = *Sicut Baptismatis gratia succurrendum, ita incunctanter donum Spiritus Sancti est tradendum.* Præcisius vero S. Carolus Borromeus, dum salutaribus adhortationibus, ac præceptis debitam tanto Sacramento venerationem, sanctamque ad illud susci-

suscipiendum dispositionem intimavit, de ægrotis sermonem habuit, quos absque Confirmatione decedere non permisit, prout constat ex verbis supra relatis *in instit.6. S.M. Benedicti XIV.* Atque in Concilio Provinciali V. anni 1579. *tit. de Sacram. Confirmationis* monuit, quod *si quis cum periculosè ægrotat, se Chrismatis Sacramento confirmatum non esse meminerit, ac propterea id sibi ministrari petat, tunc Episcopus si eo Loci est, ubi ille ægrotat, ut ne sine hoc Sacramento discedat, eum charitate paterna invisat, & ritè confirmet.*

Rationem autem affert Angelicus Doctor *part. 3. quæst. 72. art.8. ad* 4., dum ait = *etiam morituris hoc sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant . . . undè etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequantur, sicut & hic majorem obtinent gratiam* = Exemplum verò desumit a temporali vita: Nam sicuti de intentione naturæ esse dicit, ut omnis, qui corporaliter nascitur ad perfectam ætatem perveniat, licet quandoque impediatur propter corruptibilitatem corporis, quod morte prævenitur, ita multo magis de intentione Dei esse, omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione id natura participat, cum *Deuter.* 32. *vers.*4. habeatur = *Dei perfecta sunt opera* = Anima proinde, ad quam pertinet spiritualis nativitas, & spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, & quia tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi potest, ita etiam tempore juventutis, & pueritiæ ætatis perfectionem assequi valet. Cæterum hoc argumento non intelligit S.Doctor necessitatem Sacramenti Confirmationis suadere ad æternam salutem, prout disertè loquitur in *respons. ad* 4., sed tantum congruentiæ rationem assignare; atque etiam addi potest, quod virtute istius Sacramenti infunditur in Anima alius effectus, scilicet augumentum gratiæ, cui gloriæ augumentum respondet.

Et ideo SS. Patres, & Theologi illius excellentiam pluribus commendarunt, quia uberiorem gratiam Animæ conferre agnoverunt. S. Cyprianus in *epist.73. ad Jubajanum* ait, Fideles per Confirmationem Spiritum Sanctum recipere, & signaculo dominico consumari. S. Ambrosius *lib. 2. de Sacram, cap.*2. Sacramentum Confirmationis vocat perfectionem. S. Dionysius *de Ecclesiastic. Hyerarch.* inquit per hoc Sacramentum Divini Spiritus gratiam conferri. S.Isidorus Hispalensis *lib.2. de Eccles. offic. cap.26.*, S. Thomas *loc. sup. cit.*, Rabanus Maurus *lib.3. de instit. Cler. cap.*30., & Innocentius III. in *Cap. unic. de Sac. Unctione* dicit, quod *per frontis Crismationem manus impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eum Spiritus Sanctus ad augumentum datur, & robur*, scilicet per hoc Sacramentum gratia cumulatior perficitur, & fidei acceptæ in baptismo robur præstatur, ut explicat *Gonzal. in Comment. ad cap.4. de consuet. n.4.*; Deni-

Denique non est prætereundum, quod jam supra cum Divo Thoma innuimus, immò & pro certo habendum, Sacramentum Confirmationis non esse necessarium ad æternam salutem, idque clarius ab Angelico Doctore explicatum in *part.3. quæst.72. art.11. ad 3.* Postquam enim tradidit aliqua Sacramenta requiri, ut salvi esse possimus, alia verò ita esse necessaria, ut etiam sine ipsis ad gloriam pervenire valeamus, de Confirmatione ait, ut quisque *sine ea possit esse salvus*. Et S. Bonaventura *in 4. Sentent. dist.8. art.3. quæst.2.* scripsit = *Dicendum, quod est necessitas simpliciter, & necessitas conditionata: simpliciter non est gratia Confirmationis necessaria, sed necessaria ex conditione, scilicet pugnanti, & vincere volenti* Atque idcircò S.M. Benedictus XIV. in opere *de Synod. Diæces. lib.7. cap.10.* dum loquitur de puerorum Confirmatione, quam non denegandam censet ex justa causa, & quando adest, periculum mortis, prout *num.6.*, & 7., monet Episcopum, ut caveat, *ne in sua Constitutione quidquam dicat, quo insinuare videatur necessitatem, seu præceptum suscipiendi Confirmationem in ea ætate, & statu*, quemadmodum habetur *num.9*, ubi etiam advertit, ut Episcopus *Sacramentum administret ea dignitate, cui consulere voluit Ecclesia, cum illud denegavit infantibus ante adeptum usum rationis*; ac tandem cavendum, *ne postquam* Episcopus *paratum se dixit ad Confirmationem conferendam omnibus pueris positis in vitæ discrimine, libenter accurrat ad nobiliores, & sibi benevisos, & ire detrectet ai pauperes, aliosve de infima plebe*.

Cætera, ad rem, de qua agitur, magis opportuna, atque accomodata suppleat sapientia vestra Eminentissimi PP., & si quæ in præsenti, aut in præterito folio corrigenda occurrent, auctoritate vestra deleantur. Sufficit enim aliqua tantummodò delibasse, ut juxta propositum ab Episcopo Segobiensi postulatum, & juxta ea, quæ sæpius Episcoporum animos ex aliquorum diversa opinione ancipites reddit, certa habeatur responsio ad dubia, quæ proponuntur.

I. *An attentis peculiaribus circumstantiis Sacramentum Confirmationis administrari possit etiam Pueris, & Infantibus nulla habita ætatis ratione in casu &c.*

II. *An etiam administrari possit Pueris, & Infantibus in mortis periculo constitutis in casu &c.*

Ad I. Affirmativè nonnisi in gravibus, & urgentibus circumstantiis, super quibus conscientia Episcopi oneretur.

Ad II. Affirmativè.

LEO-

Seff. 21. cap. 1. de Reform.

LEODIEN. INDULTI.

An Canonicus de Maccar teneatur ad tertium carentiæ annum, in casu &c.

Negativè, & amplius.

Seff. 24. cap. 12. de Reform.

FULDEN. In Apostolicis litteris datis tertio nonas Octobris anni 1752. S.M. Benedictus XIV. Abbatialem Ecclesiam Fuldensem Ordinis S. Benedicti in Cathedralem, & Episcopalem erexit, ac illius Monasterii Abbates pro tempore existentes in Præsules, & Episcopos Fuldenses constituit. Quo verò ad Capitulum statuit, ut firma remanente ejus regularitate, & denominatione, constare deberet ex quatuordecim, vel quindecim Monachis professis; videlicet ex Decano, & octo Præpositis, nec non ex quinque, aut sex aliis Monachis non Præpositis, & quoad residentiam mandavit, ut *Decanus pro tempore existens, una cum octo ex dictis quinque, aut sex Capitularibus, non tamen Præpositis Monachis, ut antea, continuò apud Præposituram S. Andreæ residere, octo verò Præpositi pro tempore existentes, ultra residentiam in præfata Ecclesia in quatuor, & forsan ultra anni diebus per eos, ut prius fieri solitam, quisque ex eisdem octo Præpositis præfatis alternatim per integrum mensem quolibet anno, reliqui autem quatuor, vel quinque Monachi Capitulares pro tempore existentes hujusmodi, etiam alternatim per integros sex menses eorum respectivè residentiam apud eamdem Ecclesiam adimplere respectivè teneantur*. Quia verò prævidit, aliquam in hisce exequendis oriri posse difficultatem, idcircò addidit, *nisi aliter tam quoad octo Præpositos, quam alios Capitulares non Præpositos Monachos præfatos super residentia hujusmodi ab Apostolica Sede dispositum fuerit*.

Re quidem vera experientia comperiit Episcopus, & Abbas Fuldensis, præscriptas residentiæ leges pluribus ex causis detrimento esse Monasterio, Præpositis, & disciplinæ Regulari; Quare rem omnem exposuit in sua relatione anni 1765., cui S. Congregatio respondit, ut aptiorem aliquam residendi rationem, ac normam suggereret. Verùm Episcopus existimavit, temporum circumstantias, quæ immutari solent, non permittere, ut certam residentiæ legem locis, ac temporibus accomodatam præfiniret, proindeque magis opportunum fore dixit, *conscientiæ Episcopi, & Abbatis pro tempore rem hanc committere, qui si quidem modo residentiæ tractu temporis fallere perspexerit, aliu a,*

quem-

quem in Domino expedire censuerit, valeat præfinire; ac vel minuere limites residentiæ, vel etiam ampliare.

Ut autem maturiori consilio magisque accurata deliberatione S. Congregatio procederet, sententiam exquisivit Apostolici Nuntii Coloniæ, qui rebus omnibus diu perpensis, auditisque singulis, quorum intererat, censuit *precibus pro moderatione residentiæ oblatis benignè deferendum ejusdemque residentiæ determinationem, modumque Reverendissimo Episcopo Abbati Fuldensi relinquendum*. Sed in Congregatione diei 12. Decembris 1767., proposito dubio = *An sit consulendum Sanctissimo pro moderatione residentiæ in casu &c.* = rescriptum fuit = *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem, non retardata interim exequutione Bullæ Benedictinæ* = Viden. folium hac super re scriptum, quod est ad diem 21. Novembris ejusdem anni in *thesaur. resol. tom.36. pag.203., & seq.* Instructio verò hæc erat, ut adscitis, evocatisque omnibus Præpositis, & Capitularibus, eisque consultis, ea, quæ in hac re expedire videbantur, media proponerentur, quibus & Episcopali decori, rerum gerendarum necessitati, Præpositorum, & Capitularium & Monisterii minori incommodo, & detrimento consultum, perspectumque foret.

His ergo omnibus satisfecit Episcopus. Siquidem rem proposuit in Capitulo ordinario diei 30. Maii 1768., & Capitulares in ea unanimi sententia convenerunt, ut moderatio residentiæ arbitrio Episcopi, & Abbatis pro tempore relinqueretur. Id ipsum quoque sensit Episcopus, qui præterea addidit, æqualem residentiam statui non posse ad unum mensem tam quoad Præpositos, quam quoad alios Capitulares non Præpositos. Modum verò residentiæ, nempe de diebus festis, de horis Canonicis, de functionibus, de tempore, ac modo interessendi, Episcopi, & Abbatis arbitrio constituendum, ea tamen lege, ac conditione; ut quo magis onus residentiæ Capitularibus imminueretur, eo magis iidem Capitulares adigerentur ad residendum in suis Præposituris, & ad commissum sibi munus majori vigilantia, ac sedulitate ibidem obeundum. Itaque in nova dubii discussione, quæ accidit *die* 28. *Januarii* 1769. S. Congregatio respondit = *Affirmativè juxta votum Episcopi quoad numerum residentium, & tempus residentiæ: In reliquis arbitrio ejusdem Episcopi, ita tamen ut intra triennium statuat, quod statuendum existimabit, & referat S. Congregationi.*

Huic mandato paruit Episcopus, & in relatione status suæ Ecclesiæ narravit, quæ circa residentiæ modum præfinienda existimaverat, suasque ordinationes septem capitibus complexus est I., ut Capitulares omnes sive Præpositi, sive non Præpositi ad personalem unius mensis residentiam singulis annis teneantur. II. ut Decanus Capituli, Præposi-

tus in Monte S. Michaelis Archangeli, Superior Conventus ad S. Salvatorem, Capitulares omnes in eodem Conventu existentes, Præses Civitatis residentialis, nec non alii Cameræ principalis, & reliquorum officiorum Præsides, suam continuò præsentiam præstare debeant, iique omnes una cum Præpositis in vicinia commorantibus consultationi Capitulari, quoties convocabitur, debeant interesse. III. ut Decanus, & Superior Regularis Conventus Sanctissimi Salvatoris, aliique illius Conventus Capitulares Choro quotidie præsentes sint, & inserviant. IV. ut reliqui Capitulares sive Præpositi, sive non Præpositi extra Civitatem, & ruri habitantes in majoribus anni festivitatibus, præcipuè verò in Octava S. Bonifatii, Missam Sollemnem per se ipsos juxta ordinem decantare, supplicationes publicas comitari, & alia onera, præscriptaque Chori officia subire haud negligant. V. ut Punctator accurate adnotare debeat non residentes, & in Congregatione Capitulari quolibet anno testimonium scripto exhibere Decano Capituli de peracta, aut neglecta a quovis residentia. VI., ut a residentiæ lege nemo sit exemptus, nisi ex gravi necessitate, aut ex Jubilationis indulto. VII. tandem, ut Capitulares extra Civitatem, & ruri commorantes sive Præpositi sint, sive non Præpositi, quemadmodum a graviori residentiæ onere apud Ecclesiam Cathedralem exempti sunt, ita etiam strictius, ac melius vacare debeant iis officiis, quæ spiritualem, & temporalem suarum Præpositurarum curam respiciunt, juxta antiquas Constitutiones olim ab Apostolicis Visitatoribus editis, & S. Sedis auctoritate firmatas, nec non ad tramites vigentis laudabilis consuetudinis, & juxta ordinationes, quæ pro rerum circumstantiis ab Episcopo præfinientur,

Atque hęc Episcopus, & Abbas Fuldensis adprobanda confidit, cum non modo Cathedralis Ecclesiæ decori, Populi ædificationi, & Animarum saluti consultum sit, sed etiam residentiæ legi prospiciatur; præsertim cum Ecclesia Cathedralis nunquam destituitur Capitulo residente, cujus consilio, & opera Episcopus in Ecclesiæ regimine uti possit. Plura ad rem de qua agitur adnotata jam sunt in folio diei 21. Novembris 1767., quæ, quatenus opus sit, poterunt EE. VV. animadvertere, ut decernant.

An sit consulendum SSmo pro adprobatione in casu &c.

Non proposita cum aliis.

NUL-

NULLIUS FARFEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Seff. 22. cap. 6. de Reform.*

In poftremis teftamenti tabulis, quæ anno 1646. apertæ funt, Virgilius Antonini ex Oppido Podii Mirteti bina dotalia fubfidia fcutorum 25. pro quolibet fingulis annis diftribuenda reliquit pauperibus ejufdem Oppidi Puellis, defignavitque cenfum in forte fcut. 1600., ex cujus fructibus hujufmodi fubfidia perfolverentur. Decurfu temporis Teftatoris bona difperfa funt, ejufque hæredes in duas diftincti Familias, quibus ex æquo onus inhæret. Una eft Familia Bentivogli, quę inter primarias dicti Oppidi connumeratur, ejufque caput Hiacynthus five decrepitæ ætatis, five diuturnæ infirmitatis caufa, nuper obiit relicta Anna Uxore, ac filiis in fumma ægeftate conftitutis, ut qui prius honefte, ac decenter vitam ducere poterant, modò vix, ac ne vix quidem habeant undé miferè vivant. Hinc Anna anguftiis undique preffa fupplex adiit Sanctiffimum D. N., petiitque ut tam Filiæ fuæ nubili, quam fuis ex Filio Neptibus conftituere unicuique dignaretur dotem fcut. 500. conficiendam ex cumulo dotium, quæ juxta difpofitionem Virgilii Antonini diftribui debent. Preces remiffæ funt S. huic Congregationi, a cujus benignitate Anna exaudiri confidit.

Inquit enim, fuam Familiam gravi paupertate laborare, ita quidem ut & bona alienare, & æs alienum contrahere coacta fuerit ad victum comparandum, idque fatis patere ex fide Archipresbyteri, qui tum de paupertate, tum de debitis teftatur. Exceffivam non effe putat fubfidii quantitatem intuitu Natalium, & fanguinis conjunctione cum Teftatore, quam probat depofitione duorum Teftium ex honeftioribus Podii Mirteti Familiis, & fuftinet, quod fi Teftator fuperftes adhuc effet, talibus anguftiis compatiens opportunam opem allaturus foret, quam proinde non immeritò ab EE.VV. efflagitat.

Oratricis preces veritati innixas comprobat Abbatiæ Farfenfis Adminiftrator, eafque exaudiendas exiftimat, dum de illius Familia hæc habet = *Quæ proinde Familia digna eft, cui quantum in vobis effe judicaveritis opitulemini. In difpofitione verò Virgilii Antonini ex charitate perfecta ordinem quoque charitatis fas eft interpretari, ejufque Familiæ rationem habere eamdem, quam ipfe effet fi viveret, ejufque videret anguftias habiturus. Cujus Familiæ fpectata conditione exceffivum minimè videtur, quod Oratrix poftulat adfignari Filiæ fuæ jam ad Matrimonium aptæ, ac Filiabus fui Filii fcuta in fingulas quingenta ex dotibus quotannis erogandas cumulanda.*

Receptum eft, ut Puellæ Teftatori fanguine conjunctæ, & de illius Familia ex verofimili voluntate præferantur in affecutione fubfidiorum dotalium, quæ incertis Puellis relicta funt: immò quandoque cumulari hujufmodi fubfidia confuèverunt, ut Puellis a Teftatore defcendentibus dos con-

congrua constitueretur. De hac praxi testatur *Card. de Luc. de dot. disc.* 100. *num.* 5., *& in adnot. ad Concil. Trident. disc.* 21. *num.* 7., eamque amplexa est S. Congregatio in *Romana applicationis Legati* 20. *Septembris* 1692., *in alia Romana Dotium* 2. *Octobris* 1717., *&* 24. *Septembris* 1718., *in Camerinen. Subsidiorum Dotalium* 8. *Augusti* 1713., *& in Panormitana* 20. *Augusti* 1735. *in Romana Subsidiorum Dotalium* 4. *Martii* 1758., & alibi.

Duo tamen semper præ oculis habuit S. Congregatio, num scilicet probaretur paupertas, & an Puellæ eo gradu Testatori conjunctæ essent, ut præsumpta ejus voluntas, & naturalis charitas prælationem, & dotium cumulum suaderet, quemadmodum perpensum fuit in folio Causæ, cui titulus *Lucana Subsidiorum Dotalium* 17. *Junii* 1769.. Si autem res sit de Puellis expresse vocatis, tunc Consanguinitas protrahitur usque ad decimum gradum jure civili computandum; Sin autem desit expressa Consanguinearum vocatio, tunc consanguinitas quartum gradum jure pariter civili non excedit. Viden. folium in *Veliterna Subsidiorum Dotalium* 8. *Junii* 1771. Verum quandoque Sac. Congregatio Puellarum angustiis commiserata, prævia etiam commutatione voluntatis Testatoris consulendum censuit SSmo pro cumulo dotium favore earum, quæ eidem conjunctas esse non probaretur, sed quamdam cum illo propinquitatem haberent. Prostat exemplum in *Camerinen. Subsidiorum Dotalium* 8. *Augusti* 1733., in qua cum Jacobus Baldini demandasset, ut deficientibus pauperibus Puellis ea Dotis quantitas assignaretur Puellis *attinentibus* ad familiam Baldinam, quæ ad nuptias sive in Domino, sive in sæculo contrahendas sufficeret, prætermissa quæstione satis implexa, an Filiæ Jacobi Ursini *attinentium* appellatione comprehenderentur, rescriptum fuit = *Consulendum SSmo pro assignatione scutorum* 200. *pro qualibet* = & die 3. Aprilis 1734. perstitum est *in decisis*

In præsenti casu ponderandum, quæ nam paupertatis ratio habenda sit, quæ coniunctionis sanguinis, aut affinitatis, aut connexionis cum Testatore, & an hæc satis desumi possint ex onere Oratrici inhærenti distribuendi unum ex subsidiis dotalibus ab ipso suis hæredibus iniuncto. Post hæc EE. VV. dijudicabunt.

An sit locus applicationi Subsidiorum Dotalium, & in qua summa in casu &c.

NU-

NUCERINA PRÆCEPTI PASCHALIS, ET SOLUTIONIS DECIMARUM. In districtu Castri Bastiæ sita est Villa Marranellæ, cujus Incolæ præceptum Communionis Paschalis adimplere tenentur in Parochiali dicti Castri Ecclesia, ejusque Parocho decimas in certa Musti, & Vini quantitate rependere. Inter illius Villæ Homines recensentur Sebastianus Carolus, & Jacobus quondam Sebastiani Caroli illius Frater, qui plura in eo Territorio bona possident, & domum, quam maxima anni parte inhabitare solent. Horum majores nunquam detrectarunt Parocho Bestiæ decimas tradere, ab eoque Sacram Communionem in Paschate recipere: Cum tamen anno 1770. Sebastiani, & Jacobi Pater prædium acquisierit intra fines Pareciæ S. Donati, hinc est, ut ab eo ferè tempore nonnisi quam pro medietate decimas Rectori Bastiæ dederunt, & Paschale præceptum in Ecclesia ejusdem Castri adimplere minimè curarunt.

Sess. 13. can. 9. de Eucharistia & sess. 25. cap. 12. de Ref.

Ægrè id tulit Sacerdos Sanctes Ceccarelli Bastiæ Parochus, qui anno 1771. hac de re conquestus est apud Vicarium Foraneum Saxoferrati. Hic jussu Episcopi Nucerini præceptum Jacobo indixit, ut sub pæna scut. 50. ipse, cum tota Familia Eucharistiam sumeret in Paschate in Parochiali illius Castri Ecclesia, ejusque Parocho integram decimarum quantitatem traderet. Quamvis autem præcepto paruerit Iacobus, postea tamen cum alio Fratre Sebastiano supplicem S. Congregationi libellum exhibuit, quo definiri postulavit, licerè ipsis, eorumque Familiis Communionem in Paschate recipere a Parocho S. Donati, insuperque immunes declarari a decimis Bastiæ Parocho præstandis. Petitioni contradixit Sacerdos Ceccarelli, & acriter quoque contradixerunt Sindici Castri Bastiæ, quibus instantibus causa duobus dispertita dubiis sapienti EE. VV. judicio modò subiicitur.

Qui Parochi, & Sindicorum jura tuentur ad I. animadvertunt, Fideles omnes teneri Paschali tempore Sacram Synaxim sumere in ea Parochiali Ecclesia, intra cujus fines domicilium habent *Cap. Episcopus*, *& Cap. Nullus de Parochis*, *Rot. decis.* 241. *num.* 1. *tom.* 2. *coram san. mem. Clemente XIII.* Quod autem Iacobus, & Sebastianus domicilium habeant in districtu Paræciæ Bastiæ, ex pluribus resultare affirmant. Probant enim, domum in dicto Castro possidere, quam pro majori anni parte cum tota familia inhabitant. Addunt, ipsos potitos fuisse jure ferendi suffragium in electionibus novi Parochi, qui per capita familiarum ejusdem Castri eligi solet; atque ab eodem Parocho recepisse Candelam in festo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, & insuper distributionem panis in die Paschatis, quæ omnia Hominibus Paræciæ præstari solent. Ex his inferunt, dictos Jacobum, & Sebastianum, eorumque familias ratione

tione domicilii comprehendi sub Paræcia Bastiæ, proindeque teneri a Parocho illius Castri Eucharistiam in Paschate recipere *Abb. in Cap. Extirpandæ §. Qui verò in repet. num. 11. vers. Quæro de Præbend.*, *Barbos. ad Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 1. de Reformat. num. 6.*, Idque ipsum agnovisse, factoque suo comprobasse Jacobum, qui anno 1771. Sacramenta tempore Paschali in Parochia Bastiæ recepit.

Nec obesse, quod in districtu Pareciæ S. Donati prædium emphyteuticum acquisierint, pro cujus cultura quandoque in eodem Castro morantur. Respondent enim, ex hoc non inferri antiqui domicilii mutationem: Maximè quia sedem in Castro Bastiæ constituerunt, ibique pro majori parte anni cum tota familiai moram trahunt, & in cujus Territorio alia bona acquisiverunt *Leg. Domicilium ff. ad Municipalem*, *Leg. Cives Cod. de Incolis*. Minusque obstare, quod a sexaginta, & amplius annis Sacramenta receperint in Ecclesia S. Donati, quin Parochus Bastiæ unquam reclamaverit: Siquidem ex hujusmodi Sacramentorum perceptione, & ex negligentia Parochi Bastiæ nullum præjudicium irrogatum fuisse sustinent juribus Ecclesiæ Parochialis Bastiæ, a cujus subjectione Jacobus, & Sebastianus nunquam recesserunt *Franc. in Cap. Is qui n. 1. de sepult. in 6.*, *Rot. dec. 291. n. 5. par. 6. Recent.*

Inquiunt ad II., omnes familias, quæ jus habent ferendi suffragium in electione Parochi Bastiæ, sive illæ sint de dicto Castro, sive alterius cujuscumque Loci, adstrictos esse ad præstandam singulis annis Parocho ejusdem Castri certam frumenti quantitatem, proindeque Jacobum, & Sebastianum hujusmodi præstationem evadere non posse, quoties jure suffragii potiuntur. Præsertim quia ad instar aliorum Parochianorum de distributione Candelarum, & Panis participant, atque idcirco æquum esse dicunt, ut quibus communia sunt Parochianorum emolumenta, & honores, communia quoque sint onera *Gratian. discept. 591. num. 6.*, *Rot. coram Molin. decis. 530. num. 10. tom. 2.*

Prætèr traditionem frumenti teneri etiam affirmant Jacobum, & Sebastianum ad præstationem Musti, ad quam tenentur omnes Castri Bastiæ Parochiani, quos inter ipsi sunt recensendi tam pro bonis antea possessis, quam pro aliis postea acquisitis *Cap. Quoniam 13. de Decimis, & Cap. A nobis 24. eodem tit.*. Neque objici posse solutionem Decimarum jam factam Parocho S. Donati, cum ea referenda sit ad Decimas, quas tradere debent ratione prædii in districtu illius Paræciæ possessi. Despiciendam verò assertam consuetudinem præstandi Parocho Bastiæ solam Decimarum medietatem, cum ab ea recesserit Sebastianus anno 1771., dum integram Musti Decimam eidem Parocho rependidit. Cæterùm observant, hujusmodi consuetudinem

dinem nequaquam in præsenti casu allegari posse, nisi probetur, denegatam fuisse Decimarum præstationem cum subsequuta petentium acquiescenti = *Rot. coram Seraphin. decis.* 1102. *num.* 5., *coram Burat. decis.* 572. *num.* 12., *& coram Falconer. dec.* 9. *num.* 16. *tit. de Decimis*.

Ab alia Parte, licet sæpius monita, nihil hactenus fuit deductum. Episcopus Nucerinus diffusè refert rationum momenta, quæ Parocho Bastiæ favent. Videnda ejus relatio, quæ inter Causæ monumenta habetur.

Prioribus Ecclesiæ sæculis Fideles omnes summa cum devotione, atque obsequio ad Eucharisticam Mensam quotidie accedebant. Sic enim in Actibus Apostolorum legitur = *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis* = Et S. Cyprianus in *tract. de oratione Dominica* hæc habet = *Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie, ac cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur* = Verùm deferbuit postea Christianorum pietas, & consuetudo etiam quotidianæ communionis sensim imminui cœpit. Hinc sæculo VIII. statutum fuit, ut tribus anni diebus, scilicet Paschatis, Pentecostes, & Natalis Domini omnes Christifideles Eucharistiam sumerent, prout habetur in *Can. Et si non frequentius de consecrat. distinct.* 2. ibi = *Et si non frequentius, saltem in anno ter Laici communicent (nisi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur) in Paschate videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini* = Hæc tamen Ecclesiæ disciplina immutata deindè fuit in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. anno 1215. celebrato, ibique statutum, ut *omnis utriusque sexus Fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pænitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum*. Et coheret Concilium Tridentinum *sess.* 13. *can.* 9. *de Euchar.*. Quin immò ne hujusmodi præceptum negligeretur, decretum in eod. Lateranensi Concilio fuit, *ut vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat Sepultura.*

De Ecclesia verò, in qua hujusmodi præcepto adimplere Fideles teneantur, plures prostant Synodales Diœcesum Constitutiones. In Synodo Burdigalensi habita anno 1583. *cap.* 11. ita legitur = *Nemo extra suam Parochiam absque Rectoris sui facultate alio se conferat hoc Sacramentum percepturus*. In Aquensi anno 1583. *tit. de his, quæ ad Sacramentum Eucharistiæ pertinent* sic disponitur = *Nec ulli liceat illud sumere ab alio, quam a proprio Parocho, vel de ejus licentia* = Idque in pluribus aliis Conciliis Statutum noscitur, præsertim in Conciliis Mediolanensibus a S. Carolo Borromeo

ce-

celebratis, prout testatur san. mem. Benedictus XIV. *Instit:* 55. *num.* 6. Accedit decretum san. mem. Clementis VIII. anni 1592., pro nonnullis Galliæ Parochis, quo præcepit, ut *tam dictis Fratribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quam aliis privilegiatis prædictis, quibus id a Sede Apostolica indultum, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata sua, etiam Quadragesimali, & Paschali, & quovis alio tempore confiteri licitè posse, dummodo tamen iidem Sæculares Christifideles Sacramentum Eucharistiæ die festo Paschatis Resurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho sumant.*

Sacra Congregatio in Melchinien., cum quæsitum fuisset an Regulares possent Sacramentum Eucharistiæ ministrare a Dominica Palmarum usque ad totam Dominicam in Albis, die 31. *Januarii* 1682. respondit = *Affirmativè excepto die Paschatis; ita tamen ut in aliis diebus sumentes Eucharistiam a Regularibus intra duas hebdomadas Palmarum, & Paschatis non satisfaciant præcepto* = Ex quibus Doctores omnes inferunt, pro istius præcepti adimplemento propriam Parochiam fore adeundam, ibique Sacram Synaxim sumendam, *Diana in edit: coordinat. tom.* 2. *resol.* 20. *circa fin.*, *Card. de Lugo lib.* 1. *de respons. moral. dub.* 15., *Bened: XIV. instit.* 18. *num.* 10., *& seq.*, *& instit.* 55. *num.* 5., *Giraldus in lib. V. decret. part.* 1. *de pænit.*, *& remiss. sect.* 912. *num.* 2. Verùm ad adimplendum præcepto non tenentur Fideles in ipsa die Dominicæ Resurrectionis Sacramentum sumere, sed sufficit, quod ad Eucharisticam Mensam accedant vel in Majori Hebdomada, vel infra Octavam Paschæ, prout declaravit Eugenius IV. Constitutione, quæ incipit = *Fide digna* = & hujusmodi tempus ex justa, & rationabili causa prudenti Episcopi arbitrio protrahi potest, quemadmodum censuit Sacra Congregatio 19. *Novembris* 1616.

Propria autem alicujus Parochia illa dicitur, intra cujus limites quis domicilium habet *Barbos. de offic.*, *& potest. Paroch. par.* 2. *cap.* 21. *num.* 35. *& seq:*. Hinc si relicto veteri domicilio in aliam se conferat Parochiam, efficitur novi Parochi subditus: Ad acquirendum tamen novum domicirequiritur animus permanendi in loco novæ habitationis *Fagnan. in cap. Præsentata de test. num.* 3: Sanè] Sebastianus, & Jacobus quond. Sebastiani originarii sunt Castri Bastiæ, ibique domum retinent, quam inhabitant: Quandoque tamen se conferunt ad aliam domum sub Parochia S. Donati: Videndum proinde, an per hujusmodi domicilii translationem efficiantur subditi Parochi S. Donati, itaut ab isto Sacramentum in Paschate recipere debeant. Si quis rei familiaris curis distentus, aut rusticationis causa ad Villam, seu ad Agrum se conferat, non efficitur subditus Parochi, in cujus ditione rurale domicilium situm reperitur, ut docet san. mem. Benedictus XIV. *Instit.* 33. *num.* 7.,

& re-

& refert resolutionem captam a Sac. Congregatione in una *Florentina*, in qua declaravit = *Parochum ruralem non esse verum Parochum, quando rus itur causa rusticationis, vel pro rusticanis negotiis*.

Hæc quoad satisfactionem præcepti Paschalis: Quo verò ad Decimarum solutionem animadvertere præstat, in veteri lege jure Divino mandatum fuisse, ut de omnibus fructibus decima pars detraheretur, cujus præsidio Sanctuarii Ministri alerentur *Exod.* 22., *Levit.* 27. *num.* 28., Idem statutum noscitur a SS. Canonibus, dum Fidelibus deprehenditur injunctum onus tradendi Ecclesiæ Ministris decimam partem ex omnibus, quæ quacumque de causa acquisivissent: Sic enim habetur in *Cap. Decimam* 1. *de Decimis*, & Cœlestinus III. in *Cap. Tua Nobis* 26. *de Decimis* Vercellensi Episcopo ita scripsit = *Tua Nobis Fraternitas intimavit, quod quidam Laici decimas Ecclesiis, & Clericis suis perversis machinationibus subtrahere moliuntur . . . Quoniam igitur pati nolumus, ut Ecclesiarum, & Clericorum jura præsumptione qualibet minuantur, mandamus, quatenus omnes, qui ratione personarum, aut etiam prædiorum decimas Ecclesiæ, & Clericis suæ Diæcesis exhibere teneantur, ad eas cum integritate reddendas appellatione remota compellas*.

Porro Decimæ aliæ sunt prædiales, quæ ex fructibus bonorum debentur *Hostien. in summa num.* 3., *Azor. part.* 1. *instit. moral. lib.* 7. *cap.* 23. *quæst.* 3.. Aliæ vero personales, quæ a singulis familiis, inspecto uniuscujusque numero solvuntur *Smalzgruebert in jus Canon. lib.* 3. *tit.* 30 *§.* 1. *num.* 5. Cum autem præstatio Decimarum personalium sit onus personis inhærens, idcirco persolvi debent Parocho, a quo quisque recipit Sacramenta. Ita definivit Lucius III. in *Cap. Ad Apostolicæ* 20. *de Decimis*, scribens ad Archiepiscopum Strigoniensem = *Intelleximus, quod quædam consuetudo in Hungaria inolevit, ut multitudo Populi plerumque de Parochia unius Episcopi in Diæcesim alterius transferatur, in qua licet per multa tempora moram traxerit, uterque tamen Episcoporum, tam is, cujus Parochiam reliquerunt, quàm is, cujus Parochiani sunt facti, decimationem requirit; ideoque tu Nos duxit Fraternitas consulendos, in cujus potius Decimæ sint reddendæ. Noveritis igitur, quod æquum sit, ut illi Ecclesiæ Decimæ personales reddantur ab eis, in qua Ecclesia percipiunt Sacramenta* = Ac proinde si quis relicto veteri domicilio ad aliam Parochiam se transferat, personales Decimas Parocho novi domicilii præstare debet.

Verùm si quis non mutato domicilio extra suam Parochiam laboret, negotietur, aut aliquid aliud agat etiam per magnam anni partem, tenetur nihilominus Decimas persolvere Parocho illius Ecclesiæ, intra cujus ambitum domicilium retinet, quia ibi de jure percipere deberet Sacramenta, & divina audire, licet per accidens ratione ab-

sentiæ alibi utrumque adimpleat *Piringh. in Jus Canon. lib. 3. tit. 3. num. 84.* Quando autem quis sub duabus Parochiis domicilium habet, tunc si unum sit principale, & alterum accessorium, personales Decimæ priori Parocho sunt solvendæ: Si verò sub utraque Parochia æquè permaneat, tunc inter utrumque Parochum sunt partiendæ. At Decimæ prædiales cum inhereant ipsis prædiis frugiferis, debentur Parocho intra cujus Parochiam prædia sunt sita, nec attendi debet, an prædii possessor sit nec ne Ecclesiæ Subditus, & Parochianus, *Abb. in Cap. Cum sint de Decimis num. 6.*

Seriò ponderandum est, cujus naturæ sint Decimæ, quas Parochus Bastiæ a suis Parochianis percipit: Et quoad Decimas ex frumento tradendas animadvertere oportet, quod in antiquo quodam transactionis Instrumento anno 1581. stipulato inter Rectorem, & Homines ejusdem Castri expositum fuisse asseritur, competere Rectori jus exigendi singulis annis pro stipendio, provisione, aut decimis salmas quinque cum dimidia frumenti juxta distributionem focularem faciendam inter homines pro tempore in humanis existentes. Videndum quid hoc præseferat, & cujus naturæ censendæ sint Decimæ.

Denique notandum, quod in Synodo Nucerina anni 1678. *Cap. 31. de Decimis* sancitum fuit = *Decimæ solvantur Parocho, a quo recipiuntur Sacramenta, vel Divina audiuntur, etiam per Forenses in ejus Parochia habitantes, & Familiam constituentes per annum, vel majorem anni partem, & per æqualiter in duabus Parochiis habitantes, & Divina audientes æqualiter dividantur. Ubi verò viget consuetudo solvendi Decimas ultra prædictas etiam in Parochia, in qua quis habet originem, vel Domicilium, aut hæreditatem, vel bona quomodocumque quæsita, quamvis sine habitatione, illa omnino servetur.*

Dijudicabunt proinde Emi PP.

I. *An præceptum Curiæ Episcopalis Nucerinæ, demandans adimplementum Præcepti Paschalis in Ecclesia Parochiali Castri Bastiæ sustineatur in casu &c.*

II. *An, & in qua quantitate debeantur Decimæ, in casu &c.*

Sess. 22. decret. de obstr., & evit. in celebr. Miss.

GIENNEN. ORATORII. Exponit Sacerdos Josephus de Mazas Canonicus Pœnitentiarius Cathedralis Ecclesiæ Giennen., sæpius fuisse consultum super dubio, an clausulæ quoad Oratoria privata adjecta in Bulla Cruciatæ, & signanter clausula *etiam tempore interdicti*, præseferant extensionem, & ampliationem facultatum, quæ in consuetis Brevibus Oratorii privati transcriptæ leguntur. Ipse verò respondit *servandas omnino esse conditiones in Brevibus appositas, nempe de unica Missa, de diebus Paschæ, & aliis*

& aliis sollemnioribus excipiendis, de præsentia Domini, aut alicujus ex personis in privilegio expressis, de non admittendis extraneis, sed neque etiam famulis ad servitium Domini tunc non necessariis, de non suscipienda ibi Eucharistia, aut aliis Sacramentis, præsertim absque Ordinarii Loci licentia, & similiter de aliis a jure prohibitis, & in ipsis Brevibus non concessis. Cum tamen hisce responsis plerique non acquiescant, & plurimos habeat in hac sua opinione contradictores, idcircò dubium ab EE. VV. definiri supplicat. Præstat rem altius repetere.

Ardenti charitate, ferventique zelo succensus S. Pontifex Gregorius VII. cogitavit, statuitque e Saracenorum dominio vindicare loca Palestinæ, de Terra Sancta nuncupata, in quibus Christus Dominus præcipua sui amoris argumenta reliquerat, & Christianos sub illorum tyrannide miserè ingementes bellica expeditione liberare. Sed variis tunc effervescentibus bellis, atque schismatibus, non potuit præconceptum opus ad optatum finem perducere; Quare san. mem. Urbanus II. illius Successor anno 1095. coacta Synodo Claramontana summa vi adnisus est, ut Episcoporum, & Sæcularium Principum animos ad prælium excitaret, & pro stipendio veniam peccatorum, atque indulgentiam exhibuit, ac Sedis Apostolicæ protectionem promisit, deditque pro militari texera signum Crucis ex purpureo panno compactum, quod in dextera scapula cæteris vestibus superimponeretur. Mirum porrò quam ingens gentium numerus ad bellum accurrerit = *Catervatim concurrebant Populi, ubicumque unum de Principibus iturum novissimè audierant, ut se illius comitem sociarent, ejusque super se in toto itinere convocarent, nomen, obsequia promittentes, & fidem*, ait *Antonius Pagius in Baronium ad annum Christi* 1095. *num.* 13.. Viden. *Vuillelm. Tyrus. de bello sac. lib.* 1. *cap.* 9. *& seq.*, *Baronius ad annum Christi* 1095., *Otho Frisingen. lib.* 7. *cap.* 2., aliique plures de hoc agentes.

Qui ergo sub militari Vexillo profecti sunt, Crucesignati, ex Cruce, quam gerebant, appellabantur, ipsaque expeditio Cruciatæ nomen accepit. Concionatores etiam Crucem prædicare dicebantur, & Concilium Lateranense sub Calixto II. anno 1122. celebratum, indulgentias, & protectionem Sanctæ Sedis confirmavit. Tantæ pietatis opus quanto in pretio habitum fuerit, luculenter ostendit *Divus Bernardus in Epistola, seu Serm.* 322. *ad Clerum, & Populum Spirensem*, quem ad sacram expeditionem his verbis adhortatus est = *Habes nunc fortis Miles, habes Vir bellicose ubi dimices absque periculo, ubi & vincere gloria, & mori lucrum. . . . Suscipe signum Crucis, & omnium pariter, de quibus corde contrito confessionem feceris, indulgentiam obtinebis. . . Bene ergo fecerunt, qui cœleste signaculum jam susceperunt. Bene cæteri faciunt, sed nec ad impatientiam*

eis, si & ipsi festinent apprehendere, quod & eis in salutem existat. Inde Bullam Cruciatæ originem duxisse tradit post alios *Gonzal. ad Cap. Quod super his 7. de fid. Instrument.*. Quemadmodum enim Apostolica Sedes amplissimis favoribus Crucesignatos prosequuta est, ita eos omnes, qui operam, & auxilium contra Infideles præstiterint, specialibus privilegiis cumulavit. Hanc Bullam anno 1509. exaravit san. me. Julius II., prout asserit *Alphunsus Perez de Mendo disp. 1. cap. 4. num. 21.*, ac successores Pontifices postea confirmarunt, & Sanctus Pius V. anno 1571. occasione expeditionis contra Turchas ampliori liberalitate donavit Fideles, qui servatis conditionibus, ac methodo in ea præscriptis, subsidium belli contra Infideles, Hæreticosque contulissent.

Sane, quæ de Apostolica benignitate concessa sunt privilegia, diversa nonnulli, & nimis lata interpretatione donarunt; præcipuè verò privilegium Oratorii privati a Summis Pontificibus Crucesignatis impertitum. Operæ proinde pretium erit ad præsentis dubii definitionem verba ipsa privilegii referre, prout referuntur a Mendo *de Cruciata disput. 1. cap. 1. num. 1.* a Gattico *de Orator. domest. cap. 30. num. 3.*, & a Ferraris *in Biblioth. verb. Bulla Cruciatæ num. 12. in addit.* = *Conceditur omnibus prædictis ... ut possint in Ecclesiis, in quibus alias Divina officia interdicto durante quomodolibet celebrare permissum fuerit, vel in privato Oratorio ad Divinum cultum tantùm deputato ab Ordinario visitando, & designando, etiam tempore interdicti, cui ipsi causam non dederint, vel per eos non steterit, quominùs amoveatur, & qui facultatem ad id à Commissario Generali habuerint, etiam per horam, antequam illucescat dies, & per horam post meridiem, in sua, & Familiarium, & Domesticorum, & Consanguineorum suorum præsentia, Missas, & alia Divina officia per se ipsos, si Presbyteri fuerint, vel per alium celebrare facere, & tempore interdicti Divinis interesse: Eis tamen, qui privato Oratorio ad præmissa uti voluerint, ut quoties id fecerint, alias preces Deo pro unione Principum Chistianorum contra Infideles, eorumque contra eosdem victoria fundere teneantur imponitur. Item Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paschatis recipere* = Eadem quoque verba leguntur in Constitutione 86. san. mem. Bened. XIV. incipien. *Quoniam* §. 1. *tom. 1. Bull.*, qua Sacro Equestri Ordini Hierosolymitano; & Incolis Insularum Melitensium plura conceduntur privilegia ad formam Bullæ Cruciatæ.

Existimarunt itaque nonnulli fas esse Commissariis licentias concedere celebrandi in Oratoriis privatis, seu domesticis: Et revera non defuerunt aliqui Commissarii, qui hujusmodi freti opinione licentias celebrandi concesserunt. Alii verò rem latius interpretantes, arbitrati sunt, vigo-

re

re Bullæ Cruciatæ facultatem competere celebrandi in privatis Oratoriis, absque eo quod nec Summum Pontificem, nec ipsum Commissarium adire hac de causa teneretur. Has tamen opiniones plerique Scriptorum impugnarunt, animadvertentes, Bullam Cruciatæ non concedere facultatem erigendi Oratoria privata, sed ista jam erecta supponere: Maximè quia illud sequeretur inconveniens, ut quilibet vilis conditionis, & abjectæ sortis Cruciatæ privilegio munitus, Oratorium privatum habere posset, ibique absque ulla Episcopi approbatione celebrare. Hinc hujusmodi opiniones improbarunt Summi Pontifices Gregorius XV. anno 1622., & Clemens IX. anno 1668., quemadmodum refert *Amostaz. de Causis piis lib. 5. cap. 10. num. 50.*, & Commissariis expresse prohibuerunt, ne alienis figmentis seduci se finerent, neve amplius Missarum celebrationem in privatis Oratoriis permitterent.

Hac super re observat *Fagnan. in Cap. Auctoritate de Censibus à num. 10. ad finem*, signanter *num. 30.*, Bullam Cruciatæ, quæ facultatem tribuit celebrandi in Oratoriis etiam tempore interdicti, præsupponere licentiam celebrandi aliis temporibus, vel quia Oratorium publicum sit, vel quia intercesserit indultum Sanctæ Sedis, cui hujusmodi concessiones post Concilium Tridentinum fuerunt reservatæ. Et Gatticus *loc. sup. citat. num. 2.* refert, ab Archiepiscopo Calaritano sequens de Oratoriis privatis, & Altaribus portatilibus propositum fuisse Sacræ Congregationi dubium IV. *An privilegium Bullæ Cruciatæ pro hujusmodi Oratoriis, & Altaribus, ac Missarum celebratione possit suffragari?* Et Sac. Congregationem respondisse die 14. Novemb. 1648. *Privilegium Bullæ Cruciatæ suffragari non posse*: Ac præterea addidisse in responsione ad dubium V. *Licere* Episcopo *etiam ad pœnas Censurarum* contra delinquentes procedere *lib. 18. decret. fol. 545.* Latè Gatticus *loc. citat. à num. 4. ad 15.*, refellit argumenta eorum, qui existimarunt, ex simplici privilegio Bullæ Cruciatæ licere in privatis Oratoriis Missam celebrare.

Quamvis autem Doctores modò in hoc conveniant, nihilominus quoad alia discrepant. Siquidem aliqui contendunt, in privatis Oratoriis ratione Bullæ Cruciatæ alia plura permitti, quam quæ in consueto Indulto concedi consueverint. Discrimen verò inter utrumque constituunt I. ex quo consuetum indultum unius tantùm Missæ celebrationem eadem die permittat, sed vigore Bullæ Cruciatæ tot Missæ ad libitum celebrari possint, quot quisque voluerit. II. Quod illud indultum non sinit in sollemnioribus festivitatibus Missam celebrari, sed Bulla Cruciatæ nullos dies, quantumvis sollemniores excipiat. III. Quod indultum facultatem non tribuit celebrandi nisi præsente

In-

Indultario, ejusque Familia, & nobilibus hospitibus, exclusis Familiaribus actu non necessariis, Bulla verò Cruciatæ indulgeat, ut Familiares non necessarii, & Consanguinei non commensales privilegio audiendi Missam frui possint. IV. demùm, quod vigore Indulti recipi in Oratorio privato minimè possint Sacramenta, nec lucrari Indulgentiæ, quod tamen vigore Cruciatæ conceditur, excepto Sacramento Eucharistiæ in die Paschatis. Hec omnia isti Auctores resultare, ac deprehendi dicunt ex ipsa Bulla Cruciatæ; Nam quoad I. provocant ad illa verba *Missas per se ipsos, si Presbyteri fuerint, celebrare, vel per alium, seu alios celebrari facere*, ubi observant dictionem *per alium, seu per alios* Missarum pluralitatem præseferre. Quoad II. animadvertunt, ne verbum quidem haberi in Bulla Cruciatæ, per quod dies aliqui excipiantur: quin immò exceptionem ibidem adjectam non recipiendi Sacramenta in die Paschatis, satis suadere, quod in privatis Oratoriis possit ea die Sacrum fieri. Ad III. proferunt verba illa *in sua, ac Familiarium, & Domesticorum, & Consanguineorum suorum præsentia*, quæ nullam restrictionem admittere affirmant, proindeque privilegium audiendi Missam in privatis Oratoriis tempore interdicti, quibuscumque Domesticis, Familiaribus, & Consanguineis absque ullo discrimine suffragari putant. Ac tandem ad IV. satis perspicua existimant verba *item Eucharistiam, & alia Sacramenta, præterquam in die Paschatis, recipere*.

In oppositam tamen sententiam alii descendunt, ac totis viribus tuentur, Bullam Cruciatæ, si verba in suo vero sensu intelligantur, & finis accuratè perpendatur, nihil omnino suffragari, sive ad Missarum pluralitatem, sive ad festa communiter excepta, sive ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ extra propria Oratoria, sive demum ad personas, quæ privilegii participes fiant. Latè de his agit Gatticus *loco sup. citat. a num. 16. ad fin.*. Advertunt autem primò, ac pro certo habent, nullam privati Oratorii concessionem tribui per Bullam Cruciatæ, nisi præsupposito Pontificio indulto, quo Missarum celebratio in eo permittatur. Hoc autem præmisso sustinent, nullimodè a Bulla Cruciatæ violari, aut immutari conditiones, seu limitationes, quæ in consueto indulto Oratorii privati apponuntur, sed his omnibus in suo robore permanentibus, alia quædam virtute Cruciatæ superaddi, quæ iisdem limitationibus, & coercitionibus non adversantur; alias frustra a Bulla Cruciatæ consuetum Oratorii privati indultum tam necessariò præsupponeretur, ut sine illo irrita prorsus essent Oratorii privilegia ab eadem Bulla concessa.

Ita-

Itaque ad I. argumentum respondent, particulam illam disjunctivam *per alium, seu per alios celebrare facere* in aliquibus tantùm, non verò in omnibus Bullis inveniri: Nam ea non habetur in Bulla a Mendo descripta, neque in Constitutione san.mem. Banedicti XIV. superiùs relata. Addunt præterea, particulam disjunctivam appositam fuisse pro iis, qui ex consueto indulto Oratorii privati facultatem obtinuerant plures Missas eodem die in eo celebrandi; ne scilicet indulti amplitudo coerceri videretur a Bulla Cruciatæ, si omissa in ista fuisset particula dijunctiva *per alium, seu per alios*. Nihil obesse ajunt, quod in Bulla nulla expressa habeatur limitatio numeri Missarum, cùm in ea exprimi non debuerint privilegia, quæ ex ipsa Bulla non promanant, sed illa tantùm, quæ in ea peculiariter elargita sunt. Hinc arguunt, Missarum numerum non esse desumendum ex Bulla Cruciatæ, sed ex alio indulto, quo facultas celebrandi Missam in Oratorio privato tribuitur. Idemque dicendum de diebus, quibus Missa celebrari possit, de quo secundo loco agitur.

Eadem ad III. responsione utuntur. Sustinent enim, quod sicuti non obstante Bulla Cruciatæ integræ, ac firmæ maneant reliquæ limitationes in indulto Oratorii privati adjectæ, ita nec ampliari, aut immutari debeat quidquid de Domesticis, Familiaribus, & Consanguineis in eodem indulto præscribitur, cum una, eademque quoad utrumque casum urgeat ratio, idemque militet argumentum. Ex hoc inferunt, nil aliud in Bulla Cruciatæ tribui Familiaribus, Domesticis, & Consanguineis, nisi ut tempore interdicti localis ii omnes interesse valeant Missæ in Oratorio privato, qui extra tempus interdicti vigore Apostolici indulti Missam in eo audire, & præcepto Ecclesiastico satisfacere poterant. Rem confirmant auctoritate S. Congregationis, cui a Vicario Generali Cardinalis de Aragon. Archiepiscopi Toletani sequens propositum fuit dubium = *An Familiares personæ, cui Oratorii indultum concessum fuit, qui illius servitiis tempore dictæ Missæ actu necessarii non sunt, & ex tenore dicti indulti non liberantur ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto, satisfaciant præcepto Ecclesiæ audiendo ibi Sacrum ex eo, quia ex auctoritate Apostolica etiam gaudeat privilegio, quod possint in Ecclesiis, in quibus alias Divina officia interdicto durante quomodolibet celebrare permissum fuit, vel in privato Oratorio ad Divinum cultum tantùm deputato ab Ordinario visitando, & approbando etiam tempore interdicti, cui ipsi causam non dederint, Missam audire, & per alios celebrare facere?* cui S. Congregat. die 21. Maji 1672. respondit = *Negativè*.

Qua in re animadvertunt, actum in dubio fuisse de eo, qui simul haberet privilegium Bullæ Cruciatæ, cujus verba ibidem inseruntur, & nihilominùs Sac. Congregationem sua re-

responsione declarasse, privilegium hujusmodi non extendere facultatem audiendi Missam in Oratoriis privatis tempore interdicti ad eos, ad quos Apostolicum indultum non respexerat. Denique ad IV, fatentur, per Bullam Cruciatæ novam tribui facultatem recipiendi tempore interdicti Sacram Eucharistiam in Oratorio privato, quod per simplex Apostolicum indultum fieri non posset: Sed addunt, hujusmodi privilegium iis tantùm suffragari, qui durante interdicto de aliis Cruciatæ privilegiis fruuntur.

Atque hæc in præsenti quæstione paulo accuratiùs exponenda visa sunt. Restat igitur, ut sapientissimum prodeat EE.VV. judicium, a quibus quæritur

An, & quomodo sint servandæ conditiones in Indultis Oratorii privati appositæ ab habentibus privilegia Bullæ Cruciatæ, in casu &c.

Die

Die Sabbathi 14. Maji 1774. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

REsumpto priori folio, rogantur Emi PP. definire Causas, quæ in eo relatæ sunt, aliasque, quæ in præsenti adjiciuntur.

FULDEN. *Sess. cap.12.24. de Reform.*

An sit consulendum Sanctissimo pro adprobatione, in casu &c.

Affirmativè.

NULLIUS FARFEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Sess.22.cap.6. de Reform.*

An sit locus applicationi Subsidiorum Dotalium, & in quo summa, in casu &c.

Affirmativè in summa scutorum centum pro Filia Oratricis tantùm cumulanda ex subsidio, quod confertur à Familia Oratricis.

NUCERINA PRÆCEPTI PASCHALIS, ET SOLUTIONIS DECIMARUM. *Sess.13. can.9. de Eucharistia & sess.25.cap.13 de Reform.*

I. *An Præceptum Curiæ Episcopalis Nucerinæ, demandans adimplementum Præcepti Paschalis in Ecclesia Parochiali Castri Bastiæ sustineatur, in casu &c.*

II. *An, & in qua quantitate debeantur Decimæ, in casu &c.*

Ad I. Negativè, & amplius. Ad II. Dilata, & reproponatur, citato etiam Parocho S. Donati, & addito dubio super qualitate Decimæ, de qua agitur.

Sess. 22. decret. de obser., & evit. in celebr. Miss.

GIENNEN. ORATORII.

An, & quomodo sint servandæ conditiones in Indultis Oratorii privati appositæ ab habentibus privilegia Bullæ Cruciatæ, in casu &c.

Dilata, & reproponatur audito Episcopo, & ad mentem.

Sess. 25. cap. 6. de Reform.

IMOLEN. JURIS CONVOCANDI CAPITULUM.

Præpositus Ecclesiæ Cathedralis Imolen. antiqua sua Dignitatis jura recuperaturus, quæ a nonnullis annis amisisse querebatur, in Capitularibus comitiis habitis die 27. Septembris 1766. proposuit: *Che a tenore delle Costituzioni del Reverendissimo Capitolo, a lui spetta convocare il Capitolo*. Id autem ut audiverunt Canonici simul congregati, decreverunt: *Che da quì avanti non si chiami il Capitolo, solo che con cedola sottoscritta dal Signor Proposto, ed in sua assenza dal Signor Camerlengo*. Verùm hoc non obstante Capitulari decreto, Canonicus Camerarius jus convocandi Capitulum ad se privativè pertinere contendit, eoque reverà uti voluit in convocandis duabus vicibus comitiis anno 1768., & una vice anno 1769.. Hinc nonnullis subortis dissidiis, Causæ cognitio ipsomet Capitulo rogante, imperio Sanctissimi D. N. ad Sacram Congregationem ablegata fuit, cum dubiis, quæ in calce transcripta leguntur.

Ad I., in quo agitur de jure convocandi, aperiendique Capitulum, observat Præpositus, satis constare tum ex litteris Apostolicis san. mem. Pii IV., tum etiam ex testimonio duarum Capituli Dignitatum, totidemque Canonicorum, Præposituram in Ecclesia Cathedrali majorem esse post Pontificalem Dignitatem. Hinc infert, uni Præposito tanquam digniori, jus competere absente Episcopo convocandi Capitulum *Cap. Postulasti de concess. Præbend.*, *& Cap. A collatione de appellat. in 6.*, *Piton. discept. Eccles. 23. num. 2.*, & ratio est, quia convocatio Capituli est actus jurisdictionis, seu præeminentiæ, quæ nullatenus competere potest inferioribus, seu membris, in concursu Superioris, sive Capitis *Ursay. tom. 8. part. 1. discept. 37. num. 8.*, *S. Congregatio apud Barbos. in Summ. Apostolic. dec. collect. 40. num. 13.*

Provocat deinde ad Capituli Constitutiones, ubi *capite 5.* decernitur, quod Canonici *congregari, & convocari debeant per alteram Sacristam, ac secundum commissionem, & arbitrium Domini Præpositi, seu Camerarii dicti Capituli, vel alterius eorum*, & per cedulam *per manum Præpositi factam, vel Camerarii, absente Præposito, aut de commissione alterius eorum*. Ex

Ex his colligit, Camerarium subsidiarie tantum, & absente Præposito, facultatem habere convocandi Capitulum. Id ipsum etiam erui dicit ex illis dictionibus *juxta arbitrium D. Præpositi, seu Camerarii, vel alterius eorum*. Sustinet enim, dictionem illam *seu* non esse alternativam *præventionis*, sed *ordinis*, *Cap. Cum ad Monasterium de statu Monach.*, *Gloss. in cap. In alternativis de regul jur. in 6.*, *Piton. tom.3. discept.Eccles.60. num.2. & seqq.*. Idemque constare ait ex iisdem Constitutionibus *cap.17.*

Nec obesse, quod in *cap. 12.* decernitur, nempe, *Syndicum convocare, & congregare, seu convocari facere posse, quandocumque videbitur, Canonicos ad Capitulum*. Contendit enim, præposterè ibidem scriptum fuisse de Syndico, quia peculiariter agitur de Camerario, ejusque electione, & munere, cujus pars est, convocare Capitulum in subsidium Præpositi. Advertit insuper, id minimè officere juribus ejusdem Præpositi, qui ob suam præcellentem Dignitatem major est, & superior, nec unquam excludi potest *Canon. Perlectis dist.25.*, *Piton. tom.3. discept.Ecclesiast. 60. num. 3.*; Præsertim quia in prædicto *cap.5.* prærogativa convocandi Capitulum, & subscribendi schedulam indictionis expresse tribuitur Præposito, *subsidiarie* autem Camerario; atque etiam quia contradictio tam patens ab iisdem Constitutionibus est omnino avertenda *Leg. Adeo §. Quod ff. de condit., & demonstr.*, *Rot.in Vercellen. Functionum* 14 *Junii* 1738. *coram de Vais §.9. &* 16.. Observat insuper, verba illa, quæ statim adduntur in *d. cap.*12. nempe *seu convocari facere* referri ad Præpositum, & *alternativam* continere juxta prioritatem ordinis, & gradus intelligendam, de qua prioritate supra Camerarium plura in iisdem Constitutionibus leguntur.

Præterea provocat ad Constitutiones Synodales Imolen., quæ vim legis habent in Diœcesi *Piton. disceptat. Ecclesiast. tom.3. discept.93. num.9. & seqq.*, *Rot. coram Zarat.decis.* 74. *num.*20:. Inquit enim, in Synodo anni 1720. curam convocandi Capitulum committi *Præposito præcipue*. In altera, anni 1766. *primum Præposito, & Camerario, ut moris est*. Nec obstare Synodum anni 1693. sub Episcopo de Zanis congregatam, in qua jus indicendi Capitulum tribui indiscriminatim videtur Camerario. Sustinet enim, multas ea de re ortas fuisse in Capitulo dissensiones, ad quas sedandas Card. del Verme Episcopus Imolen. an. 1697. præcepit Capitulo, ut modum, & formam statueret peragendi Congregationes Capitulares; Capitulum autem uni ex Canonicis commisisse, ut libellum iis de rebus conficeret, quem totum Capitulum subinde, & Episcopus ipse adprobavit, ac sua munivit subscriptione; eodemque in Libello expositum modum convocandi, & transmittendi schedulam convocatoriam Capituli diserte tradi in *cap.5.* Consti-

tutionum. Hinc deducit ex ipsa Capituli confessione, modum convocandi Capitulum repeti debere a citato *capite* 5., quod Præposito expresse favet, nihilque curandum de iis, quæ *cap.*13. referuntur.

His addit, resolutionem Capitularem diei 27. Septembris 1766., in qua *fù risoluto, che da quì avanti non si chiami il Capitolo solo che con la Cedola sottoscritta dal Signor Preposto, ed in sua assenza dal Signor Camerlengo*. Ad hanc verò tuendam resolutionem sine suffragiis secretis captam, conatur probare, opus tunc non fuisse suffragiis secretis, ut decernunt Constitutiones sub pæna perjurii *Cap.*17., tum quia jus Præpositi erat evidens, & contrarius abusus non erat nisi mera Constitutionum transgressio; tum quia illa resolutio nil aliud continebat, quam quod præscripserat Synodus an. 1766., cui contradicere Capitulum amplius non poterat; tum demum quia, cum non agatur de re aliqua, quæ comprehendatur sub dispositione *Cap. Quia propter de elect.*, prædicta Constitutio irritum nequit reddere quidquid viva voce fuit a Canonicis statutum *Ceccoper. Lucubr. Canon. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 22. *& seqq.*, *Pellizar. de Monialibus cap.*10. *quæst.*99. *num.*92.. Novum inde petit argumentum ex Congregatione Capitulari diei 30. Julii anni 1771., in qua, ipso absente Præposito, disputatum fuit de hac controversia, & Canonicus Mancurti ad quæstionem examinandam a Capitulo deputatus, aperte declaravit, jus convocandi Capitulum Præposito in vim Constitutionum competere; ex quo factum est, ut secretis suffragiis in eadem Congregatione decisum fuerit: *Che da quì avanti non si dovesse più in posterum contrastare al Signor Preposto il diritto di sottoscrivere la Cedola, e che perciò restasse nel suo pacifico possesso altre volte accordatoli a tenore delle Costituzioni*.

Ait, perperam opponi contrariam consuetudinem. Respondet enim, quemlibet Canonicum in suo primo ingressu Sacramento se obstringere ad Constitutionum observantiam, atque idcirco nullam contrariam consuetudinem initium legitime habere potuisse *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.*4. *tit.*11. *num.*1., *Rot. coram Molin decis.* 761. *num.* 21., *& decis.* 906. *num.* 7., *&* 14.; eidemque contrariæ consuetudini obstitisse annuam Constitutionum lectionem, quas novus quilibet Camerarius in ipso electionis die palam coram universo Capitulo vel legit, vel legere debet *Geminian. consil.*96. *num.*4., *Piton. discept. Ecclesiast.*61. *num.*39. *&* 41.; ac demum quamlibet contrariam consuetudinem interruptam fuisse per Diœcesanas Synodos an. 1720, 1738, & 1766. *Gloss. in Cap. Sanctorum de Præscript.*, *Piton. loc. cit. num.*39.. Quinimmo contendit, prætensam consuetudinem prorsus evanescere ex Libris Capitularibus temporum præsertim remotiorum, ex quibus constare asserit, Præpositum convocasse Capitulum, & Schedulas sua manu firmatas transmisisse.

Per-

Perperamque exadverso opponi nonnullas Schedulas convocatorias manu Camerarii signatas. Observat enim, dubitari primùm posse de illarum veritate, & identitate, cum per annum & ultra manserint, & adhuc maneant extra Archivum Capitulare in manibus Contradictoris. Deinde ait, præsumptionem ex jure, & Constitutionibus oriri, eas subsidiariè tantùm, & absente Præposito fuisse a Camerario subscriptas *Rot.coram Molin.decis.906. sub num.*10. *§.Responsione, & seq.*. Ac demum contendit, nullam ex iis erui posse consuetudinem, nisi sit immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo, quia hæc tantummodo derogare valet juri, & Constitutionibus *Cap. Si diligenti de Præscript.*, *& Cap.*1. *&* 2. *eodem tit. in* 6., *Fermosin. in Cap. De quarta eodem tit. num.* 16.. Utramque autem sive immemorabilem, sive quadragenariam consuetudinem excludi ex supradicto Libello anni *1697.*, ex Synodis annorum 1720., 1738., & 1766., ex Libris Capitularibus, & ex Capitularibus Resolutionibus annorum 1766., & 1771.. Convocationes verò Capituli ab aliis, & præsertim a Camerario factas referendas esse affirmat ad actus merè facultativos, nisi duo copulativé probentur, nempe Præposito fuisse interdictum, quominus Capitulum convocaret, ipsumque prohibitioni per tempus præscriptioni aptum acquievisse *Rot. cor. s.m.Clemente XIII. decis.29.num.*13., *& decis.46. num.16.*

Iisdemque rationibus jus competere asserit Præposito aperiendi Capitularia comitia. Sustinet enim, aperitionem Capituli consistere *in invocatione Spiritus Sancti*, quemadmodum in gratiarum actione consistit finis. Hanc autem pertinere ad Præpositum, tum quia ipse Capitulo tanquam dignior, & eminentior præest, tum etiam quia jus hoc nunquam fuit ab Adversariis in controversiam adductum, tum denique quia ita semper observatum fuit, ut Testes de proprio visu deponunt, & ex actis Capitularibus resultat.

Ad II. dubium fatetur, nihil in Constitutionibus fuisse sancitum de jure recognoscendi Scrutinia, sed eas loqui tantùm de extractione fabarum a pyxide, quæ aut a Camerario, aut ab alio fieri decernitur in *Cap.*18.. Addit, constare ex actis Capitularibus, quod in quadam Congregatione habita die 5. Januarii 1710. Præpositus recognovit suffragia, quamvis adesset Camerarius. Cæterum præter hæc advertit, jus recognoscendi scrutinia convenire Præposito, cùm a juris dispositione tribuatur digniori, & Præsidi, *Ceccoper. lib.4. tit. 6. num. 36.*, *Scarfantou. ad Coccoper. lib.4. tit.1.num.9.*, *Gaudent. de Visitat. Prælat.cap.5.dub.15. sect.3. num.36.*. Maxime quia ex actis Capitularibus habetur, hujusmodi recognitiones expletas semper fuisse a primo in ordine, & præcipuè a Præposito, quin Camerarii,

licet

licet præsentes, unquam contradixerint, uti de visu, factoque proprio deponunt tres Canonici, qui cum adhæreant Adversariis in hac lite, nequeunt in suspicionem adduci.

Ad III. denique ponderat, in præsenti quæstione agi de juribus particularibus Præpositum inter, & Camerarium, nihilque utilitatis, aut detrimenti in Capitulum redundare; hinc sumptus litis non esse detrahendos ex Massa Capitulari, sed subeundos a Partibus Collitigantibus, de quarum privato jure, & de personali prærogativa tantummodo disceptatur *Rot. coram Cavaler. decis.*402. *num.*1., *in Leodien. Spolii super Recessibus Capitularibus* 11. *Junii* 1759. *§.*3. *coram Emo Elephantutio*, Potissimum quia Capitulum non habet *Massam communem*, sed tantùm *Massam Ecclesiæ*, cujus reditus in unius Cathedralis commodum ad Dei cultum, & in Defunctorum suffragium erogari debent, & ex qua nemo ex Canonicis participat.

Nihili facienda dicit exempla exadverso proferenda de erogatione pecuniarum ejusdem Massæ, cum habenda potiùs sint tanquam usurpatio, & prophanatio rerum Ecclesiæ: Tantoque minus permitti nunc posse earumdem pecuniarum distractionem, quia Ecclesiæ Massa ære alieno gravatur ob fabricam Sacrarii absolutam. Subdit, nullam hac in re adesse resolutionem Capitularem, et si quæ fortasse exhibebitur, fore omnino despiciendam, cum in eam medietas tantùm Capitularium convenerit, qui sine præcedenti indictionis schedula, & sine intimatione cæterorum Canonicorum, se se in Capitulum congregarunt.

Ex alia parte Camerarius ait ad I. dubium, antiquissimam sibi favere consuetudinem, quam desumit ex Synodo Diœcesana Imolen. an. 1693. sub Episcopo Zani, in qua *tit.*3. *cap.*2. *de Canonicis*, *&* *Dignitatibus Capituli num.*18. decernitur, ut *Syndicus Capituli*, *quoties ratio negotiorum ad idem Capitulum pertinentium id exiget*, *debeat more solito indicere, seu intimare Congregationem per schedulam*. Hoc ipsum firmatum fuisse dicit anno 1697. ab Episcopo Successore Cardinalis del Verme, cui in Capitularibus comitiis omnes Canonici asseruerunt, *se ne leggono i Decreti nell'ultimo Sinodo Diocesano*: *De Canonicis num.* 18. *&* 19.. Idque confirmari affirmat ex actis Capitularibus, quorum nonnulla speciatim recenset, nempe anni 1563., 1630., 1674., 1705., 1707., 1736.. Quinimo animadvertit, ann.1705. absente Camerario, schedulam convocationis Capituli fuisse subsignatam a Præposito, eamque ob rem excitatam fuisse in Capitulo gravem obmurmurationem, & Canonicum Thesaurarium reclamasse contra rei novitatem perturbantem jura Camerarii, & consuetudinem antiquissimam. Hinc etiam contendit, convocationes aliquando fa-

factas a Præpositis, non proprio nomine, & ex suæ Dignitatis prærogativa, sed peculiari nomine Camerarii, atque instante ipso Camerario fuisse expletas. Consuetudinem probare etiam nititur ex jurata depositione omnium fere præstantioris nominis Canonicorum, quorum testimonium maximi faciendum, quia Testes de Universitate, & Capitulo sunt idonei, quando agitur de interesse Capituli *Piton. disceptat.Ecclesiast.*123.*num.*38., *Rot. in Recent. decis.*271. *num.*9. *part.*19., *& coram Caprar.decis.*969. *num.* 5.

Despicienda prorsus esse testimonia trium Canonicorum oppositum testantium, cùm duo ex illis nonnisi quam an.1766. & 1767. in Canonicorum cœtum cooptati fuerint, alter verò unicus sit, & singularis; ac proinde ad consuetudinem probandam inhærendum esse depositionibus Canonicorum antiquiorum *Farinacc.de Testib.quæst.*65.*num.*130., *Mascard. de Probat. conclus.*1357.*num.*43.: Eo magis quia eadem viget consuetudo vetustissima in Collegio Mansionariorum, & in altero nuncupato *della Rev. Comunia*, utroque Ecclesiæ Cathedrali addicto, quorum Congregationes indicuntur a solis Syndicis, a quibus Schedulæ convocationis subsignantur. Ex hoc colligit, vetustam, constantemque consuetudinem accipiendam esse non modo in linea interpretativa cujuscumque legis vel ambiguæ, vel etiam contrariæ, sed etiam inducere novam legem firmiorem, & præsumptivam alterius cujuslibet melioris tituli *Piton. discept.Eccles.par.*1.*discept.*9.*num.*22. *& seq.*, *Severol. dissert. apud cit.Piton. par.*2. *discept.Ecclesiast.num.*7.

Eodem utitur argumento ex consuetudine desumpto ad probandum, Camerario jus esse aperiendi Capitulum, & proponendi negocia. Ait, de hoc primum constare ex Constitutionibus Capitularibus *Cap.* 12. *De modo eligendi Camerarium*, ubi expresse legitur: *Nec in ipsa Congregatione audeat quisquam proponere aliquid nisi Camerarius, sive Syndicus, vel qui ab eo proponendi licentiam habuerit*. Idque etiam constare ex Codicibus ipsis, & ex actis Capitularibus, ex quibus eruitur, Præpositos, dum Camerarii munere fungebantur, expresse declarasse, se tanquam Camerarios, non tanquam Præpositos, Capitulum aperire, & negocia proponere.

Immerito opponi, Præposituram esse Dignitatem in Ecclesia Cathedrali Imolen. majorem, eique proinde ex canonicis sanctionibus hujusmodi jura fore tribuenda. Siquidem ommissa quæstione, num Præpositura in Ecclesia Imolen. sit revera prima Dignitas, observat, qualitatem, & jura Dignitatum a cujusque Ecclesiæ moribus, & consuetudine esse desumenda, *Barbos. De Canonicis, & Dignitatibus cap.*4. *num.*25., *Rot. in Noviss. de elect. decis.*4. *num.*2.: Ponderat etiam, canonicas sanctiones locum non habere quoad se-

ptem

ptem reliquas Dignitates ejusdem Capituli, ad quas, absente Præposito, hujusmodi jura devolvi ex ordine deberent. Hinc infert, nullum jus Præposito tribuere ne in una, eademque Ecclesia Juris sanctiones difformiter inter easdem Dignitates ex arbitrio discrepent *Gratian.discept.70 num.79.*, *Rot. coram Lancetta decis.998. num.13.*: cùm præsertim eidem Præposito datum non sit conservare Scripturas Ecclesiæ, Archivii claves custodire, Sigilla detinere, aut jurisdictionem aliquam exercere, sed hæc omnia soli Canonico Camerario ab immemorabili tempore concredita fuerint.

Nec refragari *Caput 5.* Constitutionum Capitularium, quo potissimum innititur Præpositus. Nam animadvertit primum, in iisdem Constitutionibus reservatam fuisse Capitulo potestatem addendi, tollendi, aut declarandi singulas Constitutionum partes. Centenariam autem observantiam optimam esse illarum Constitutionum interpretem *Leg. Si de Interpret. ff. de Legibus*, *Card. de Luc. de Beneficiis disc.96. num.8.*, *Rot. coram Cerro decis 747. num. final.*. Subdit deinde, in dicto *Cap. 5.* litteralem haberi *cumulativam* inter Præpositum, & Syndicum in illis dictionibus *seù*, & *vel*, quæ ibidem habentur, tum etiam in illis verbis, quæ statim sequuntur: *per manum Præpositi factam, vel Camerarii, absente Præposito*, nempe *aut de Commissione alterius eorum*, quorum virtute explicari, & corrigi putat, quæ immediate ante leguntur, & æqualitatem induci inter Præpositum, & Camerarium. Provocat insuper ad ea, quæ habentur in speciali Rubrica *De modo eligendi Camerarium, deque ejus officio Cap.12.*, ad cujus normam factæ inde fuerunt Constitutiones Synodales. Hinc plurimi attendenda, quæ posterius peracta sunt, & præsertim maximi faciendam consuetudinem ad intelligentiam eorum, quæ in citato *Cap. 5.* subobscurè transcripta leguntur.

Nullam verò haberi posse rationem de resolutione Capitulari anni 1766., quam irritam esse sustinet, quia contra Constitutiones Capitulares, & Synodales prodierit. Observat enim, quod in iis præcipitur, ut nihil in Capitulo proponi possit, nisi per præambulam convocationis Schedulam res tota in Comitiis discutienda patefacta fuerit; ac præterea, ne quid in Capitulo, quod ad aliquem ex Capitularibus pertineat, eo præsente proponatur; & demum, quod nulla resolutio, nisi per secreta suffragia, *sub pœna nullitatis* accipiatur. Ait tamen, hæc omnia in dictis Comitiis contempta fuisse. Præterea contendit, Canonicos nec potuisse, nec voluisse spoliare Camerarium de suis juribus. Non potuisse, quia nequeunt Canonici arbitratu suo decernere contra Statuta, aut Synodales Constitutiones, aut inveteratam consuetudinem *Monacell. in Formul. part. 2. tit. 13. form.1. num.73.*,

Pi-

Piton. discept. Ecclesiast. 93. num. 9. part. 3. . Non voluisse, quià resolutio capta dicitur *a tenore delle medesime Costituzioni, e del Sinodo nuovamente emanato*. Horum autem neutrum Præposito favere. Ac tandem advertit, dictam resolutionem, non modo nunquam habuisse pacificum effectum, nec a sanìori parte Capituli fuisse probatam, sed insuper liti causam dedisse; proindeque irritos esse, & inefficaces actus, ex quibus præsens controversia ducit originem *Rot. decis. 15. num. 7. & 8. part. 7. Recent., & coram Ludovis. decis. 4. num. 2.*

Ad II. dubium præmittit, intrinsecum Scrutatoris officium in his tribus consistere, nempe, secretè scrutari vota Eligentium, eaque in scriptis redigere, & sic redacta publicare, ex *Cap. Quia propter de Elect.*, *Lotter. de re benef. lib. 3. quæst. 19. num. 23.* Tria hæc individua esse, & ex Jure Canonico, & ex consuetudine Ecclesiæ Imolen., atque idcirco perperam Præpositum velle nunc postremum actum sibi vindicare, duos vero priores non denegare Camerario. Asserit, in Scrutiniis, quæ fiunt a Capitulis Cathedralium, nullum jus competere Dignitatibus illa recognoscendi, sed jus esse Capitulo duos, vel tres Scrutatores eligere, qui id exequantur, *Fagnan. in Decretal. tom. 1. pag. 290. num. 56.*, eosdemque Scrutatores teneri ex officio *per se ipsos* protinus electionem publicare *Cap. Quia propter de Elect.*, *Lotter. de Re Beneficiar. lib. 3. quæst. 17. num. 23.*. Hinc infert, quod etiamsi Præpositura esset Dignitas cæteris major, non tamen ratione Dignitatis potest Præpositus jus sibi vindicare recognoscendi Scrutinia.

Pergit ad Capituli Constitutiones, seu Statuta, atque observat, nihil in iis legi, quod pertinere aliquo modo possit ad Scrutinia, nisi verba sequentia *Cap. 17. Camerarius, aut alius . . . fabas extrahere de pyxide, & recipere debeat, ita quod apparere possit, quæ, & quot sint dictæ fabæ albæ, vel nigræ*: Atque ad id oculos intendisse Capitulum in relatione, quam obtulit an. 1697. Antistiti suo Card. del Verme. Ex his autem verbis deducit, aut nulli concessum a Capitulo officium Scrutatoris, & jus recognoscendi Scrutinia, aut soli Canonico Camerario fuisse impertitum. Id vero erui posse existimat ex perenni observantia ad hæc usque tempora producta, quam adstruere nititur ex testimonio hac de re nuper reddito a dignioribus, atque ætate provectioribus Canonicis, interposita juramenti religione, tum etiam ab observantia, quæ viget apud Collegium Mansionariorum, & *Communiæ*.

Ad III. Obvium esse ait, lites ab aliquo Collegio, aut Universitate actas sumptibus Collegii, vel Universitatis peragi debere *Barthol.*, *& Bald. in Leg. Ab omnibus §. Si a Titio ff. de Leg. 5.*, *Rot. in Recent. decis. 418. num. 3. part. 4. tom. 1.*; præser-

tim ubi Collegium, seu universitas non agendo urgeat, sed excipiendo jura sua tueatur, ita ut Collegium fiat quodammodo *Reus necessarius* relative ad Actorem, qui illud vocavit in judicium *Innocent. in Cap. Inter sub num. 1. vers. Solutio illa de except.*, *Scacc. de Judic. Caus. lib. 2. cap. 2 n. 178.* Affert duas Capituli resolutiones, alteram anni 1706., dum instante Præposito, ne lis contra Capitulum ab eo instituta fieret sumptibus Massæ Capitularis, idem Præpositus causa cecidit; alteram anni 1772., quo resolutum fuit in Comitiis diei 31. Januarii, præsentem litem sumptibus Capituli fieri debere. Nihili habendum quidquid actum fuit in Congregatione Capitulari diei 3. Augusti ejusdem anni, tum ob inutiles turbas eadem in Congregatione excitatas, tum etiam quia quinta vix die a prædicta Congregatione, res iterum in aliis Comitiis proposita fuit, ac definitum, uno tantùm dissentiente, controversiam hanc sumptibus, & nomine totius Capituli fore tuendam. Contendit præterea, in hac quæstione agi de jure, & de communi interesse Capitularium omnium, & proinde sumptus litis detrahendos esse ex Massa communi *Constantin. ad Statut. Urbis adnot. 59. num. 311.*, *Rota in Avenionen. Convocationis Capituli super Expensis 17. Martii 1752. §. Deterioris coram Vicecomite*; idemque locum sibi vindicare, etiamsi præter commune totius Capituli emolumentum adsit peculiaris utilitas cujusvis Capitularis *Rot. decis. 402. num. 1. coram Cavaler.*, *& in Lycien. Legati Pii 6. Decembris 1754. §. fin. coram Vicecomite*; & hoc ipsum procedere, quamvis étiam Præpositus sit de gremio Capituli, & partem habeat in Massa communi, *Constantin. loco citato num. 16.*, *Card. De Luca de Judic. discur. 39. num. 26.*, *Rot. in citata Avenionen. 17. Martii 1752. §. 7. cor. Card. Bussio*.

Certum est, ex Juris communis dispositione, jus convocandi Capitulum ad illum spectare, qui Caput est corporis Capitularis *Cap. Postulasti de concess. Præbend.*, *cap. A collatione de appellat. in 6.*, *& Concil. Trident. sess. 25. cap. 6. de de Reform.*. In hoc conveniunt omnes Canonistæ, idque etiam Sacra hæc Congregatio sæpius definivit, ut apud *Card. Petra ad Constitut. I. Leonis Magni sect. 1. num. 46.*, & recentiùs in *Melevitana Jurisdictionis 18. Septembris 1723. ad I.*, *in Tolentina Servitii Chorii 16. Maji 1739. ad VII.*, *in Verulana Archidiaconatus 13. Julii 1743. ad IV.*. Quia tamen legitima consuetudine, aut Capitularibus Statutis, vel Constitutionibus Synodalibus aliter introduci, aut præfiniri potuit, idcircò in præsenti quæstione horum potissimum habenda est ratio, ac serio expendendum quid in Ecclesia Cathedrali Imolen. sibi vindicet antiqua, & constans observantia, quid Synodales illius Ecclesiæ Constitutiones, quid demum Capitularia Statuta præscribant.

His itaque mature ponderatis, definiendum erit

I. *An*,

I. *An, & cui competat Jus convocandi Capitulum, illudque aperiendi, in casu &c.*
II. *An, & cui competat Jus recognoscendi Scrutinia, in casu &c.*
III. *An, & a quibus fieri debeant expensæ litis, in casu &c*

Ad I. Jus convocandi Capitulum competere Præposito, & in ejus absentia Camerario. Jus vero aperiendi Capitulum competere Digniori inter præsentes, & amplius. Ad II. Competere Digniori una cum Camerario, & amplius. Ad III. Fieri debere ab iis, qui in litem consenserunt.

ROMANA REDUCTIONIS LEGATORUM. Testamento condito anno 1673., & confirmato per codicillum anni 1680. pia Mulier Cæcilia Merisi hæredem instituit Ven. Archiospitale S. Jacobi Incurabilium Urbis, cui plura onera quolibet anno adimplenda adjecit. Siquidem præter Capellaniam, quam per actum inter vivos ipsamet Testatrix instituerat in Ecclesia ejusdem Ven. Archiospitalis, & pro dote censum assignaverat scut. 1100., cui totidem loca Montinm modò subrogata sunt, aliam quoque Capellaniam cum onere Missæ quotidianæ erigi mandavit; ac præterea duo Anniversaria designatis diebus celebrari jussit, & duo etiam rubra frumenti iisdem diebus in eleemosinam pauperum erogari præcepit. Voluit insuper, ut singulis hebdomadis certa panis quantitas traderetur septem Religiosis Familiis ex Ordinibus Mendicantium: Ac demùm octo dotalia subsidia sc. 25. pro quolibet distribuerentur Puellis, quæ monasticam vitam forent amplexuræ. *Sess.25. cap.4. de Reform.*

Hæreditatem adierunt Archihospitalis Moderatores cum beneficio legis, & inventarii, atque onera ad annum usque 1766. adamussim impleverunt. Cùm tamen comperiissent hæreditarios reditus adeo fuisse imminutos, ut ad onerum satisfactionem non sufficerent, quin immò Archiospitale non leve damnum subiisse ex sequuto quoad præteritum illorum implemento, idcircò vigiles hodierni Moderatores preces obtulerunt san.mem. Clementi XIII., quibus postularunt eorumdem onerum suspensionem quousque Archiospitale reintegrationem fuisset assequutum, atque etiam illorum quoad futurum reductionem ad ratam redituum. Ablegatæ sunt preces Sac. huic Congregationi, quæ die 16. Decembris 1769. rebus omnibus ad examen revocatis, nihil deliberandum censuit, nisi ex firmatione status totius hæreditatis de decennio in decennium a Peri-

to exequenda, singula luculentiùs apparuissent.

Itaque Peritus Ratiocinator juxta mentem Sac. Congregationis deputatus retulit, Archiospitale, ab anno 1683. ad annum usque 1767. damnum subiisse in summa scut. 795. 61., ab eo autem tempore ad totum annum 1772. in quantitate scut. 382. 72.. Ne itaque graviori damno idem Archiospitale subjiciatur, denuo instant Moderatores pro suspensione, ac reductione, & utramque assequi posse non desperant cum resolutione trium dubiorum, quæ in calce transcripta leguntur.

Sustinent ad I. satis deprehendi ex Periti relatione passam ab Archiospitali jacturam scutor. 1178. 25., quæ pro onerum satisfactione ultra reditus hæreditatis Merisiæ de proprio erogavit; atque idcircò denegari non posse dicunt reintegrationem post aditam hæreditatem cum beneficio legis, & inventarii, redditamque de bonis omnibus, & fructibus hæreditariis rationem *Rot. in Perusina super liquidatione Crediti 25. Junii 1751. §.3. coram Eminentissimo Migazzi, & in Romana, seu Farfen. liberationis a molestiis 9. Junii 1760. §. 12. coram Reverendissimo Olivatio.* Nec obesse, quod Archiospitale in aliquibus annis plus perceperit ex fructibus hæreditariis, quam quod in causam onerum impenderit, cùm id ipsum perspectum jam fuerit a Perito Ratiocinatore, qui nihilominùs computatis utilibus in majori quantitate aliquibus annis perceptis, cum damno in aliis passo, Archiospitale in memorata conspicua summa Creditorem renunciavit.

Prò reintegratione verò Archiospitalis affirmant, nullam habendam esse rationem subsidiorum, quæ vel ob mortem Puellarum, vel ob non sequutam assumptionem habitus monastici reincidunt, & caduca fiunt, quæque juxta Testatricis dispositionem eidem Archiospitali acquiruntur. Advertunt enim, hujusmodi subsidia ab hæreditate semel avulsa per assignationem Puellis factam, Archiospitali minimè obvenire jure directæ vocationis, sed jure obliquo substitutionis pœnalis, quo casu non in beneficium universæ hæreditatis, sed in commodum hæredis substituti cedere debent *Leg Fundo* 4. *ff. ad Leg. Falcidiam*. Addunt, locum in præsenti casu non habere dispositionem *Legis In ratione* 11. *ff. ad Leg. Falcidiam* præcipientis, ut hæredi gravato legatorum onere ultra dodrantem non competat Falcidiæ detractio, si hæreditas ob illorum caducitatem opulentior evaserit, cùm illa loquatur solùm de legatis, quæ caduca fiunt ante diem assignationis, & ab hæreditate nondùm fuerint segregata, non autem de aliis ab ea avulsis.

Ex his arguunt ad II. locum esse suspensioni onerum, & legatorum, quousque Archihospitale de suo credito satisfiat. Inter onera verò præservanda putant duo Anniversaria, & Ca-

& Capellaniam præseferentem celebrationem Missæ quotidianæ, cum ex verosimili Testatricis mente magis enixa censeatur illius voluntas pro Missarum celebratione, quam pro aliorum legatorum satisfactione, *Card. de Luc. legat. disc.* 13. *num.* 8. ; *de Valent. de re Ecclesiastic. vot.* 21. *a num.* 25. *ad* 41. & hanc fuisse Sacræ Congregationis sententiam in *Nepesina reductionis onerum 3. Julii* 1734. , *& in Senogallien. reductionis Missarum 2. Decembris* 1741. Observant , quod si suspensioni subjiciatur legatum distributionis panis tam pauperibus , quam septem Conventibus Mendicantium , levissimum caperet Archiospitale compendium : hinc decernendam omninò esse subsidiorum dotalium imminutionem usque ad plenariam Archiospitalis reintegrationem .

Denique contendunt ad III. , quod deperditis bonis hæreditariis , imminutisque in maxima parte reditibus , denegari non possit reductio onerum , quæ hæreditati sunt adnexa, Sacra Congregatio in *Auximana* 12. *Julii* 1631. , *& in Colonien. 9. Augusti* 1706. , idque ea ratione , ne scilicet hæres impensas pro onerum implemento de proprio subire teneatur *Rot. in Romana Dotis , & Fideicommissi* 17. *Januarii* 1752. §. 9. *coram Eminentissimo Elephantutio* . Quo verò ad onera , quæ reduci oporteat , repetunt ea omnia , quæ in secundo dubio perpensa sunt , ut dotium numerus imminuatur ; Et quoad modum reductionis inquiunt , quod sicuti Archiospitale nondum perceptis fructibus anticipatè semper præterito tempore onera adimplevit , ita in posterum subsidiorum dotalium distributio statuenda sit postquam reditus omnes hæreditarii percepti fuerint , ut hac methodo certus dotium numerus absque Archiospitalis discrimine præfiniri possit .

Habenda præ oculis sunt , quæ jam alias fusè adnotata fuerunt in præterito istius causæ folio , quod est ad diem 16. *Decembris* 1769. in *thesaur. resolut. tom.* 38. *pag.* 151. Sanè dum urget suspensionis , aut imminutionis necessitas , ex præsumpta Testatoris voluntate alia potius onera , quam Missarum celebratio suspendi , aut imminui debet , *Amostraz. de caus. piis lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 39. , *Rot. coram Lancett. decis.* 867. *num.* 9. , & hanc praxim Sac. Congregatio sæpius servavit , nisi aliter ex Testatoris dispositione deprehensum fuerit . Seriò etiam perpendenda est Ratiocinatoris Peritia , quæ inter monumenta causæ recensetur , ut de credito Archiospitalis , deque imminutione redituum hæreditatis Merisiæ certò constare possit. Ac denique animadvertenda , quæ cl. me. Card. Cavalchini olim Protector de sua sententia exposuit , dum suspensioni annuendum censuit , *ita tamen , ut annua duorum saltem ex iisdem subsidiis Dotalibus distributio nunquam intermittatur* ; reductionem verè ita fieri posse existimavit , ut dotalia sub-

subsidia *ad eum numerum redigantur, cui reditus hæreditarii annuatim sufficiant*, supportatis tamen aliis oneribus, ac præservatis favore Archiospitalis subsidiis, quæ reincidunt.

His ergo, aliisque ad rem perpensis dignabuntur Emi PP. decernere.

I. *An, & in qua summa sit locus reintegrationi favore Archiospitalis S. Jacobi Incurabilium in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus suspensioni subsidiorum dotalium, & aliorum onerum relictorum a quondam Cæcilia Merisi pro obtinenda reintegratione in casu &c.*

III. *An, & in qua quantitate sit locus in futurum reductioni eorumdem subsidiorum dotalium, vel aliorum onerum in casu &c.*

Non proposita, cum sequentibus.

Sess. 13. cap. 5. de Reform.

PERUSINA CAPELLANIÆ. Ecclesiam, seu Capellam Divo Francisco de Assisio Sacram, quam Sacerdos Franciscus Ughi ere proprio a fundamentis extruxerat in districtu Castri Plani, heredem testamento scripsit, in eaque Capellaniam de jurepatronatus merè Laicali erigi jussit. Primum Capellanum ipsemet Testator nominavit Sacerdotem Dominicum Ughi suum Nepotem, & post istius obitum patronatum activum contulit *al maggior nato de Maschi de congiunti per sangue, attinenti, ò affini del sudetto Signor D. Francesco Testatore, ò del detto Signor D. Domenico Ughi suo Nipote, ed in mancanza di essi succedano li maschi discendenti dalle femine congiunte per sangue, come sopra, e la prelazione debba sempre averla il maggior nato di dette femine.* Ad passivum verò patronatum vocavit pariter omnes tam sibi, quam eidem Dominico ejus Nepoti sanguine conjunctos, omnes scilicet descendentes a Stephano, Simone, & Camilla ipsius Testatoris Patruis, & Amita, mandavitque, ut hos inter *debba reciprocamente trasferirsi la Cappellania, allorchè sarà vacante, preferendo sempre il più idoneo, e capace a concorrere alla detta Cappellania, e non altrimenti.*

Vacavit Capellania mense Novembris anni 1772. per obitum Francisci Junioris Ughi, & Sacerdos Jacobus Bacci cum se passivè vocatum, & unicè qualificatum existimaret, solemniter protestatus est contra Vincentium Ughi Capellaniæ Patronum, ne alium, quam se ipsum nominaret. Verùm, despecta protestatione, Patronus nominavit Paulum Ughi Pronepotem suum in ætate annorum decem constitutum, nulla adiecta conditione de obtinenda

da ab Apostolica Sede dispensatione. Contestata lite in Curia Episcopali Perusiæ, nonnulla jam favore Sacerdotis Jacobi ædita fuerant pro institutione decreta; sed interim Paulus a Patrono nominatus veniam ætatis postulavit a Dataria Apostolica, quæ istius petitionis cognitionem ad Sac. Congregationem remisit.

Verùm dictus Paulus nunquam comparuit, solumque Sacerdos Jacobus instat, ut rejecta supplicatione, sibi uni Capellania adjudicetur, tum quia e Linea vocatorum descendit, tum etiam quia omnibus pollet qualitatibus a Testatore requisitis, quibus è converso caret Paulus contradictor, qui decimum ætatis annum non excedit, quique dum Apostolicam efflagitat dispensationem, propriam inhabilitatem fatetur *Rot. coram Buratt. decis.* 19. *num.*8., & 9. Observat autem, quod licet Testator omnes vocaverit descendentes a Simone, & Camilla, a qua Paulus descendit, nihilominus hos inter præferri voluit *il più idoneo, e capace a concorrere a detta Cappellania, e non altrimenti*, quæ quidem verba non directam modò, & immediatam vocationem præseferre dicit, sed etiam idoneitatem, quæ in ipsis vocatis de tempore vacationis verificetur *Piton. de controv. Patron. alleg.* 65. *num.* 2., *Rot. in Civitatis Castelli Canonicatus* 12. *Martii* 1714. §. *Conciliari coram Scotto*. Præsertim quia vix sequuto ultimi possessoris obitu protestationem emisit, cujus vigore tale jus sibi quæsitum putat, ut nulla amplius indigeret Patroni præsentatione *Piton. alleg.* 85. *num.*2. *Rot. coram Pamphil. decis.* 93. *num.*1. *ad* 3.

Nec quidquam prodesse præsentationem, quam Paulus a Patrono reportavit. Sustinet enim hujusmodi præsentationem, utpotè collatam post protestationem favore personæ inhabilis, nullius fuisse roboris. Addit, quod etiamsi potuisset Patronus fundationis leges contemnere, & excluso idoneo, inhabilem præferre, nunquam tamen potuit Fundatoris voluntatem pessumdare, neque alteri expresse vocato præjudicium inferre *Lotter. de re benef. lib.*2. *quæst.* 38. *num.*26., & *seqq.*, *Rot.*, *in Gerunden. Beneficii* 4. *Februarii* 1752. *coram Caprar.* Inutiliter verò opponi, defectum legitimæ ætatis ex Apostolica dispensatione suppleri posse: Respondet enim idoneitatem fuisse a Testatore requisitam tempore vacationis, prout indicant verba = *preferendo sempre il più idoneo, e capace a concorrere* = proindeque idoneitatem postea superventam attendi non debere in præjudicium alterius expresse, & æque principaliter vocati, quique ipso met vacationis die habilis repertus est, certumque, ac validum jus sibi comparavit *Corrad. in prax. Benef. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 85., *Rot. in Placentina Beneficii* 21. *Aprilis* 1749. §. 18. *coram Canilliac.*

Ex

Ex his infert denegandam omninò esse dispensationem, quam Paulus efflagitavit a Dataria Apostolica, licet postea jura sua coram Sac. Congregatione deducere neglexerit.

Præsentis controversiæ indago in eo consistit, an Sacerdos habilis, & passivè vocatus præpedire possit, quominus alter æque vocatus, sed inhabilis, ope dispensationis idoneus evadat. Super hac quæstione Doctores quatuor casus distinguunt: Primus est, quando Testator vocavit aliquos de certo genere vocatione sive directa, sivè mediata, sed per verba relativa ad tempus vacationis Beneficii, & in isto casu affirmant, non esse concedendam dispensationem inhabili in præjudicium habilis, qui contradicat *Piton. de controv. Patron. alleg.* 1. *num.* 23. Alter casus est, quando Testator vocavit habiles vocatione mediata per verba directa ad tempus præsentationis, & tunc si adsint duo coæqualiter vocati, quorum unus sit habilis, & alius inhabilis, tunc Patronus præsentare potest inhabilem sub conditione obtinendæ dispensationis. Ratio est, quia Patronus habet terminum quadrimestris ad præsentandum habilem, unde sufficit, ut intra dictum tempus superveniat habilitas, quæ intelligi debet tam de naturali, quam de habilitate acquisita per dispensationem, nisi aliter Fundatoris voluntas, & fundationis verba suadeant *Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæst.* 40. *num.* 167.

Tertius casus est, si plures sint vocati per prius, & posterius, nempè primo loco aliqui de una linea, seu Familia, & deinde in eorum defectu alii de diversa linea aut Familia, & tunc sive vocatio sit directa, sive mediata non potest unus habilis de Familia posterius vocata præpedire quominus alius de Familia prius vocata, & prædilecta idoneus per dispensationem evadat *Piton. loc. sup. citat.* Denique quartus casus est de vocatione directa plurium coequaliter, & simultaneè vocatorum, & tunc durante quadrimestre jure habilis resistit, ne inhabili concedatur dispensatio, quæ concedi non solet in præjudicium alterius, qui tempore habili sese opposuit, & ratione idoneitatis habet jus prælationis *Vivian. de Jurepatr. lib.* 12. *cap.* 5. *num.* 39., *Rot. decis.* 63. *num.* 11., & 12. *part.* 12. *Recen.*

Hæc sedulo perpendenda videntur, ut pensatis circumstantiis, & Testatoris dispositione Emi PP. definiant.

An sit relaxanda supplicatio, & respectivè concedenda dispensatio in casu &c.

SENOGALLIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Pensiones Domorum, quas Sacerdos Jacobus Cirilli Magi possidebat in claustro Hæbreorum Civitatis Senogalliæ, deservire jussit pro tribus Subsidiis Dotalibus scutorum 29. pro quolibet monetæ Urbinatensis singulis annis conferendis totidem pauperibus ejusdem Civitatis, seu Territorii Puellis, quæ Matrimonio copulari voluissent. Prælationem ad hujusmodi dotalia subsidia tribuit Puellis descendentibus ex nonnullis ab ipso designatis Familiis sibi sanguine conjunctis, quarum favore dotem auxit ad scuta 58., & jus nominandi reliquit Famulæ Baptistæ Petulatæ, cui hæreditatis suæ usumfructum legavit, & Antonio Lombardi, quem hæredem proprietarium instituit, eisque permisit, ut nominare possent *nove per trè anni anticipatamente a loro arbitrio, ed in qualsivoglia età*. *Sess. 24. cap. 1. de Reform.*

Accidit, ut Antonius Lombardi cuilibet dotale subsidium petenti nominationem concesserit, & toto tempore, quo hæreditatem possedit, Puellæ numero 120. nominatæ comperiantur. Quemadmodum verò idem Antonius prodigus bonorum administrator suam Familiam in graves angustias redegit, & quatuor Filias dote omninò destitutas deseruit, idcircò Michelina Zucconi ejus Vidua SSmo supplicavit, ut unicuique ex filiabus applicare pro virili dignaretur ad decennium dotalia subsidia ex dispositione Sacerdotis Jacobi conferenda. Preces remissæ fuerunt Sac. huic Congregationi, a qua dum Michelina petiit pro filiabus subsidiorum dotalium assignationem, de nullitate redarguit nominationes ab Antonio Viro expletas, utpote quia modum, & numerum a Testatore præfinitum excesserit.

Hac itaque de causa Sac. Congregatio *die 8. Maii anni elapsi*, dilata propositi tunc dubii resolutione, inquiri diligentius jussit ab Episcopo, quanto tempore, quibusque annis Antonius Lombardi hæreditatem Sacerdotis Magi possederit; quot numero nominationes, & quibus pariter annis Puellarum favore contulerit: Et quia delatæ etiam fuerant querelæ de dispersione pecuniarum provenientium ex pensionibus domorum, quæ in dotalia subsidia erogari debent, idcircò iniunctum Episcopo fuit, ut sedulo incumberet, ne pecuniæ distraherentur, & si quid a Michelina perceptum fuisset restitui curaret.

Mandata Sac. Congregationis adimplevit Episcopus, qui retulit, Antonium fere per annos duos supra triginta hæreditatem Sacerdotis Jacobi possedisse, eoque tempore Puellis numero centum, & viginti nominationem contulisse. Ignorare autem dicit, quo precise anno Puellæ nominatæ fuerint, neque id constare posse, cum fere omnes absque designatione diei, & anni selectæ comperiantur. Addidit, ex iis Puellis, quibus nominatio collata fuit,

 jam

jam octuaginta dotem fuisse assequutas, tres autem supra triginta spe assequendi dotale subsidium matrimonium contraxisse, septem denique innuptas adhuc manere, sed summa egestate premi, & dotem enixis præcibus efflagitare. Denique asserit jam providisse, ne pensiones domorum disperderentur, easque proinde sequestro subjecisse, & scuta 61. 25. a Michelina percepta, jam fuisse restituta, & in æde Sacra deposita reperiri.

Rebus ita compositis præces renovat Michelina pro dotium applicatione favore filiarum, quas præferendas fore dicit, tum quia Testatori consanguineæ sunt, tum etiam quia ab ipso prædilectæ. Hinc alienum non esse putat, immò quam maxime illius voluntati conforme, ut posthabitis extraneis Puellis, consanguineis consulatur: Præsertim quia filiæ sunt Antonii Lombardi, quem Testator hæredem instituit, easque proinde majori benevolentia, ac dilectione prosequutas præsumi. Et hanc fuisse Sac. Congregationis sententiam, quæ non solum consanguineas prætulit, sed insuper istarum favore dotium cumulum fieri jussit, ut decenti possent matrimonio collocari, quemadmodum prostant exempla in *Romana subsidiorum dotalium 6. Decembris* 1738., *in Florentina Commutationis voluntatis* 25. *Februarii*, & 18. *Martii* 1747., & alibi.

Nec obesse contradictionem Puellarum, quæ nominationem ab Antonio fuerunt assequutæ: Sustinent enim dictum Antonium nequaquam servasse legem sibi a Testatore præscriptam nominandi *nove per trè anni anticipatamente*, sed Puellis numero pluribus, & extra trienii tempus nominationes contulisse. Quare Puellas ab eo nominatas, qui nominandi potestate carebat, nullum jus ad dotalia subsidia acquisivisse *leg. Nemo plus juris* 54. *ff. de reg. jur.*, *Rot. in Urbevetana Jurispatronatus* 16. *Junii* 1760. §. 7. *cor. R̃mo Olivatio*. Addit plures ex his Puellis, nominationis nullitatem agnovisse, dum ab annis 1743., 1746., & 1748. ad annum usque 1771., quo decessit Antonius, nec dotem sibi assignari curaverint, nec ulla facta subsidii Dotalis mentione matrimonium contraxerint, absque eo quod illius solutionem inposterum efflagitaverint.

Ex parte Puellarum, quæ ab Antonio nominatæ fuerunt, nihil hactenus neque in præterita, neque in præsenti causæ propositione deductum est. Forsan paupertas vetuit, ne expensis contribuerent, de qua quidem paupertate ex Episcopi testimonio constat. Sanè collato ingenti Puellarum numero, quas Antonius nominavit, cum tempore, quo ipse hæreditatem possedit, nominationum excessus deprehenditur; sed quia istarum nominationum tempus ignoratur, idcircò dijudicari non potest quæ nam Puellæ nulliter, aut legitime nominatę fuerint. In præterita Informatione Episcopus ut Oratricis filiabus,

ac

ac Puellis nominatis consuleret, & iis præsertìm, quæ sub fide dotalis subsidii matrimonium contraxerant, temperamentum proposuit, quod scilicet, suspensa nominatione, bina dotalia subsidia traderentur Puellis jam nominatis, tertium verò Oratricis filiabus applicaretur.
Post hæc convenerunt Partes, & amicabiliter pro concordia constituerunt inter se, ut bina dotalia subsidia Oratricis filiabus usque ad congruæ dotis complementum quolibet anno applicentur, & alterum Puellis jam nominatis assignetur. Quidquid autem ex pensionibus Domorum huc usque depositum reperitur, & in decursu totius currentis anni retrahetur, id omne in commodum Michelinæ Oratricis cedere, ab eaque in reintegrationem expensarum litis percipi debeat. Ita porrò Partes consentiunt, an autem hujusmodi conventio exequutionem mereatur, pro sui prudentia dijudicabunt EE. VV., a quibus quæritur.
An sit locus assignationi subsidiorum dotalium, seu potius sustiveantur assignationes factæ a quondam Antonio Lombardi in casu &c.

REATINA CAPELLANIÆ. Per actum inter vivos Sacerdos Rosatus Leonori anno 1642. nonnulla assignavit bona valoris scutorum 554., & annui reditus scut.47.45., ut illa deservirent pro institutione Ecclesiastici Beneficj in Capella SSmæ Pietatis Terræ Appositæ *pro uno Presbytero, seu Clerico* ab Ordinario instituendo, qui teneretur quatuor Missas in unaquaque hebdomada celebrare, & Pueros Gramaticæ rudimenta edocere. Hujusmodi Beneficii patronatum activum reliquit Sacerdoti Jacobo, & Petro fratribus de Leonoris, ac illorum hæredibus, & successoribus. De patronatu autem passivo disposuit, quod pro prima vice nominaretur præfatus Sacerdos Jacobus Leonori, eoque postmodum defuncto præferri jussit Clericos, seu Sacerdotes habiles, & idoneos de Domo de Leonoris, iis autem minime extantibus mandavit, quod eligeretur aliquis de familia, & successione Bernardini Antonini. Deficientibus autem in utraque prædicta familia, qui Beneficium consequi possent, nominari tunc voluit descendentes a Felice Alexandrini, quibus pariter minime repertis, liberam eo casu facultatem tribuit Patrono nominandi alias quascumque idoneas personas. Piam hanc dispositionem in testamento exarato anno 1646. dictus Sacerdos Rosatus ne dum ratam habuit, & confirmavit, verum etiam addidit, quod Clerici, seu Presbyteri de familia Antonini, & Alexandrini, si ad præ-

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

dictum Beneficium fuissent nominati, nullo unquam casu possent ab illius possessione removeri = *Eccetto però, che non sopravenisse altro sogetto abile di Casa Leonori, quale assieme con tutti quelli, che saranno, voglio, che siano sempre preferiti.*

Ob matrimonium anno 1766. contractum a Petro Leonori cum Maria Sperelli vacavit Beneficium, & quia nullus tunc aderat Sacerdos, seu Clericus de dicta familia Leonori, nominatus fuit Sacerdos Claudius Gentilini. At Clericus Joannes Baptista Antonini, uti a Testatore passivè vocatus, conquestus est de hujusmodi nominatione apud Sacram Congregationem, a qua tum Beneficium, tum fructuum restitutionem postulavit. Propositis autem die 27. Novembris anni elapsi duobus dubiis I. *An, & a quo tempore debeatur nominatio Clerico Joanni Baptistæ Antonini ad Capellaniam seu Beneficium erectum a Sacerdote Rosato Leonori in casu &c.* II. *An, & a quo sint restituendi fructus, & in qua summa in casu &c.*, cum nec jura sua deduxerit Capellanus nominatus, neque Aloysius Leonori Patronus, prodiit resolutio ad I. *Deberi a die vacationis*, *ad* II. *Deberi a Patrono detractis oneribus usque ad diem motæ litis, & a Capellano a die motæ litis*. Beneficio novæ audientiæ captam resolutionem impugnant tum Patronus, tum Gaudentius illius filius, qui Clericali Tonsura modo insignitus est, additoque altero dubio in calce transcripto, sibi uni beneficium adjudicandum, & Clericum Antonini omnino rejiciendum contendit.

Inquiunt ad I. minus recte conqueri Clericum Antonini, quod anno 1766 secuta istius beneficj vacatione electus fuerit Sacerdos Gentilini, quoties ipse intra quadrimestre coram Patrono nunquam comparuit, ut nominationem assequeretur. Quare attenta ipsius contumacia sustinent, liberum fuisse Patrono extraneum nominare ad exclusionem Clerici passivam suam nominationem proferre negligentis *Piton. de Controv. Patron. allegat.* 100 *numero* 331. *Rot. in Monasterien. Canonicatus* 26. *Junii* 1761. §. 12. *coram Frangipane*; Perperamque obiici, quod Patronus rejecerit Clericum Antonini beneficii nominationem postulantem, cum hujusmodi rejectio non probetur, & quatenus probaretur, affirmant, Clericum Antonini jure passivæ vocationis potuisse Reatinum Antistitem adire, & absque ulla Patroni nominatione Beneficii institutionem efflagitare: *Piton. discept. Eccles.* 19. *num.* 1. *Rot. cor. Buat. decis.* 404. *num.* 1., *& in Tridentina Capellania* 22. *Februarj* 1771. *cor. R̃mo Guerra*.

Ad II. præmittunt, in collationibus Beneficiorum servari omninò debere leges, & conditiones in ipso fundationis limine appositas *Rot. coram Falconer. decis.* 52. *num.* 1. *de jure patronat.*, *& coram san. mem. Clemente XIII. decis.* 328.

num. 3.

*num.*3.. Claram vero fuisse voluntatem Sacerdotis Leonori, qui Beneficium instituit, ut illud non nisi ad tempus, & deficientibus Clericis, seu Presbyteris de familia Leonori, conferretur descendentibus a familia Antonini: hinc inferunt, hujusmodi substitutioni locum non esse, semelac reperitur Clericus Gaudentius Leonori de linea a Fundatore prædilecta; ideoque postposito Clerico Antonini, beneficium eidem Clerico Leonori unicè adjudicandum fore contendunt: *Text. in cap. Illud in fin. Rot. in rec. decis.* 68. *num.* 4. *part.*10., *& coram Bichio decis.* 264. *num.*18.. Nec posse in controversiam revocari Fundatoris potestatem adiciiendi ex intervallo, & in actu ab ipsa fundatione separato alias leges, & conditiones. Respondent enim, Fundatoribus id utique licitum esse, etiam in præjudicium illorum, quos in fundatione prædilexerant antequam Ordinarii auctoritas in crectione intercedat. *Vivian. de Jurepatr. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 10., *Tondut. quæst. Benefic. part.*1. *cap.*18. *num.*8., *Piton. de controv. Patron. allegat.* 95. *num.* 23.. Maxime, si leges, & conditiones dispositioni juris communis non adversentur, *Gloss. in cap. Neminem dist.* 70. *verb. sive possessionis, Rocc. de Jurepatronat. verb. honorificum quæst.* 18. *num.*86.

Ex alia vero parte quoad I. dubium Clericus Antonini justitiam, & æquitatem captæ resolutionis tuetur. Inquit enim, Beneficii fundatorem, non illimitatam facultatem dedisse patronis in electione novi beneficiati, sed illam ita fuisse coercitam, ut non extante Clerico, vel Presbytero de familia Leonori nominatio tribueretur Clerico, vel Presbytero de familia Antonini; arguit proinde, quod secuta anno 1766. beneficj vacatione ob matrimonium contractum a Petro Leonori, qui illud possidebat, & deficiente Clerico de familia primo loco contemplata, ipsi uni ex fundatoris præcepto beneficium fuerat adjudicandum. *Rot. decis.* 121. *num.* 4. *tom.* 2. *coram Ratto*, *& decis.* 73. *num.* 3. *tom.* 1. *coram Crescentio*. Nec obici posse, quod Petrus Leonori etiam in statu conjugali beneficium retinere potuerit: Observat enim, fundatoris voluntati id penitus adversari, cum apertè disposuerit, ut illud vacaret, quotiescumque beneficiatus matrimonium contraxisset. Ex his omnibus infert, adigi debere tum Patronum, tum Capellanum ad fructuum restitutionem a die vacationis beneficii, utpotè quia illos injuste, & mala fide perceperint *Rot. in Reatina Beneficii* 27. *Junii* 1746. *§.* 9. *coram Millino*, *& in Albinganen. Capellaniæ* 1. *Decembris* 1752. §. 11. *cor. Bussio*.

Ad II. fatetur, licitum esse fundatori in beneficii institutione leges, & conditiones sibi benevisas apponere, verum affirmat, novas conditiones, & leges addere non posse statimac supervenerit Ordinarij adprobatio *Garzias de Benef. part.*5.

part.5. cap.9. num.68. Hinc licet Sacerdos Rosatus Leonori beneficii fundator testamento mandaverit, ut per supervenientiam Clerici de prædilecta Familia Leonori removeretur Clericus de aliis Familiis, qui beneficii possessionem fuisset assequutus, nihilominus sustinet, hujusmodi legem fore omninò despiciendam, utpotè quia jam prius Ordinarii auctoritas pro beneficii erectione intercesserit *Card. de Luc. de Jurepatr. disc. 56. num.2.*, *Rot. in rec. decis. 47. num.2. part.7.*

Serio perscrutanda sunt, quæ Sacerdos Rosatus Leonori in actu fundationis istius Beneficj de passivo patronatu disposuit. Siquidem Patrono legem indixit, ut = *dicto Beneficio deinde ut supra vacanti, dummodo de Domo de* Leonoris *adsit aliquis Clericus, seu Sacerdos habilis, & idoneus teneatur illum nominare, præsentare, & instituere . . . Et in eventum in quem in familia præfata de Leonoris tempore vacationum non adesset Clericus, seu Sacerdos habilis, & idoneus ad dictum Beneficium, & adesset de familia, & successione Bernardini Antonini, voluit, & ordinavit, & mandavit prædictum de familia, & successione dicti Bernardini per supradictos nominari, præsentari, & institui cum supradictis omnibus oneribus* = Ex his verbis patet, Clericis de familia Antonini tributam fuisse prælationem in casu, quo nullus tempore vacationis adesset Clericus de Familia Leonori primo loco contemplata, prout revera non aderat anno 1766., quo per matrimonium contractum a Petro Leonori illius possessore beneficium vacavit.

Verum Fundator in testamento postea condito mandavit = *Primo che in evento fosse nominato, e presentato, o ammesso a detta Capellania alcun soggetto tanto di Casa, e Famiglia di detto Bernardino, come di Mastro Felice sudetto. non possa per qualsivoglia causa, e pretesto esser levato, e rimosso dalla fruizione di detta Capellania, eccetto però che non sopravenisse altro sogetto abile di Casa Leonori, quale assieme con tutti quelli che saranno voglio siano sempre preferiti*. Videndum proindè quid hæc verba præseferant, & an dispositio hujusmodi attendi, & exequi debeat. Quare Emi PP. resumpto priori istius causæ folio, quod est ad diem 18. Septembris anni elapsi, dijudicabunt.

I. *An sit standum vel recedendum a decisis quoad primum, & secundum dubium in casu &c.*

II. *An Beneficium, seu Capellania de qua agitur sit adjudicanda Clerico Gaudentio Leonori in casu &c.*

Die Sabbati 11. Junii 1774. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

QUatuor causæ mox describendæ, atque in priori folio relatæ judicium EE. VV. expectant. Reliquæ verò quinque ad complendum consuetum numerum in præsenti adijciuntur.

ROMANA REDUCTIONIS LEGATORUM. *Seſſ.25. cap.4. de Reform.*

I. *An, & in qua summa sit locus reintegrationi favore Archiospitalis S. Jacobi Incurabilium in casu &c.*

II. *An, & quomodo sit locus suspensioni subsidiorum dotalium, & aliorum onerum relictorum a quondam Cæcilia Merisi pro obtinenda reintegratione in casu &c.*

III. *An, & in qua quantitate sit locus in futurum reductioni eorumdem subsidiorum dotalium, vel aliorum onerum in casu &c.*

Ad I. Affirmativè ad formam Peritiæ judicialis.
Ad II. Affirmativè pro suspensione quatuor subsidiorum tantùm usque ad integram reintegrationem.
Ad III. Dilata, & ad mentem.

PERUSINA CAPELLANIÆ. *Seſs.13. cap. 5. de Reform.*

An sit relaxanda supplicatio, & respectivè concedenda dispensatio in casu &c.

Dilata, & reproponatur omninò in sequenti etiam unica.

SE

Sess. 24. cap. 1. de Reform.

SENOGALLIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM.

An sit locus assignationi subsidiorum dotalium, seu potius sustineantur assignationes factæ a quondam Antonio Lombardi in casu &c.

Affirmativè juxta modum, nempè satisfactis primum novem subsidiis Puellis nominatis ab Antonio Lombardi juxta earum anterioritatem desumendam vel ex tempore factarum nominationum, vel ex annis, pro quibus nominationes factæ sunt, esse locum deindè assignationi dotium pro filiabus Lombardi in summa scutorum 58. pro qualibet.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

REATINA CAPELLANIÆ.

I. *An sit standum vel recedendum a decisis quoad primum, & secundum dubium in casu &c.*

II. *An Beneficium, seu Capellania de qua agitur sit ad judicanda Clerico Gaudentio Leonori in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 22. cap. 6. de Reform.

URBINATEN., SEU ARIMINEN. Marcus Aurelius Gisgoni Civis Ariminensis, insignis in Germania apud Leopoldum Augustum Imperatorem Prothomedicus, suum condidit testamentum anno 1683., in quo post nonnulla legata, hæredem universalem instituit Eleonoram unicam, quam habebat filiam, cui in pupillari ætate, vel sine filiis decedenti substituit Pauperes, & Hospitale Arimini sub expressa lege =, *che tutto quello lascio, o resta del mio venga fondato, ed investito in Rimino mia Patria sopra beni stabili, e da frutti si caveranno da tali Capitali, siano due terzi distribuiti annualmente fra li poveri bisognosi di detto luogo, con preferire però quelli della Casa, se ve ne saranno, l'al-*

tr

tro poi terzo sia impiegato in beneficio dell'Ospedale di Rimino = Anno 1690. in ætate pupillari obiit Eleonora, hinc Hospitalis Moderatores immissionem ad omnia bona hæreditaria Marci Aurelii obtinuerunt. Cum autem anno 1696. nomine Pauperum Invalidarum, & Puellarum Ariminensium supplicatum fuerit san. mem. Innocentio XII., ut ex reditibus hæreditatis præfati Marci Aurelii aliqua pars ipsis assignaretur, precibus annuit Pontifex, qui per litteras in forma Brevis die 18. Februarii ejusdem anni mandavit, triplicem redituum hæreditariorum partitionem, atque unam partem deservire jussit in levamen pauperum Invalidarum, alteram in tot subsidia dotalia pauperibus, & honestis puellis erogari præcepit, tertiam demum assignavit Hospitali, commisitque Pontificiæ voluntatis exequutionem Cardinali Curtio tunc Ariminensi Episcopo.

Vigore istius Brevis prefatus Cardinalis Curtio unam ex tribus partibus redituum hæreditatis Gisgoni Hospitali Ariminensi tribuit, ex reliquis verò duabus partibus singulis annis distribui mandavit quinque dotalia subsidia scutorum 30. pauperibus Puellis, atque alterum scutorum centum quolibet triennio distribuendum, alicui nobili Puellæ Ariminensi assignavit: Quidquid verò superesset, in subsidium pauperum Invalidarum cedere jussit. Quia verò Testator mandaverat, ut in eleemosinarum distributione descendentes de sua familia præferrentur, idcirco elapsis annis assignata fuerunt Geneuræ de Rubeis annua scuta duodecim, quæ quidem præstatio cum augumento aliorum scutorum sex favore Filiorum protracta fuit.

Præterea anno 1772. Summi Pontificis imperio demandata fuit annua præstatio scut. 36. Lucæ Alexandri Testatori sanguine conjuncto, indicta ad hunc effectum suspensione unius dotalis subsidii, vel aliorum reductione ad scuta vigintiquinque pro quolibet. Horum exemplo excitati Marianus Frater, & Nicolaus Alexandri ejusdem Lucæ Nepos supplices ab EE. VV. implorant aliquam annuam præstationem detrahendam ex reditibus hæreditatis Gisgoni, ut hoc subsidio adiuti, propriis indigentiis occurrere valeant

Sustinent enim, congruum esse, & æquitati consentaneum, ut in partitione legatorum, atque eleemosinarum, quæ pauperibus distribui debent, primario respectus habeatur ad eos, qui Testatori sanguine conjuncti sunt *Cap. Non satis* 14. *dist.* 86., *Rot. coram Duran. decis.* 89. *num.*4. Immo consanguineos pauperes exteris quibusque pauperibus fore præferendos *Barbos in collect. ad Cap. Filius de testam. num.* 21., *Piringh. in lib.* 3. *decret. tit.* 26. *num.* 12. Idque for-

fortius servari debere, si Testatoris dispositio accedat. Claram verò esse dicunt dispositionem Marci Aurelii Gisgoni, qui in distributione fructuum suæ hæreditatis præferri voluit = *Quelli della casa, se ve ne saranno* =; nec pariter ambigi posse de Oratorum conjunctione sanguinis cum Testatore, quia hanc satis resultare putant ex testimonio Archiepiscopi Urbinatensis, & Episcopi Ariminensis; nec pariter deesse paupertatis probationem, & præsertim quoad Nicolaum alterum ex Oratoribus, cum iste nihil possideat, & exercitio artis Sarcinatoris miserrimè vivat, atque ob ejus provectam ætatem & adversam valetudinem alimenta sibi comparare non possit: hinc inferunt, petitam participationem fructuum hæreditatis Gisgoni denegari ipsis minime posse, cum pro illius assecutione requisita omnia a Testatore præscripta verificentur,

Quin obstet relatio Episcopi Ariminensis asserentis, Oratores, utpote de linea transversali, nullimode fuisse a Testatore contemplatos. Respondent enim, in hujusmodi legatis & elemosinarum distributione non solum descendentes, sed omnes de familia compræhensos præsumi, & præferri debere. Idque satis declarasse Summum Pontificem, qui Lucam Alexandri, quamvis ex linea trasversali, ad legati participationem non quidem ex miseratione, sed ex justitia admisit. Multoque minus obyci posse, quod Marianus alter ex Oratoribus domum, ac prædium possideat, & ex Lyræ sonitu lucrum capiat, cum hæc omnia satis non sint ad excludendam paupertatem, de qua Parochus testatur, & quidquid vel ex arte lucratur, vel ex tenui bonorum fructu percipit, non sufficiat ad alimenta sibi, ac Matri, & duabus sororibus comparanda: Maxime quia ære alieno gravatur in summa scut. 950. monetæ Urbinatensis. Denique nihil petitioni officere putat Breve sant. mem. Innocentj XII., atque assignationem fructuum hæreditatis Gisgoni factam pro dotatione puellarum, & pro sustentatione pauperum Invalidarum, cum ejusdem hæreditatis reditus ad annua scuta 1400. pertingant, & demandatæ præstationes minui, vel suspendi possint, ut Oratorum indigentiis aliquali subsidio consultum remaneat.

Episcopus Ariminensis refert, Summum Pontificem, dum Lucæ Alexandri assignavit annuam præstationem scutorum 36., derogasse Brevi san. mem. Innocentj XII., & testamentariæ dispositioni Marci Aurelii: hinc infert, non tam dicti Lucæ vocationem, quam illius egestatem respexisse. Transmittit quoque statum activum, & passivum dictæ hæreditatis, ex quo colligitur, annuos illius sumptus ob onera perpetua eidem adnexa reditus in summa sc. 37. 91. quotanis superare. Ac demum concludit = *Dato etiam per hypothesim prædictos Oratores vocatos esse ad eleemosi,*

mosinas a Marco Aurelio Gisgoni relictas, isti tamen non in capita, sed solum in stirpes computandi viderentur, aliter enim eadem actio competeret octo filiis Lucæ de Alexandris in Pontificio Chirographo nullo loco consideratis, atque alii provemodum innumeri essent, qui ad hoc subsidium concurrere possent in extremum damnum Invalidarum, solumque admitti possent post obitum sexdecim superextantium Invalidarum, quarum aliæ senio confectæ, aliæ oculorum lumine orbatæ, aliæ pedibus incedere ineptæ, omnes aliqua corporis infirmitate laborantes, suis respectivè lectis adscriptę sunt, adeoque ad victum sibi comparandum prorsus inhabiles.

Archiepiscopus Urbinatensis testatur, Oratores cum Marco Aurelio Gisgoni in remoto affinitatis gradu conjunctos esse. Advertit, Nicolaum fortunæ bonis penitus destitutum reperiri, nec usu artis Sarcinatoriæ ob ejus provectam ætatem, alimenta sibi, Uxori, & filiæ comparare posse. Marianum vero quamvis habeat Matrem, & binas sorores, haud tamen egenum dici posse, cum domum, & prædium possideat, & tanquam alicujus nominis Lyristitem victum sibi acquirere valeat. Concludit Lucam Alexandri, qui annuum legatum scut. 36. jam obtinuit, fortunæ bonis esse prorsus destitutum, atque Uxore, & octo filiis gravatum.

Piorum Legatorum distributio iis debetur, qui qualitatibus polleant a Testatore requisitis *Card. de Luc. de jurepatr. disc. 18. num. 3.*, & præsertim si Testori sanguine conjuncti sint *Menoch. de præsumpt. lib. 3. quæst. 54. num. 8.*, *Layman. lib. 1. tract 6. cap. 11. num. 11.* Prælatio vero tribuenda videtur magis indigentibus, quia ubi majus est periculum, ibi celerius est occurrendum *Ventrigl. in prax. part. 2. annot. 28. §. 1. num. 18.*, *Amostaz. de Causis piis lib. 4. num. 17.*. Sane Marcus Aurelius Gisgoni mandavit, ut reditus suæ hæreditatis in pauperum levamen erogarentur, & hos inter præferrentur = *quelli della Casa se ve ne saranno* = Videndum proindè, an Oratoribus aliquo subsidio subveniendum sit, seu potius aliquid obstet, quominus annua, quam petunt, præstatione destituantur.

Nec est prætereunda reflexio, quod SSmus D. N. unius Dotalis subsidii suspensionem, vel aliorum imminutionem induxit, ut Lucæ Alexandri annua scut. 36. præstatione succurreret. Etiam Sac. Congregatio quandoque ex reditibus pro dotium distributione destinatis, mensualem aliquam subministrationem assignavit personis Testatori sanguine conjunctis. Prostat præ cæteris exemplum in *Romana subsidiorum dotalium*, in qua descendentibus a Paulo Paganini alimenta subministrari mandavit ex reditibus pro dotium distributione ab ipso relictis, ut constat ex *thesaur. resol. tom. 36. fol. 143.*. Inspicienda tamen personarum qualitas, & conditio, nec non redituum hæreditariorum

quantitas *Piton. de controv. Patron. alleg.* 32., *Fargn. de Jurepatr. part.* 1. *can.* 3. *cas.* 14. *num.* 15.

Perpensis itaque circumstantiis dijudicandum erit.

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Sess. 24. cap. 12. de Reform.

LAURETANA JUBILATIONIS. Capitulum Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ S. Stephani Oppidi Castri Fidardi duodecim Canonicis constituitur, quos inter connumeratur Sacerdos Nicolaus Bartolini ejusdem Ecclesiæ Præpositus, ac Rector, qui quadragesimum præstiti servitii annum emensus, humiliter supplicavit Sac. huic Congregationi pro obtinendo Jubilationis indulto. Preces remissæ fuerunt Episcopo, ut Capitulum audiret. In Capitularibus autem Comitiis habitis die 10. Augusti 1773., Canonici petitæ Jubilationi obstiterunt, tum quia Orator continuum, ac laudabile servitium Ecclesiæ non præstiterit, *perchè avendo annessa alla Prepositura la Parochia, ha atteso come asseriscono gl'anziani di questo Capitolo ordinariamente al Confessionale solo in tempo di Matutino, terminato il quale partito dalla Chiesa, ed a questa non è più tornato, se non per quel tempo, in cui li Corali erano obbligati al Coro all'ora di terza, Messa cantata, e susseguenti ore, alle quali ritornava al Confessionale, come anche presentemente costuma*, tum etiam quia viribus satis pollet, unde proprio munere adhuc fungi valet. Qua de re necesse fuit dubia proponere sapienti EE. VV. judicio definienda.

Ad I. inquit Præpositus, assueta Sac. Congregationis æquitate inductam esse consuetudinem, ut Canonici, qui quadragenarium, continuum, ac laudabile servitium propriæ Ecclesiæ præstiterint, indulto Jubilationis donentur. Quadragenarium vero servitium laudabiliter expletum satis probari sustinet ex juratis depositionibus Sacristæ Ecclesiæ, Notarii Localis, ac Cancellarii Episcopalis, nec non ex pluribus elogiis, quæ de bene peracto Rectoriæ exercitio occasione Sacrarum Visitationum Episcopus fecit. Præter laudabile servitium accedere etiam senectutem, ac morbum, cum sexagesimum quartum ætatis annum jam agat, assiduasque patiatur nervorum convulsiones, quarum causa pluries sensibus destituitur, prout Medicus, & Chirurgus testantur.

Nec sibi obesse putat Canonicorum dissensum, quia ratio, cui illorum contradictio innititur, aperte repugnat allatis Testium depositionibus, & Episcopi relationi, quæ plurimum

rimùm attendi debet. Ac prӕterea observat, Canonicum, cui animarum cura incumbit, haberi tanquam Choro prӕsentem, dum Sacramentales excipit confessiones, *Bonaccin. disp. 2. quӕst. 5. punct. 3. §. 5. num. 3.* Nec obesse, quod Orator firma adhuc valetudine fruatur, cum pro obtinenda jubilatione quadragenarium laudabile servitium sufficiat, nulla habita ӕtatis, aut valetudinis ratione.

Ad II. sustinet, vigore Indulti jubilationis participem fieri debere de omnibus fructibus, & distributionibus, de quibus alii Canonici participant, cum censeatur Ecclesiӕ adhuc inservire, qui post diuturnum servitium quiescit, Sac. Congregatio in *Viterbien* 2. *Augusti* 1628., in *Romana* 13. *Maii* 1651., & in *Aquipendien.* 13. *Martii* 1697.

Nec rectè opponi aliorum trium Canonicorum exemplum, qui licet jubilationis indultum obtinuerint, nunquam tamen de fallentiis participes facti fuerunt, tam quia jubilationum indulta reportata ab illis fuerunt, priusquam Ecclesia S. Stephani, quӕ simplex erat Sacerdotum Congregatio, in Collegiatam erigeretur, tum etiam quia non constat, Canonicos jubilatos fallentias petiisse, easque a Capitulo fuisse denegatas, quemadmodum ad inducendam consuetudinem requiritur. Nulloque jure adstringi posse confidit ad Coadiutorem sibi constituendum, prout instat Capitulum, ne Chorus Canonicorum numero destituatur, cum pro Chori servitio sufficiant undecim, qui supersunt Canonici, prout alias declaravit Sac. Congregatio, ac præsertim *in Ripana Jubilationis* 29. *Novemb* 1710. *lib.* 60. *Decret.* ubi censuit, Prӕposito concedendum esse Iubilationis indultum, licet Capitulum ex novem tantum Canonicis, comprӕhenso Prӕposito, constitueretur.

Ad III. concludit, Capitularium sumptibus litem peragendam esse attenta irrationabilitate dissensus, ac decreto Episcopi edito die 20. Septemb. 1773., quo Canonicis vetitum fuit, ne Capituli pecunias distraherent in litibus Ecclesiӕ utilitatem non respicientibus. Nec hujusmodi utilitatem desumi posse ab Ecclesiӕ servitio, quod absente Canonico jubilato imminuitur, cum Ecclesia debito cultu destituta dici nequeat, si undecim, seu potius duodecim Canonici Choro intersint.

Ex parte Capituli nihil deductum est, prӕter Capitularem resolutionem Episcopo exhibitam, ab eoque transmissam. Episcopus verò postquam retulit Capitularium dissensum, hӕc subdit = *Fateor sane, Prӕpositum cumulate probare non solum quadragenarium servitium assiduc, & laudabiliter Choro prӕstitum, verum etiam senilem ӕtatem, malamque valetudinem, unde ex jugi Sac. istius Congregationis praxi Jubilationis indultum omnino mereatur.*

Ex

Ex stilo Sac. Congregationis Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum post emensum quadraginta annorum servitium, vacatio a Choro ope Jubilationis indulgeri solet, absque eo quod quidquam de fructibus suarum præbendarum amittant, ut Ecclesiæ Ministri alacriores in suis obeundis muneribus evadant *Fagnan. in cap. licet de præbend. num.* 116., & ne Milites Christi deterioris sint conditionis Militum Principum sæcularium, quibus post emerita servitia requies conceditur *leg. 6. de vacat., & excusat. mun.* Præter quadragenarium servitium requiritur etiam, quod habeat qualitatem continui, & laudabilis, *Ferrarius verb. Canonicus art. 9. num.* 101. *Sac. Congreg. in Lunen. Sarzanen. Jubilationis* 16. *Martii* 1737., *& in Civitatis Castellanæ* 20. *Septembris* 1766. Sed si Canonici deficientia detrimento sit Ecclesiæ, potest ab Episcopo non obstante jubilatione ad servitium revocari. In *Cap. Cum Ad hoc de Cleric. non resid.*, Gregorius IX. Patriarchæ Antiocheno ita scripsit = *Sane innotuit, quod Ecclesia Antiochena, multis ex servitoribus ejus absentibus, est fere destituta ministris: Unde mandamus, quatenus non obstantibus Apostolicis indulgentiis, & prædecessorum tuorum licentia, absentes Canonicos, & Assisos revoces ad residendum in Ecclesia supradicta.*

Inquirendum hinc primo est, an Sacerdos Nicolaus Bartolini Præpositus Ecclesiæ S. Stephani Oppidi Castri Fidardi per annos quadraginta continuò, & laudabiliter dictæ Ecclesiæ inservierit. De Canonico curam Animarum habente in eadem Ecclesia censet *sant. mem. Benedictus XIV. Instit. Eccles.* 107. *num.* 56. tanquam in Choro præsentem habendum esse, dum Fidelium excipit confessiones, & Sacramenta Parochianis ministrat, idque etiam declaravit *Sac. Congreg. in Mediolanen.* 13. *Februarii* 1639. *lib.* 16. *decret.*, *in Tortonen.* 19. *Septembris* 1643. *lib.* 17. *dec. pag.* 230. Videndum proinde ulterius, an Orator, dum a Choro abfuit, distentus revera fuerit ab exercitio Curæ Animarum, Præpositurae ab ipso possessæ inhærente.

Post hæc ponderandum, an Ecclesia Collegiata Castri Fidardi, cui Præpositus, & undecim Canonici inserviunt, congruo servitio destituta remaneat, si Oratori jubilatio indulgeatur. In nonnullis generalibus dubiis jubilationem concernentibus, super quibus Sac. Congregatio fuit requisita, adest IV. ita conceptum = *An indulgenda sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio* 40. *annorum non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Ecclesiæ servitio, & quis sit parvus numerus inservientium in casu &c.* die 17. Decembris 1715. prodiit responsum = *Dabitur resolutio in casibus particularibus* = Tota igitur inspectio pendet a qualitate Ecclesiarum, juxta quam Sac. Congregatio quandoque indultum concessit, quandoque denegavit. In *Civitatis Castellanæ die* 17. *Aprilis* 1666. jubilatio fuit denegata Canonico Eccle-

Ecclesiæ Cathedralis, quia a Capitulo opponebatur, per illius absentiam divinum cultum deficere, licet adessent Præpositus, duodecim Canonici, & duo Beneficiati *lib.* 25. *decret. pag.* 107. Verum in *Ripana jubilationis* 29. *Novembris* 1710. Sac. Congregatio precibus annuit Canonici Cruciani Concetti jubilationem petentis, quamvis Ecclesia novem Canonicos, compræhenso Præposito, numeraret, & opponeretur, quod demptis Ministris Altari inservientibus, atque altero Canonico Organum pulsante, nec non Præposito, qui Confessiones excipere tenebatur, tres tantum Canonici Choro possent interesse.

Hæc quoad primum dubium: Quo vero ad secundum animaduertere præstat, quod Canonici jubilati, licet Choro non intersint, habentur nihilominus tanquam præsentes, eisque debentur distributiones omnes, de quibus participant alii Canonici, atque etiam illæ, quæ ob aliorum absentiam interessentibus accrescunt. *Ferr. verb. Canonicus art.* 9. *num.* 104. Ab hac tamen regula receditur, si Capituli obstent Constitutiones, vel consuetudo adversetur. In *Reatina distributionum* 19 *Aprilis* 1692. propositum fuit dubium = *An Canonico Jubilato vigore indulti jubilationis debeantur distributiones, & fallentiæ Canonicorum absentium etiam si Choro non intersit* = & responsum fuit = *Affirmative dummodo non obstent Constitutiones particulares, & consuetudo Ecclesiæ lib.* 42. *decret. pag.* 117., Rursus in *Aquipendien. Jubilationis* ad III. dubium ita conceptum = *An Canonicus Jubilatus participare possit de distributionibus, quas ponunt in Massa cæteri Canonici, sive ipse sit præsens, sive absens a Choro* die 28. Martii 1697. prodiit resolutio = *Affirmative etiam quoad fallentias, nisi obstet statutum, seu consuetudo lib.* 47. *decret. pag.* 85., *&* 111.

Canonico Jubilato debentur quoque omnia emolumenta Processionum, licet illis non intersit, sic enim decisum fuit in *Romana Jubilationis die* 24. *Martii* 1703., in qua dubio ita concepto = *An Jubilato debeantur emolumenta Processionum, etsi illis non interfuerit* = , Sacra Congregatio respondit = *Affirmativè* = . Item, quamvis absit a Choro, lucratur distributiones omnes, quæ Capitulo obveniunt pro Anniversariis singulis annis persolvendis, dummodo tamen a piis Fundatoribus aliter dispositum non reperiatur, & istiusmodi distributiones inter præsentes dumtaxat partiri debeant. In *Novarien.* discusso dubio = *An duo Canonici jubilati Collegiatæ S. Gaudentii Civitatis Novariæ frui deberent emolumentis Anniversariorum, quæ fiunt infra annum, licet non assisterent* = die 2. Octobris 1677. definitum fuit = *Affirmativè* = . Cumque iterum de viribus istius resolutionis actum fuerit in Sac. Congregatione die 29. Novembris 1681. prodiit rescriptum = *In decisis quoad Anniversaria fixa, & in quibus non est cautum a Testatoribus,*

ut

ut intercessentes tantum participare deberent = *lib. 32. decret. fol.44.* Demum quoad litis expensas animadvertere præstat, quod eæ fieri non possunt ex pecuniis ad communem Capituli massam pertinentibus, quando lis Ecclesiæ utilitatem non respicit *Rot.decis.263. num. 1. & sequen. coram Ludovisio*, & pluries Sac. Congregatio, præsertim in *Montis Falisci Expensarum Litis die 20.Augusti, & Viterbien. Expensarum Litis die 17.Decembris anni 1768*

His sedulo animadversis, dignabuntur Eminentissimi PP. definire

I. *An sit concedenda Jubilatio, in casu &c.*

Et quatenus Affirmativè

II. *An Præpositus Bartolini vigore Indulti Jubilationis, si Choro non intersit participare debeat de punctaturis, seu fallentiis, in casu &c.*

III. *An expensæ litis, de qua agitur, fieri debeant a Capitulo ex pecuniis Massæ Capitularis, in casu &c.*

Sess.25.cap.5. de Reform.

NOVARIEN. Testamentum condidit Carolus Antonius Salio, quo hæredem ex asse instituit Monasterium Sanctæ Ursulæ Oppidi Varalli, & præter plura satisfacienda onera, distribui singulis annis mandavit bina dotalia subsidia librarum imperialium centum pro quolibet, nec non duas Missas in designata Ecclesia S. Ursulæ in unaquaque hebdomada celebrari præcepit. Anno 1665. Monasterii tunc temporis Deputati hæreditatem adierunt cum beneficio Legis, & Inventarii, compertusque fuit status hæreditarius in summa librarum 10800. Detractis proinde libris 3604. tum pro expensis funeris, & ultimæ infirmitatis, tum pro restauratione cujusdam Domus ad eandem hæreditatem spectantis, tùm etiam pro legato Testatoris Nepoti persoluto, supererant tantummodo libræ imperiales 7196., quarum fructus deductis expensis vix ad libras 236. pertingebat.

Quam-

Quamvis Deputati injuncta onera adimplere non prætermiserint, nihilominus decursu temporis agnoverunt grave, quod Monasterium subierat damnum, cum ad subeunda onera impares omninò reditus deprehenderentur. Quare Sanctissimo Domino Nostro supplicarunt, ut ob redituum hæreditariorum defectum cessationem, seu deletionem subsidiorum dotalium demandare dignaretur. Ablegatæ fuerunt preces Sacræ huic Congregationi, quæ Episcopi relationem exquisivit, præsertim super *præciso statu hæreditario*, quo Monasterii Deputati modò innituntur, ut deletionem injuncti oneris distributionis subsidiorum dotalium assequantur.

Siquidem advertunt, pro onerum implemento singulis annis summam requiri librarum 304., cum tamen ex hæreditariis reditibus vix, ac ne vix quidem libræ 236. retrahantur. Hac proinde de causa sustinent, non leve Monasterium præterito tempore damnum subiisse, cum ex firmatione status totius hæreditatis, ductoque calculo redituum, & expensarum resultet, perceptas huc usque fuisse lib. 25252., pro adimplendis verò oneribus expensas subiisse in quantitate librarum 37378., atque idcircò concludunt, summam librarum 12126. Monasterium de proprio erogasse.

Æquitati autem congruum esse dicunt, ut indulgeatur petitioni Monasterii, quod magnis non abundat reditibus, sed tenui tantùm fortuna regitur, cum ultra vires hæreditarias prægravari non debeat, & si reditùum deficientia Testatori innotuisset, deletioni subsidiorum dotalium & ipse consensisset *Constantin. vot. decis.* 262. *num.* 11. *&* 12. *tom.*3., *Rot. in Recent. decis.*245. *num.* 18. *& seq. part.* 17.. Accedere etiam petitionis justitiam, cum hæreditas adita a Monasterio fuerit cum beneficio Legis, & Inventarii, cujus vigore sicuti quælibet actionum, ac bonorum commixtio excluditur, ita Monasterium adigi non debet ad ea onera subeunda, quæ reditus hæreditarios excedunt *Leg. final. ff. Etsi præfatam Cod. de jur. deliber.*, *Rot. decis.*39. *num.*10. *&* 11., *ac decis.* 181. *num.*1. *part.*6. *Recent.*

Episcopus rem totam sapienti EE.VV. judicio submittit, & de Monasterio asserit = *Collegium dictarum Virginum tenuioris esse fortunæ, ac proindè ubi justitia, & gratia patiantur, pro singulari gratia habebitur, si benigniter illarum preces excipiantur.*

Redituum deficientia justam præbet causam onerum reductioni *Bened. XIV. de Synodo Diœces. lib.*13. *cap. ultim. n.*28. & Sac. Congregatio in *Romana reductionis* 7. *Februarii* 1736. In reducendis tamen oneribus serio perscrutanda est tum illorum qualitas, & natura, tum etiam Testatoris dispositio. Inquirendum in præsenti casu, an revera constet de legitima firmatione status hæreditatis Caroli An-

tonii Salio, & an ex ea redituum defectus resultet, ut decerni valeat.

An sit locus cessationi subsidiorum dotalium relictorum a quondam Carolo Antonio Salio, in casu &c.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

HYDRUNTINA IRREGULARITATIS. Homo quidam nomine Leonardus Conoci die 9. Augusti 1766. invenit in puteo aqua fere pleno Infantem demortuam, & laneis pannis involutam. Delata hujus rei notitia ad Curiam Laicalem Terræ Martani, statim ad Cadaveris inspectionem deventum est. Rumor inde exarsit, quod Maria Zacheo utero gravis ex prava consuetudine cum Diacono Joanne Dominico Durante Infantem peperisset, eamque in puteum ambo dejecissent. Hinc Mulier in carcerem detrusa fuit, Diaconus verò aufugit: Qua de re Vicarius Generalis Hydruntinus in ipsum inquisivit. Subjecti primum fuerunt examini duo Medici, & binæ Obstetrices, quæ Infantem inviserant, & affirmarunt = *Che a terra ravvolta in certi panni di lana vi era una Creatura morta, e detta Creatura era di sesso feminile con tutti i suoi membri, nata di alcuni giorni prima, senza sapere, se fosse nata, o nò al giusto tempo delle nove Lune, ed osservammo, che la detta Creatura teneva tutto il capo, e la faccia annegrita, ed una lividura nel petto piccola, tutto il rimanente del corpo poi di detta Creatura bianco nella carnagione, e gonfio, e passata circa mezz'ora ci portammo nuovamente a riconoscere la detta Creatura, la quale ritrovammo più gonfia di prima, anzi che tutta illividita, e si andava a putrefarsi: Laonde giudicammo, che la sudetta Creatura, o fosse morta per essere stata ravvolta nelli sudetti panni di lana con aver perduto lo respiro in essi, e buttata nella sudetta Cisterna, o che fosse morta nell'atto del parto, perche difficoltoso.*

Examinati præterea fuerunt quatuor supra decem Testes, quos inter Victoria Campana, quæ testata est de inhonesta vita ejusdem Mariæ Zacheo, & Diaconi Durante, ac præterea deposuit, palam in Oppido Martani dictitari, quod Infans in puteo reperta = *Era stata partorita da Maria Zacheo, quella appunto, che io sapevo gravida, e che avevo veduto sgravata nel prossimo passato mese di Luglio. Sò ancora, che la detta*

detta Zacheo è stata ingravidata dal Diacono Giovan Domenico Durante di questa predetta Terra, il quale da malti anni hà tenuto prattica disonesta con la medesima, ed io, che abbito nello stesso vicinato, hò veduto lo detto Diacono entrare in Casa di detta Maria di giorno, e di ogni ora, e chiudersi da solo a sola in Casa senza ritengo, e senza rossore, per cui hà recato continui scandali, e mormorazioni una tal prattica invecchiata = Affirmarunt insuper Testes, quod Reus homicidii = *Non può sapersi con certezza, però si è giudicato da tutti, che sia stata buttata la detta Creatura dal sudetto Diacono Durante ben capace per la sua rilasciata coscienza di questo, ed altro . . . . . E la fuga del sudetto Diacono subito che fù ritrovata morta la d. Creatura, hà fatto giudicare tutti, e credere egli l'omicida della medesima* =

Omnes in id Testes convenerunt, & præsertim Leonarda Verrì addidit = *Che la detta Maria con la propria sua bocca mi disse un giorno di questa settimana, quando andai a visitarla nel Carcere, ove trovasi carcerata per dar conto di detta Creatura, che essa nella stessa notte, in cui partorì, aveva consegnato la Creatura nata in mano di detto Diacono viva, e che non aveva veruna colpa all'infanticidio. Laonde non difficulto, che l'omicida di detto Infante sia stato il detto Diacono capace ben vero di altri eccessi . . . . per essere lo stesso pieno di ogni vizio, e reputato da tutti abbandonato da Dio, ed incapace di correzzione* = Verum anno 1772. eadem Leonarda in exonerationem propriæ conscientiæ apud acta Curiæ Laicalis Martani declaravit = *Che mai fù avanti alle Carceri, nelle quali stava trattennta Maria Zaccheo, e mai con la medesima ebbe colloquio, o discorsi sù di tal fatto, ed unicamente tutto ciò depose perche imboccatoli dalli Sacerdoti D. Nicola Spano, D. Angelo Antonaci, e Magnifico Francesco Spano, li quali perche nemici di detto Diacono, e suoi Domestici.*

Recepta pariter fuit depositio ipsius Diaconi, qui asseruit, nunquam cum eadem Maria allocutum fuisse, nec ad ejus Domum accessisse, negavitque copulam, & infanticidium. Compilato demum processu Diaconus Durante defensionibus renunciavit, & Vicarius Generalis suam edidit sententiam, qua die 23. Decembris 1761. ita pronunciavit = *Visis informatione capta contra Diaconum Joannem Dominicum Durante Terræ Martani pro prattica carnali inhoneste, & publice per eum habita cum Maria Zaccheo, & infanticidium in fœtum projectum in Cisternam sistentem in Viridario Leonardi Conoci . . . . . . cæterisque actis omnibus bene visis, matureque perpensis, decrevit, dictum Diaconum Durante fore, & esse condemnandum, prout condemnamus ad exulandum a Terra præfata, locisque convicinis viginti milliaribus per annos quatuor, & ad non amplius conversandum cum prædicta Maria* = Sententiæ acquievit Diaconus, & per quindecim

 dies

dies spiritualibus exercitiis vacavit in Cœnobio Capuccinorum Terræ Galeatonis, indeque sese recepit in Conventum Patrum Excalceatorum S. Petri de Alcantara Terræ Parabitæ, ubi per plures menses vitam regulari instituto conformem duxit, ac deinde in Patriam reversus assiduum in Ecclesiæ servitio se præbuit, sæpissime Sacramenta frequentavit, & immutatæ vitæ non obscura præbuit argumenta. Elapsis jam pluribus annis cupiens ad Presbyteratus Ordinem promoveri, suum Ordinarium adivit, verum dubius Archiepiscopus de contracta a Diacono irregularitate suasit, ut Apostolicam Sedem pro declaratione adiret. Quare dispensationem ad cautelam humiliter efflagitat.

Qui Diaconi causam tuetur, sustinet, irregularitatem, quæ oritur ex delicto, nunquam incurri, nisi delictum præcesserit *Cap. Ad audientiam* 12. *de Homicidio vol., vel casual.* Nullum autem ab eodem Diacono commissum fuisse delictum, cum infanticidium, quod ei impingitur, ex probationum defectu excludatur. Advertit enim, fœtum a libera Muliere procreatum in dubio semper mortuum ante nativitatem præsumi, cum hujusmodi Mulierculæ ne utero graves videantur, multa agere soleant ad procurandum abortum *Dolf. allegat.* 129. *num.* 23., *Grivel. decis.* 19. *num.* 15. & 16. Nec quemquam infanticidii reum declarari posse, nisi de infantis vita certa habeatur scientia, & de violento interitu indubia resultet probatio *Gloss. in Leg. Proinde ff. ad legem Aquiliam*, *Gargiar. consil.* 11. *num.* 2. *lib.* 2. Has vero probationes penitus deesse contendit, cum nullus Testis fiscalis afferat, Infantem vivum aspexisse, vel Diaconum Durante per Oppidum cum Infante incedentem, aut in Parturientis domo commorantem deprehendisse: hinc infert, ab impicto infanticidii crimine immunem esse, ac propterea nulla irregularitatis nota irretitum. Quin obstet projectio ejusdem Infantis in puteum, vel signa vulgò *lividure* in illius facie inventæ, cum Infantuli in Cisternam dejectio nullum sequuti homicidii certum indicium constituat *Dolf. alleg.* 130. *num.* 2., & istiusmodi signa, ut plurimum procedant vel ex defatigatione Parturientis, vel ex morte in utero secuta, vel ex lapsu Infantis in terram, dum nascitur *Galen. in Hippocrat. aphor.* 1. *Mercurial. de morbo puer.*, *Grivel. dec.* 19. *num.* 24.

Addit, methodum ab Archiepiscopali Curia Hydruntina servatam, dum causam Diaconi cognovit, omnem irregularitatis notam penitus excludere. Observat enim, contra infanticidas pœnam mortis statutam esse, *Carpzov. prax. crimin. par.* 1. *quæst.* 9. *num.* 2 *Raynald. vot. crimin.* 133. *Thesaur. dec.* 13. *num.* 1.: Hanc vero pœnam non subiisse ipsum Durante, solumque damnatum fuisse ad exulandum per qua-

tuor

tuor annos a Patria, eique interdictam conversationem cum Maria Zaccheo; unde arguit, nullam Vicario Generali exhibitam fuisse probationem, ex qua resultare posset, Infantis mortem opera, aut consilio Diaconi fuisse secutam. Concludit propterea, vel ipsum in irregularitatem non incidisse, vel absolutionem ad cautelam non esse denegandam *Gonzal in cap. Significasti num.6. de homicidio*, *Antonell. de Regim.Eccles.lib.*8.*cap.*3.*num.*5.

Nec contractam a Diacono præsumi irregularitatem vel ob pravam ejus consuetudinem cum fœmina Zaccheo, vel ex passa exilii sententia, cum irregularitas ex infamia in eo solum casu contracta censeatur, quo pœna inflicta fuerit propter delictum infamiam irrogans *Raynald. observat. crimin. tom.*1. *cap.*8. §.1.*num.* 13., *Ursay. Instit. crimin. lib.*4. *tit.*5. *num.*144.. Hujusmodi verò haud esse existimat pravam cum inhonestis fœminis consuetudinem, quia licet ea de causa ab Altaris ministerio Sacerdos arceri debeat, nulla tamen a Sacris Canonibus irregularitatis pœna inflicta noscitur *Cap. Et si Clerici* §. *De Adulter.*, *Cap. Significavit* 5. *de Adult. & Stupr.*. Solumque Concilium Tridentinum in Clericos fornicarios suspensionis pœnam indixisse, & Episcoporum arbitrio reliquisse eosdem Clericos ad primæva jura restituere, si ad meliorem frugem fuissent reversi *Concil.Trident. sess.*25. *cap.* 14. *de reformat.*. De pœnitentia verò peracta a Diacono Durante, ejusque immutata vivendi ratione, dubitari non posse, cum proprii Ordinarii testimonio probetur, cujus judicio deferendum est. Cæterum observat, quod si Diaconus Durante ob pravam, & inhonestam consuetudinem cum Maria Zaccheo aliquam infamiam contraxit, illam penitus delevit, semel ac inflictam pœnam ultro, libenterque subiit, & indubia dedit resipiscentiæ signa *Passarin. de elect. cap.*25.*num.*582., *Barbos. de offic. & potest. Episc. part.* 2. *alleg.*43. *num.*23.

Archiepiscopus refert, ex processu Causæ minime compertum esse, Diaconum, aut quemcumque alium ejus jussu, opera, vel consilio projecisse Infantem in Cisternam, & idcirco fuisse tantummodo condemnatum àd exulandum per quatuor annos a sua Patria, & ad amplius non conversandum cum Maria Zaccheo, neque idcirco declarari potuisse, eundem Diaconum in irregularitatem incurrisse. Testatur quoque, ipsum per quindecim dies spiritualibus exercitiis vacasse in Cœnobio Capuccinorum Terræ Galeatonis, ac per plures menses commorasse penes Patres Alcantaritas Terræ Parabitæ., & expleta exilii pœna in patriam reversum Sacramenta frequentasse, Ecclesiæ inservisse, & Diaconatus Ordinem in Ecclesiasticis functionibus exercuisse, nullum præterea scandalum præbuisse, sed potius ædifica-

cationi, & exemplo toti populo fuisse. Votum demum aperiens inquit = *Quapropter dignum censeo, ut ab irregularitate forsan incursa ad cautelam dispensatio concedatur ad effectum obtinendi Sacrum Presbyteratus Ordinem*.

Homicidas humano sanguine pollutos ab Altaris ministerio perpetuò arcendos, statuitur in *lib.* 1. *Exodi* his verbis = *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo avellas*. Et Alexan. III. in *C. De cætero de homicid.* scribens Lucensi Episcopo jussit, quod si Diaconus homicidio caüsam dederit, nunquam ad Sacerdotium promoveri posset. Quando autem res est de homicidio dubio, quæritur inter Theologos, & Canonistas quid de irregularitate sentiendum. Verior videtur opinio pro exclusione irregularitatis, quia pœna statuta pro delicto certo non incurritur pro delicto dubio *Fagnan. in cap. Ad audientiam de homicid. num.*3. De irregularitate etiam in dubio viden. resolutiones Sacræ Congregationis in *Caputaquen.* 24. *Martii* 1725., *in Guatimalana* 14. *Maii* 1729., *& in Beneventana* 18. *Novembris* 1769. Inquirendum, an ex testium depositionibus superius relatis infanticidium a Diacono commissum resultet.

Non solum ex homicidio, sed etiam ex infamia contrahitur irregularitas, cujus causa infames ab Ordinum susceptione arcentur. Qui autem dicantùr infamia notati, habetur ex *Cap. Infames* 6. *quæst.* 1. *caus.* 6. ibi = *Infames esse eas personas dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, idest omnes, qui Christianæ legis normam abjiciunt, & Statuta Ecclesiastica contemnunt. . . . similiter incestuosos, homicidas, perjuros, raptores, maleficos, veneficos, adulteros, ... hi omnes inquam, nec ad Sacros gradus debent provehi* = ; Verum si hujusmodi crimina notoria non fuerint, vel ordine judiciario minime probata, permitti potest Clericis post peractam pœnitentiam in susceptis Ordinibus ministrare. Nam *in cap. ultim. de tempor. ordin.* habetur = *Si proposita crimina, ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) post pænitentiam in jam susceptis, vel suscipiendis Ordinibus impediri* = Orator post sententiam Vicarii Generalis Hydruntini statutam pœnam subiit, reversus inde in patriam, assiduum in Ecclesiæ servitio se præbuit, & resipiscentiæ signa dedit, quemadmodum Archiepiscopus testatur. Videndum proinde, an omnem maculam absterserit, ut petitam dispensationem mereatur.

Viderint Eminentissimi Patres

An, & quomodo sit locus dispensationi, in casu &c.

IN-

INTERAMNEN. CELEBRATIONIS MISSARUM. Anno 1761. Angelus Antonius Barletti per publicum Instrumentum Patrimonium Sacrum constituit Clerico Joanni Baptistæ Agostinangeli annui reditus scutorum 65. *col peso della Messa quotidiana in suffragio della propria Anima da celebrarsi, o farsi celebrare dal detto Chierico, dovunque a questo parerà, e piacerà.*

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

In Testamento autem anni 1765. Missæ quotidianæ celebrationem indixit in Ecclesia S. Luciæ ejusdem Civitatis. Hujusmodi testamentariam dispositionem, utpote a priori Instrumento difformem, ægre tulit Clericus Joannes Baptista Agostinangeli, qui supplex a Sac.Congregatione declarari supplicat, liberum sibi esse Missas ubilibet celebrare.

Inquit enim, ex publico, solemnique Instrumento satis resultare, omnimodam sibi tributam fuisse facultatem in quacumque Ecclesia pro libito celebrandi. Neque hujusmodi libertatem in testamento coerceri potuisse, tum quia post perfectum vigore instrumenti contractum, vetitum erat absque utriusque contrahentis consensu novas leges, novasque conditiones adjicere *Leg. Perfecta Cod. de donat. quæ sub modo, & Leg. Quamvis Cod. de Transaction.*, tum etiam quia jus sibi ex Instrumento quæsitum nullatenus per testamentum posterius auferri poterat *Leg. fin. ff. de Pactis, Gomez variar. resolut. tit. de Fideicomm. num.* 18.

Observat ulterius, libertatem ubilibet celebrandi concessam sibi fuisse in correspectivitatem injuncti oneris quotidianæ celebrationis, atque idcirco quemadmodum viget onus, ita etiam subsistere debeat libertas *Leg. 1. §. fin. ff. de locat., Leg. fin. ff. de solut., Rot. decis. 428. num. 7. part. 1. Recent.*. Nec obesse Episcopi sententiam asserentis, facultatem impertiri posse ex rationabilibus tamen causis a se qualibet vice cognoscendis, tum quia non potest Ordinarius novas leges in fundatione non expressas superimponere, tum etiam quia nullo jure Orator obstrictum se putat ad hujusmodi onus subeundum, & ab Episcopo quasi ex gratia postulandum, quod sibi ex justitia competere existimat.

Episcopus Oratorem voti compotem fieri posse censet *rationabilibus tamen concurrentibus causis singulis vicibus ab Ordinario approbandis.*

Certum in jure est, ad perfectionem contractus sufficere publicum Instrumentum mutuo contrahentium consensu stipulatum *Rot. in Rec. dec. 113. n. 11. par. 8., & cor. Molines decis. 1152. num. 11. tom. 5.*. Contractus autem perfectus novas conditiones recipere nequit, altero invito Contrahente. *Leg. fin. ff. de Pactis, Rot. coram Falconer. de Miscellan. decis. 32. num. 2.*, ne scilicet lædatur jus quæsitum al-

alteri ex contrahentibus, in cujus præjudicium contractus variatio non permittitur. *Rot. decis.* 316. *num.* 28. *part.* 10. *Recent.* In præsenti casu dubitari nequit de libertate ubilibet Missas celebrandi concessa Sacerdoti Joanni Baptistæ Agostinangeli in Instrumento constitutionis Patrimonii. Inquirendum tamen, an hujusmodi libertas coerceri potuerit in posteriori testamento, & an contractus Patrimonii potius constitutionem, quam Missarum onus, & locum celebrationis respiciat.

Quæritur

An Sacerdos Joannes Baptista Agostinangeli celebrare possit Missas in qualibet sibi benevisa Ecclesia, seu potius illas celebrare teneatur in Ecclesia Sanctæ Luciæ Civitatis Interamnæ, in casu, &c.

Die

Die Sabbati 9. Julii 1774. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

DE causis priori loco relatis differit folium præcedentis Congregationis, quod opportunè resumi poterit: De aliis verò in præsenti folio expositis Emi PP. dijudicabunt.

REATINA CAPELLANIÆ. *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

I. *An sit standum vel recedendum a decisis quoad primum, & secundum dubium in casu &c.*

II. *An Beneficium, seu Capellania, de qua agitur, sit adjudicanda Clerico Gaudentio Leonori in casu &c.*

Ad I. In decisis, & amplius.
Ad II. Iterum proponatur.

URBINATEN., SEU ARIMINEN. *Sess. 22. cap. 6. de Reform.*

An, & quomodo Oratorum precibus sit annuendum in casu &c.

Consulendum SSmo pro applicatione annuorum scutorum 18. detrahen. ex subsidiis dotalibus favore Nicolai tantùm, In reliquis Negative.

LAURETANA JUBILATIONIS. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

I. *An sit concedenda Jubilatio, in casu &c.*
Et quatenus Affirmativè

II. *An Præpositus Bartolini vigore Indulti Jubilationis, si Choro non intersit, participare debeat de punctaturis, seu fallentiis, in casu &c.*

III. *An expensæ litis, de qua agitur, fieri debeant a Capitulo ex pecuniis Massæ Capitularis, in casu &c.*

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

NOVARIEN.

An sit locus cessationi subsidiorum dotalium relictorum a quondam Carolo Antonio Salio, in casu &c.

Non proposita cum reliquis.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

HYDRUNTINA IRREGULARITATIS.

An, & quomodo sit locus dispensationi, in casu &c.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

INTERAMNEN. CELEBRATIONIS MISSARUM.

An Sacerdos Joannes Baptista Agostinangeli celebrare possit Missas in qualibet sibi benevisa Ecclesia, seu potius illas celebrare teneatur in Ecclesia Sanctæ Luciæ Civitatis Interamnæ, in casu &c.

Sess. 13. cap. 5. de Reform.

PERUSINA CAPELLANIÆ. Contendebant inter se Sacerdos Jacobus Bacci, & Clericus Paulus Ughi pro assequenda Capellania, quam in Ecclesia Divi Francisci de Assisio in districtu Castri Plani pius Sacerdos Franciscus Ughi instituerat. Uterque suam proximioritatem, & conjunctionem sanguinis cum Fundatore jactabat, sed unusquisque prælationem sibi debitam esse existimabat, Sacerdos nempè Jacobus uti magis idoneus, & qualificatus, Clericus verò Paulus tanquam a Patrono nominatus. Dum quæstio agebatur in Curia Episcopali Perusiæ, Clericus Paulus veniam ætatis a Dataria Apostolica postulavit; Restitit tamen Sacerdos Jacobus, undè controversiæ definitio Sac. huic Congregationi fuit delegata.

Exposita causa fuerat in folio diei 14. *Maii* proximè præteriti, sed in sequenti Congregatione die 11. *Junii*, quo resolutio imminebat, Clericus Paulus dilationem petiit ad sua jura deducenda, & Emi PP. petitioni benignè annuentes, causam in hodierna Congregatione proponi mandarunt. Itaque imperio EE. VV. denuò proponitur dubium in calce transcriptum, cumque ex parte Clerici Pauli nihil hactenus deductum fuerit, superest, ut resumpto priori folio definiant.

An sit relaxanda supplicatio, & respectivè concedenda dispensatio in casu &c.

Sess. 22. cap. 6., & Sess. 25. cap. 5. de Reform.

MELITEN. PERMUTATIONIS. In Parochiali Ecclesia Casalis Tarxen duo erecta sunt Laicorum Sodalitia. Unum sub titulo SSmi Crucifixi Agonizantis initio currentis sæculi Episcopi auctoritate institutum in magno Sacello, quod in dextero Ecclesiæ latere existit; & pro

con

constructione Altaris, & Crucifixi imagine ibidem collocanda non solum Sodalitium pecunias erogavit, sed pius etiam Vir Josephus Valerius Abela certam summam legati titulo reliquit. Alterum sub invocatione B. Virginis Rosarii vetustiorem ducit originem, & habet Altare in parvo ejusdem Ecclesiæ Sacello, quod extat in sinistro interiori latere majoris Capellæ. Utrumque Sodalitium in proprio Altari retroactis temporibus Christianæ pietatis officia exercuit, quin jurgia, aut dissentiones exortæ unquam fuerint.

Anno 1769. utriusque Sodalitii Procuratores agere inter se cœperunt de permutando invicem Altari, & supplices adierunt Vicarium tunc temporis Capitularem, qui decretum pro petita permutatione edidit. Hujusce decreti exequutio præpedita fuit ob recursum habitum a Sodalibus SSmi Crucifixi, cuius causa idem Vicarius Capitularis mandavit, nihil innovari usque ad novam provisionem. Post hæc appellationem a priori decreto interposuere Sodales SSmi Crucifixi, & prævio Monitorio manutentionem in possessione proprii Sacelli postularunt. Cum tamen utriusque Sodalitii Priores supplicem SSmo Domino Nostro libellum exhibuerint, quo Pontificiam implorarunt auctoritatem, ut permutatio exequeretur, idcircò ab Emo Cardinali Pro-Auditore cognitio causæ una cum monitorio Sac huic Congregationi fuit delegata. Hinc tacentibus adhuc Sodalibus Confraternitatis Rosarii, dubium in calce transcriptum resolvendum proponitur.

Itaque Sodales SSmi Crucifixi, qui pro definitione instant, reiiciendos sustinent a limine judicii Procuratores, qui Sodalitiorum translationem, & Altarium permutationem efflagitarunt, cum non exhibeant Confratrum mandatum, atque idcircò tanquam illegitimi contradictores habendi sint *Innoc. in cap. Ex insinuatione de Procurat.*, *Rot. decis.* 2844. *num.*1. *coram Coccin.* Afferunt, Procuratoribus Confraternitatum, aliorumque Collegiorum liberum non esse de illorum bonis pro libito disponere *Cap. Sine exceptione*, *& Cap. Tua de his, quæ fiunt a Prælat.*, *Rot. decis.* 594. *num.*5. *cor. Molin.* Maximè cum res sit de permutatione, quæ species est alienationis *leg. si ei*, *& leg. seq. ff. de jur. dot.*, *Leg. si Mulier ff. de pact. dotal.* proindeque ad legitimè permutandum, quemadmodum ad validè alienandum, omnes requiri affirmant sollemnitates a jure præscriptas, scilicet discussionem causæ, consensum majoris partis, & S. Sedis adprobationem *Cap. Tua de his, quæ fiunt a Prælatis*, *Cap. Ut super de reb. Eccles. non alien.*, *Cap. sine exceptione* 52. *caus.* 12. *quæst.* 2. Deficere autem contendunt in præsenti casu liberum Sodalium consensum; & licet Sodales Rosarii assentirentur, nihilominus ob solum dissensum Sodalium SSmi Crucifixi sustineri non posse contra-

ctum, qui mutuo contrahentium consensu perfici debet. Alienum autem esse a veritate, quod unicus sit contradictor Sacerdos Ellul, cum ex opposito constet, quamplures ex Sodalibus permutationi contradicere, & Procuræ mandatum subscripsisse.

Inquiunt, nequaquam fore necessariam permutationem ad augendam Fidelium devotionem erga B. Virginem Rosarii, cum ad hæc usque tempora Sodalitium omnia pietatis officia expleverit in proprio Sacello, quin scandala exorta unquam fuerint, quæ tamen timeri etiam imposterum possent, licet in ampliori loco ea peragerentur. Cæterùm observant, quod etsì ex magno Populi concursu in angusto Sacello SSmi Rosarii mala obventura prævideantur, non tamen adigi possent Sodales SSmi Crucifixi ad consentiendum proprii Altaris cessioni, cum Sodales Rosarii vel aliud Altare construere valeant, vel obtenta a Parocho venia in majori Ecclesiæ Altari Sacras functiones peragere; atque hisce ordinariis remediis provideri possit, absque eo quod ad extraordinarium coactivæ permutationis remedium sit confugiendum *leg. in causæ cognitione* 17. *ff. de Minor.*, *Rot. decis.* 484. *num.* 16. *part.* 19. *tom.*2. *Recen.* Addunt, ad coactam permutationem, utpotè alterius juris læsivam, deveniri non posse, etiamsì consuetudo adesset in Diæcesi, ut in peramplis Sacellis Sodalitia Rosarii, alia verò in magis angustis convenirent, cum tamen hujusmodi consuetudo non verificetur, sed immò contraria probetur.

Nullimodè verò Sodalibus Rosarii profuturam existimant promissionem in precibus expositam impendendi de proprio quidquid ad explendam permutationem requireretur. Siquidem hujusmodi promissionem despiciendam omninò fore putant, quoties in contractu permutationis, qui assimilatur contractui emptionis, & venditionis, aliud requisitum non concurrat, ut scilicet tantum recipi debeat, quantum traditur, quod quidem in quolibet contractu justitiæ convenit, & præcipuè servari debet in permutationibus, quæ inter Ecclesias fiunt *Fagnan. in Cap. Nulli num.* 34. *de reb. Eccles. non alien.*, *Rot. in Compostellana permutationis* 7. *Junii* 1748. §. 7. *coram Vicecomite*. Advertunt, in præsenti casu cedi debere a Sodalitio SSmi Crucifixi peramplum Sacellum, ut perexiguum Altare recipiat; atque hinc læsionem enormissimam intercedere, attento præsertim valore Capellæ SSmi Crucifixi, quæ triplo, & ultra excedit pretium parvæ Aræ B. Virginis de Rosario *Rot. coram Falconer. in Miscellan. decis.* 89. *n.*23., *& coram Ansald. decis.* 122. *num.*20., unde etiam ex capite læsionis non sustineri permutationem Ecclesiæ præjudicialem *Rot. in citat. Compostellana* §. 9. *in fin.*

Accedere, quod in Altari SSmi Crucifixi extat tabula marmorea Redemptoris è Cruce pendentis imaginem præse-

fe-

ferens non sine gravi sumptu a Sodalibus empta, eoque in Altari collocata. Hanc verò tabulam minus apte in angustiori Altari collocari posse, proindèque aut omninò amitti, aut minus decenter alio in loco constitui debere. Hujusmodi autem circumstantiam tanti ponderis esse dicunt, ut admissa etiam permutationis necessitate, permitti nihilominus non deberet ob præjudicium Ecclesiæ obventurum *Piton. discept. Eccles. 96. num. 7.*, *Rot. in citat. Compostellana §. 11.*

Ex parte Priorum utriusque Sodalitii, qui supplicem libellum porrexerunt, nihil hactenus deductum est. Verum in eo exposuerunt, ipsorum preces oriri ex zelo augendæ devotionis, & avertendæ irreverentiæ, quæ ex magno Populi concursu in angustum locum timeri posset, eorumque petitionem conformem esse universali consuetudini Ecclesiarum totius Insulæ Melitensis ac desiderio Cleri, Populi, & Confratrum utriusque Sodalitii. Retulerunt insuper, nullum Sodalitio Sanctissimi Crucifixi præjudicium afferri, hinc contrariam oppositionem fore omnino despiciendam, præsertim quia sub generico Confratrum nomine unus Sacerdos Raphael Ellul sit contradictor, absque eo quod ullo fungatur officio, cujus virtute facultatem habeat assumendi Societatis nomen.

Episcopus postquam narravit ea omnia, quæ coram ipso gesta sunt, hæc habet = *Ego quidem audivi competitores, & eorum motiva reciproca, & etiam eorum Defensores. Cum autem perpendissem, quod attestationes productæ per Sacerdotem Raphaelem Ellul nomine prædicto sunt a publico Notario recognitæ, ac verificatæ, nequaquam autem aliæ attestationes per Sacerdotem Thomam Ellul, & Angelum Zammit exhibitæ, arbitror idcirco, ut utræque Partes concertantes contentæ esse debeant de eorum respectivis Altaribus sitis ut antea in loco, in quo adhuc existunt.*

Alienationes bonorum Confraternitatum, quæ auctoritate Episcopi erectæ sunt, permitti sine sollemnitatibus non possunt, iisdemque legibus, quibus Ecclesiarum bona, subjacent, ut latè ponderat *Bassus de Sodalit. quæst. 6. num. 1.*. Permutationes proinde aut in præjudicium Ecclesiæ, aut sine causa fieri omnino prohibentur *Cap. Precariæ in fin. 10. quæst. 3.*, *Cap. Diaconi*, & *Cap. Sine exceptione 12. quæst. 2.*. Perpendendum idcirco, an exequutionem mereatur contractus permutationis a Procuratoribus utriusque Sodalitatis gestus; an cum legitimo Procuræ mandato; an sub reservatione Beneplaciti Apostolici exaratus fuerit, prout requiri existimat *Barbos. de offic., & potest. Episcop. part. 3. allegat. 95. num. 57.*; & demum an vacante Sede Episcopali, Vicarii Capitularis auctoritas pro illius perfectione sufficeret.

Quoniam verò ratio postulat, ut quæ benè constituta sunt, con-

contrariis ordinationibus non irritentur, recte idcirco dispositum est, ut nonnisi accedente justa, & necessaria causa, ac de suprema Romani Pontificis auctoritate voluntatum commutationes fiant *Concil. Trident. sess.* 22. *cap.* 6. *de Reform.*, *Rot. dec.* 49. *num.* 6. 7. *&* 8. *part.* 17. *Recent.*. Hinc quamvis Confraternitates Episcopo de jure subjiciantur, illarum tamen bona, & reditus peculiaribus quibusdam operibus destinata nequeunt ab Episcopo, etiam de consensu Confratrum, alteri Ecclesiæ assignari *Bass. de Sodalit. quæst.* 6. *num.* 4.. Videndum proinde, an justa, & necessaria causa in præsenti casu concurrat, quæ suadeat Sacelli, & Altaris permutationem, pro cujus constructione, vel ornamento, aut pro adimplendis ibidem piis operibus Fidelium oblationes collatæ sunt. His ergo, aliisque ad rem opportunè perpensis EE. VV. dijudicabunt

An sit locus permutationi Altaris Sanctissimi Crucifixi Confraternitatis Agonizantium Casalis Tarxèn cum altero Beatissimæ Virginis Confraternitatis Sanctissimi Rosarii dicti Casalis, in casu &c.

Sess. 21. *cap.* 1. *de Reform.*

CAURIEN CENSURARUM. Cum vacaret Beneficium, seu Capellania de Jurepatronatus laicali, nominatus ad eam fuit Ildephunsus Valentinus Fernandez Montero é Villa Caceris. Quia tamen nondum fuerat tonsura insignitus, nec immeritò timeret, quominus ob defectum Clericatus illius possessionem assequi posset, cœpit cogitare remedium, quo, dimissa Capellania per aliquod tempus, eam in posterum posset obtinere. Sic itaque cum Patrono convenit, ut iste ad illam nominaret quemdam Presbyterum de re tota optimè conscium, Presbyter verò eamdem Capellaniam dimitteret statim ac Ildephunsus Clericus fieret, ut hoc pacto per dimissionem a Presbytero factam ipse in Beneficii possessionem subingrederetur, & primæ nominationis effectus haberetur. Ita porro res composita fuit, & hoc pacto exequuta. Mirum profectò, quod nemo ex paciscentibus deprehenderit fraudem huic pactioni inhærentem, prout supponitur, aut saltem nec de illa dubitaverit. Præsertim quia res in judicium deducta fuerat contra Presbyterum, qui renuebat Capellaniam dimittere, quamvis postea a lite recesserit, unde Ildephunsus illam a triennio possidet, & fructus percipit.

Verùm cum postea idem Ildephunsus ad Sacros Ordines promoveri cuperet, certior de simonia factus, adiit Sac. Pœnitentiariam, a qua pro foro interno obtinuisse asserit absolutionem a censuris, dispensationem ab irregularitate, & convalidationem tituli Beneficii. Episcopus tamen renuit illum ad Ordines promovere, nisi pro foro etiam externo sibi consuluisset, cum jam simoniæ rumor per magnam partem Populi Villæ Caceris, & per ipsam quoque

Ci-

Civitatem Cauriensem fuisset evulgatus. Hinc obsequendo Episcopi monitis EE.VV. benignitatem implorat, ut absolutionem, dispensationem, & tituli convalidationem dignentur impertiri.

Ait siquidem, ignorantia juris errasse, dum illicitam pactionem convenit, de qua nullam suspicionem præconceperat. Dignum proinde videri, ut voti compos fiat, cum præsertim pactio subingrediendi in beneficium effectu caruerit, quia illud assequutus fuit per spontaneam dimissionem a Presbytero in judicio factam.

Episcopus refert, simoniam juxta suam opinionem fuisse invincibiliter, bona fide, & ex ignorantia commissam, quemadmodum spectata vita, & moribus tam Presbyteri, qui secundo loco fuit ad Beneficium nominatus, quam Oratoris dijudicare licet. Patronum verò, utpotè Laicum, ne prævidisse quidem incommoda, aut damna ex posteriori nominatione oritura, sed tantùm jus suum præservare curasse, quin unquam aut divinas leges contemnere, aut Ecclesiæ Constitutiones violare voluerit: Ac proinde, *quia Orator jam est maturæ ætatis, ac bonis moribus, honestaque vita ornatus, quæ omnia animum inducunt ad sperandum fore Ministrum utilem Ecclesiæ, judico, preces oblatas veritati nitere, & ipsum benemeritum, ut prorsus sublato prædicto obice, etiam pro foro externo, ad Sacras Ordines, incluso Presbyteratu, habilitari, & promoveri possit,*

Quanto studio, quantaque sollicitudine Sacri Canones, & Summi Pontifices a simonia abhorrentes curaverint, ut perniciosam hujusmodi labem ab Ecclesia eliminarent, facilè cognoscet, quisquis vetera, ac recentiora monumenta paulisper excurrat. Noverant saluberrimarum legum Conditores, ad vilitatem quamdam spiritualia redigi, si promercalia habeantur. *Quis* enim *denuo veneretur, quod venditur? aut quis non vile putet quod emitur?* ait S. Gregorius Magnus *lib.* 7. *epist.* 114. Noverant Christi præceptum = *Gratis accepistis, gratis date* = *Matth.* 10. *vers.* 8. Noverant criminis gravitatem, & mala a fœcunda radice oritura. *Omnia* namque *crimina ad simoniacæ hæresis comparationem quasi pro nihilo esse reputanda*, statutum legitur *in Can. fin. caus.* 1. *quæst.* 6.: vel, ut habetur in Concilio Bituricensi anni 1584. *tit.* 41. *cap.* 1. = *Ubi hæresis simoniæ in Ecclesia invaluit, probis, atque eruditis Viris aditus ad beneficia præclusus est, indeque omnis prope Ecclesiastica disciplina collapsa est*. Et Divus Gregorius *lib.* 7. *epist.* 111. dixerat = *Ubi aurum placet, ibi & vitium . . . , Si enim is dignus Sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat, ut nihil sibi ad honores Ecclesiasticos gravitas, nihil defendat industria, sed totum auri prophanus amor obtineat*.

Nil proindè mirum, si ad extirpandam simoniam severissimæ

mæ leges omni ætate editæ comperiantur, quemadmodum constat *ex Concil. Tolet. 6. cap. 4.*, *ex Cap. Cum super de Confess.*, *Cap. Sicut*, *Cap. Ex tua de simon. Can. Quicumque*, *Can. Cum ordinatur 1. quæst. 1*, & alibi. Verùm diversis temporibus multis fraudibus obtecta simonia est, & ab hominum malitia sub pallii velamine commissa. Siquidem Concilium Mexicanum anni 1585. *lib. 5. tit. 3. de Simon.* inquit = *Etsi semper simoniæ vitium abominabile, & execrabile fuerit, ac Sacris Canonibus prohibitum, gravibusque pœnis punitum, tamen ea fuit hominum malitia, ut diversis fraudibus, & fallaciis sua simoniaca pacta occultare, & palliare procurent* = Invaluit perniciosus abusus seculo circiter XVI.; quare licet san. m. Pius IV. *Constitut. 59.* huic malo providisset, nihilominus S. Pius V. ad eliminandam penitus corruptelam, aliam edidit Constitutionem incipien. *Intollerabilis 11. Junii 1569*, in qua præscripsit, *ut si quis quacumque auctoritate, Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecumque ex resignatione, & cessione cujuscumque personæ simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus, vel accessus eidem dimittentur, vel alteri postea conferantur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur, ex eisdem hæc confidentia censeatur*. Deinde pœnas contra committentes simoniam confidentialem constituit, nempe privationem beneficiorum, fructuum restitutionem, inhabilitationem ad beneficia, & excommunicationem Summo Pontifici reservatam.

Inquirendum, an ignorantia in Oratore præsumi valeat, cum præsertim res sit de ignorantia juris, & an ea saltem a pœna excusare possit. Præstat afferre doctrinam D. Thomæ, qui *2. 2. quæst. 100. art. 6. ad 3.* agens de pœnis contra simoniacos, ita loquitur; *Hoc quod aliquis privetur eo, quod accepit, non solum est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ, puta cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non potest. Et ideo si aliquis scienter, vel propria sponte simoniacè accipiat Ordinem, vel Ecclesiasticum beneficium . . . . Si verò eo nesciente, nec volente per alios alicujus promotio simoniacè procuretur, caret quidem Ordinis exequutione, & tenetur resignare beneficium, quod est consequutus cum fructibus extantibus, non autem tenetur restituere fructus consumptos*. Denique notandum, quod Orator post pactionem primam tonsuram, & minores Ordines suscepit. Quare perpensis omnibus circumstantiis Eminentissimi PP. decernent:

An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, dispensatione, & convalidatione tituli Beneficii, in casu &c.

Die

Die Sabbati 30. Julii 1774. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PRæter causas in præcedenti folio relatas, tres aliæ in præsenti adjiciuntur, ut super omnibus sapientissimum prodeat EE. VV. judicium.

NOVARIEN.

An sit locus cessationi subsidiorum dotalium relictorum a quondam Carolo Antonio Salio, in casu &c. *Sess. 25. cap. 5. de Reform.*

Esse locum reductioni Subsidiorum dotalium ad ratam redituum juxta modum ab Episcopo præfiniendum, firma tamen remanente celebratione Missarum.

HYDRUNTINA IRREGULARITATIS.

An, & quomodo sit locus dispensationi, in casu &c. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad cautelam.

INTERAMNEN. CELEBRATIONIS MISSARUM.

An Sacerdos Joannes Baptista Agostinangeli celebrare possit Missas in qualibet sibi benevisa Ecclesia, seu potius illas celebra- *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

re teneatur in Ecclesia Sanctæ Luciæ Civitatis Interamnæ, in casu &c.

Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam.

Sess 13. cap. 5. de Reform.

PERUSINA CAPELLANIÆ.

An sit relaxanda supplicatio, & respectivè concedenda dispensatio, in casu &c.

Negativè.

Sess. 22. cap. 6., & sess. 25. cap. 5. de Reform.

MELITEN. PERMUTATIONIS.

An sit locus permutationi Altaris Sanctissimi Crucifixi Confraternitatis Agonizantium Casalis Tarxen cum altero Beatissimæ Virginis Confraternitatis Sanctissimi Rosarii dicti Casalis, in casu &c.

Negativè.

Sess. 21. cap. 1. de Reform.

CAURIEN. CENSURARUM.

An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, dispensatione, & convalidatione tituli Beneficii, in casu &c.

Dimittat, restituat fructus perceptos, & postea supplicet.

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

SARSINATEN. ONERUM. Præter multa onera, quibus gravatur Parochus S. Jacobi Terræ Linarii, tenetur singulis annis persolvere scuta sex Seminario Sarsinæ, nec non

non salmas quatuor frumenti Mensæ Episcopali, & tres mensuras, vulgò *quartarole* frumenti Archipresbyteris Ranchii, & Rivoschii. Hisce subeundis oneribus imparem se prorsus dicit hodiernus Parochus Linarii, cum nulla ferè congrua pro sui sustentatione supersit, quare illorum exemptionem efflagitat. Coheret Parochi petitioni etiam Populus Linarii, asserens, Parochialium redituum defectum in ipsius detrimentum cedere, cum, ob impotentiam Parochi, onus restaurationis Ecclesiæ Parochialis subire teneatur. Itaque auditis partibus, ipsoque Promotore Fiscali interpellato res tota tribus complexa dubiis sapienti EE.VV. judicio proponitur.

Quoad I., & II. dubium præmittit Parochus, Rectori Ecclesiæ, cui Animarum cura incumbit, congruam omninò deberi *Cap. Extirpandæ. §. Qui verò*, ubi *Gloss.*, *& DD. de Præbendis*. Hanc verò congruam augeri ab Episcopo oportere, quoties impar comperiatur, etiam per subductionem decimæ Patrono assignatæ, & præsertim per onerum imminutionem *Rot. coram Mantica decis.269. num.* 3. *ad* 4., *coram Comit. decis.* 101. *num.primo*, *& in Recent. decis.* 120. *num.26. part.*17.. Sustinet, sufficientem congruam censeri, quæ ad summam ducatorum centum pertingit, *Concil Trident. sess.*24. *cap.13. de Reform.*, *Rot. decis.*311.*num.*13.*coram Crescentio*, vel saltem minor non sit ducatis 50., ut statuit S. Pius V. in *Constitut. Ad exequendam*, atque idcircò in Diœcesi Faventina, in Sarsinaten., atque in aliis Provinciæ Romandiolæ constitutam fuisse in summa non minori scutorum 60.. Observat insuper, congruam deberi Parocho in remunerationem laborum *Innocent. in cap. Episcopus num.*2., proindeque privilegiatam esse, & pro illius assequutione præferri Parochum iis omnibus, quorum favore fructus sunt reservati *Rot. coram Matthæjo in Andrien. Congruæ* 10. *Maji* 1672. *relat. in dec.*389. *num.* 14. *& seq. part.*18. *tom.primo Recent.*

His ergo præmissis asserit, reditus Parochialis Ecclesiæ Sancti Jacobi Castri Linarii non excedere summam scutor. 40., obul. 73., & quatern.4.; onera verò, pro quibus tenetur Parochus expensas subire, computari in scutis 34. 15., & posterioribus annis adaucta fuisse ob Populi paupertatem, & infelicem tempestatum conditionem; atque his addendum esse onus applicationis Missæ pro Populo, quod ad annua scuta 8. 20. pertingit. De hisce omnibus constare dicit ex Inventario Bonorum Ecclesiæ anno 1728. a tunc temporis Parocho exhibito, nec non ex fide publici Catastri, ubi bona Ecclesiæ adnotata sunt, atque ex Peritorum relatione. Attenta proinde redituum tenuitate, & expensarum quantitate contendit, non potuisse Episcopum anno 1663. alia superius relata onera Parocho superimponere;

Præsertim quia actum tunc non fuit de erigenda Ecclesiæ Linarii in Parochialem, sed de illius redintegratione ad Parochialitatem, quam prius habuerat.

Quod autem Ecclesia S. Jacobi Parochialis fuisset ante annum *1663.* probare primum ex eo nititur, quod san. mem. Sixtus IV. per Breve *datum Romæ 16. Kalend. Aprilis* 1477. illius curam commisit PP. Eremitis S. Augustini. Deinde ex eo quod iidem Religiosi decimas perceperunt ad annum usque *1653.*, quo illorum parvus Convèntus fuit suppressus. Præterea quia ipsemet Episcopus in decreto reintegrationis ejusdem Ecclesiæ meminit illius tanquam Parochialis ante annum *1663.*. Ac demum, quia eidem Ecclesiæ tanquam Parochiali plura Parochiani legata reliquerunt. Fatetur quidem, Parochialem ex causis omninò ignotis suspensam fuisse ab anno *1653.* ad annum *1663.*, sed advertit, assignatum nihilominus fuisse Capellanum, ne in ea Ecclesia suspensionis tempore Sacra omitterentur. Hinc infert, non potuisse Ecclesiam S. Jacobi novis oneribus prægravari, a quibus longe ante redintegrationem immunis fuerat, quæque congruam Parocho debitam imminuunt.

Nec obesse Constitutionem san. mem. Benedicti XIII. *Creditæ Nobis* pro Semìnariis editam. Siquidem cæteris prætermissis observat, eam non habere locum quoad beneficia curata, quæ debitam Parocho sustentationem non suppeditant: Quin immo ab hac Sacra Congregatione, approbante san. mem. Clemente VIII. anno *1603.* die 2. Septembris declaratum fuisse, facultatem Epicopis tributam imponendi super beneficiis taxam favore Seminarii, intelligendam esse deducta congrua Parochorum sustentatione *Pignattell. par. 2. tit. de Seminar. pag 3*8*6.*. Præter hæc allegat consuetudinem, ex qua constare dicit, nullam aliam Parochialem Ecclesiam in Diœcesi Sarsinatensi gravatam reperiri taxa favore Seminarii.

Eadem innixus ratione tenuitatis redituum contendit, Pàrochialem S. Jacobi gravari non potuisse onere tradendi Mensæ Episcopali quatuor salmas frumenti, & tres mensuras frumenti Parochis Ranchii, & Rivoschii. De postremo hoc onere advertit, illud his verbis fuisse impositum = *Quod pariter teneatur solvere quartesimum Plebanis tam Ranchii, quam Rivoschii, ad quod tenebatur solvere Parochialis S. Romani* = Sed ignotum prorsus esse dicit, quid rependerit Parochialis S. Romani, cujus intuitu Ecclesia Linarii onus subire teneatur. Observat, Ecclesiam S. Jacobi ab anno *1653.* ad annum *1663.* ex causa tantùm necessitatis unitam fuisse Ecclesiæ S. Romani pro administratione Sacramentorum, & pro sacris functionibus peragendis, utpote quia Episcopùs eamdem Parochialem suspende-

derat, & interdixerat Oratorium B. Mariæ Virgini sacrum, unde factum est, ut Linarienses coacti fuerint Parochialem S. Romani adire.

Perperamque opponi onerum acceptationem a Parochis prædecessoribus, & a se ipso factam. Omisso enim, quod prædecessores Parochi sæpius reclamaverint, ita ut ipsorum querelæ Episcopum moverint ad imminuendam præfinitam favore Seminarii præstationem, sustinet, prædecessores Parochos nullum juri Ecclesiæ, & Successoribus præjudicium inferre potuisse *Card. de Luca de Benefic. disc.* 90. *num.*47., *Rota coram Crescentio decis.*321. *num.*12.. De sua verò acceptatione existimat hodiernus Parochus, nullum ex proprio facto, aut sibi, aut Ecclesiæ, multoque minus Ecclesiastico Ordini damnum obvenisse *Rot. coram Emerix Jun. decis.*318. *num.*13., *& decis.* 392. *num.* 14. *& seq. part.*13. *Recent.*

Ad III. dubium, juris dispositione fulcitur, quod scilicet decimæ debeantur Parocho illius Territorii, ubi prædia decimanda existunt *Cap. Cum sint*, *Cap. In tua*, *& Cap. Cum contingat de Decim.*, idque procedere sive Parochiani in Ecclesia Parochiali, sive in alia in eodem Territorio existente Sacramenta recipiant *Rot. decis.* 48. *num.*2. *coram Bichio, & decis.*169.*num.*4. *part.*5.*Recent.*. Pro certo autem ponit, locum nuncupat. *S. Romano* subjacere Castro Linarii, ejusque Gubernatori, & in illius Territorio situm esse, prout desumitur ex Testibus, quibus coheret Episcopus in sua relatione, dum ait = *hoc jus decimandi intra fines dictæ Parochiæ S. Romani reservatum fuit Parocho Linarii*. Quare abusum dicit, quod Parochus S. Romani a nonnullis suis Parochianis certam frumenti quantitatem percipiat, cum præsertim Parochus Linarii ab antiquissimo tempore decimas percipere semper, & indistinctæ consuerit ex universis prædiis in districtu suæ Parochi existentibus, atque etiam ex iis prædiis, quæ Custos Sancti Romani appellat *primæ erectionis*. Concludit, quod dum de decimis agitur, inhærendum est observantiæ, & consuetudini super illarum exactione *Gloss. in Cap. Super eo in fin. de censibus*, *Rot. dec.*1766. *num.*7. *coram Coccin.*: Maximè ubi consuetudo probata fuerit particulariter, & in præciso casu, quemadmodum in præsenti quæstione ab hac Sacra Congregatione anno 1742. fuit adamussim definitum.

Contra verò Promotor Fiscalis Curiæ Episcopalis animadvertit, Cathedratici solutionem consuetudine primùm invaluisse *Thomass. de Benef. cap.* 35. *num.*2. *lib.*9., deindèque per modum Legis universalis præscriptam fuisse ab Honorio III. in *Cap. Conquerente de Offic. Ordin.*, ac demum firmissimè probatam a sa. mem. Benedicto XIII, in

Con-

Concilio Romano *anni* 1725. Ponderat ulterius, Cathedratici solutionem inter præcipua Episcopalia jura recenseri, eamque fieri in honorem Cathedræ, & in signum subiectionis *Cap. Placuit* 10., *& Cap. Conquerente de Offic. Ordin.*, ac propterea statutum esse, ut persolvatur a quibusvis Capellis, & beneficiis Ecclesiasticis, quæ Episcopi jurisdictioni, ejusque Cathedræ subiiciuntur. Idque multo magis locum habere in præsenti casu, cum dismembratio Castri Linarii, ejusque districtus, & Populi ab Ecclesia Parochiali S. Romani exequuta fuerit cum pacto correspectivo præstationis Cathedratici, quod prius a Parocho S. Romani persolvebatur, & cujus ratione novo Parocho tributæ fuerunt decimæ, quas idem Parochus S. Romani in Territorio Castri Linarii exigere consueverat.

Nihil officere putat jactatam paupertatem, & congruæ tenuitatem, tum quia ea concludenter non probatur, tum etiam quia tempore dismembrationis congrua minor erat, cum post dismembrationem novi reditus titulo Legati Parochiæ Linarii accesserint, tum denique quia per centum, & ultra annos Parochi antecessores nunquam de congruæ tenuitate conquesti sunt, & absque hæsitatione Cathedraticum persolverunt, quod etiam ad hæc usque tempora hodiernus Parochus persolvit. Post hæc sustinet, subiectionem Cathedræ Episcopali debitam, & in cuius signum Cathedraticum rependitur, præstari debere a quacumque Ecclesia Parochiali sive pingues, sive tenues reditus habeat.

Qui verò jura tuentur Seminarii Episcopalis, nec non Plebanorum Ranchii, Rivoschii, & S. Romani negant quoad I., & II. dubium, Parochum Castri Linarii sufficienti congrua destitutum esse. Asserunt enim, bona suppressi Conventus S. Augustini, & quæ satis erant pro sustentatione Prioris, Baccalauri, & Laici, Seminario primùm fuisse applicata, & deindè Parochiæ Castri Linarii accessisse. Observant ulterius, quod præter hæc bona percipit Parochus decimas frumenti, & lini in toto ambitu propriæ Parochiæ, ac præterea decimas frumenti in Parochia S. Romani. Addunt, Parochiæ Linarii alia etiam bona valoris scut. 325. titulo Legati obvenisse, ita ut computatis omnibus bonis tam primæ erectionis, quam postea acquisitis, ad eamdem Parochiam pertineat capitale scut. 920., quemadmodum in Catastro Communitatis adnotatum reperitur. Patere autem ex Inventario anni 1762. antequam legatum Parochiæ accederet, ejus reditus ascendisse ad scuta 52. 33.4., onera verò non excessisse scuta 23. 44. 3.

Arguunt ex his, decretum Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* prohibere quidem, ne pensionibus gra-

ven-

ventur Parochiales Ecclesiæ, cuius reditus summam ducatorum centum non attingant, sed nullam certam præfinitam fuisse regulam quoad quantitatem congruæ Parocho assignandæ *Cap. Extirpandæ*, & ibi *gloss. in verb. Sufficiens de Præbend.*, *Rebuff. de congr. portion. num.6.*, *& seq.* proindeque in hujusmodi controversia totum pendere ab arbitrio Judicis *Rebuff. ibid. num.* 8., *Rot. coram Vbald. decis.* 85. *num.6.*, ab eoque taxari debere congruam juxta circumstantias, etiam in majori summa, & præsertim juxta consuetudinem *Rot. cor. Vbald. dec.*84. *num.*1., *& seq. & dec.*420. *num.*3. *part.*1. *Recen.*

Affirmant, omnibus ferè Parochiis Diæcesis Sarsinaten. deesse congruam in quantitate ducatorum centum, atque idcircò verificari consuetudinem inferioris congruæ, quæ Parochum etiam Linarii afficiat *Rot. decis.* 58. *num.* 13. *part.*13. *Recen.* Maximè quia hujusmodi congrua per centum, & ultra annos non solum a Parochis prædecessoribus, sed etiam ab hodierno Parocho fuit acceptata. Hinc quoties congrua fuit semel a Judice, seu Superiore assignata, inferunt, nefas esse illius incrementum efflagitare *Rebuff. de congr. sub num.* 92., *Rot. coram Gregor. dec.* 429. *num.*2., saltem nisi Parochus doceat, Parochiæ reditus fuisse imminutos *Cap. Nemo de Consecr. dist.* 1., *Abbas in Cap. Vnusquisque de vit.*, *& honest. Cleric.*, & in dubio auctos potius, quam imminutos præsumi *Felin. in Cap. Constitutus de Rescript.*, *Rot. cor. Gregor. dec.*483. *num.*4.

Quo verò ad Seminarium speciatim observant, applicata huic primum fuisse bona suppressi Conventus S. Augustini, ab eoque postea cessa Parochiæ Linarii, cum pacto persolvendi annua scuta 8., quæ postea ad scuta 6. fuerunt redacta. Sustinent idcircò, quod cum res sit de contractu correspectivo, aut in totum subsistat oportet, aut corruat in totum, proindèque si Parochus Linarii conventam annuam præstationem solvere recuset, cogendus sit ad restitutionem bonorum, quæ ipsi in correspectivitatem cessa fuerunt *Rot. post Constantin. ad Statut. Vrb. decis.* 31. *n.*2., *& coram Benincas. dec.*76. *num.*7.. Idque etiam dicendum tum de præstatione frumenti tradenda Parochis Ranchii, & Rivoschii, eisque debita titulo saltem præeminentiæ, prout deprehenditur ex actis Visitationis anni 1605., tum etiam de altera præstatione retribuenda Parocho S. Romani in correspectivitatem cessionis decimæ ex frumento percipiendæ super universo ambitu Parochiæ S. Romani adiecto Parochiæ Linarii.

His omnibus addunt observantiam ultra centenariam, qua constat, annuas præstationes tam Seminario, quam dictis Parochis fuisse solutas; nec non acceptationem congruæ, & onerum ab eodem Parocho factam; ac demum ponderant,

rant, quod in casu tenuitatis redituum non aliud jus competat Parocho Linarii, quam adeundi Ordinarium, ut Populum cogat ad supplendum quod deficit *Concil. Trident. Sess. 21. cap.4. de reform.*

Quoad III. dubium narrant, Castrum Linarii cum universo Populo usque ad annum 1663. subiectum fuisse Parochiæ S. Romani, cuius Parochus duplicem decimam in frumento, & lino percipiebat. Ab eo autem tempore deventum fuisse ad dismembrationem, & novæ Parochiæ erectionem; novo autem Parocho assignatas titulo congruæ fuisse decimas ex frumento tam Parochiæ Linarii, quam alterius S. Romani, præter decimas lini ex nova Parochia, & alia plura. His ergo positis animadvertunt, decimas tributas a Populo fuisse ratione administrationis Sacramentorum, easque a Parocho S. Romani cessas Parocho Linarii cum omnibus oneribus: Ac præterea Parochianos uti singulos decimas persolvisse intuitu bonorum, quæ in ambitu Parochiæ possidebant; proindeque inferunt, Parochum tunc temporis S. Romani quoad bona primæ erectionis collectationi nec subiectum fuisse, nec subiici potuisse.

De his autem satis constare tum ex inventariis Curiæ Episcopali exhibitis annis 1727., 1761., 1765., in quibus fit mentio solutionis pro bonis tantummodò acquisitis, tum etiam ex testimonio Francisci Rossi, qui per biennium fuit Parochus Linarii, quique decimas nunquam exegit, cum eas descriptas non invenerit in notula ab antecessore relicta, tum demùm ex Colonorum, aliorumque testium depositione. Nec obesse testes in contrarium afferendos, cum eorum depositio referri possit ad decimas persolutas ex bonis postea quæsitis. Addunt, cessionem anno 1663. a Parocho S. Romani factam, utpote generalem ex universa Parochia, nec comprehendisse, nec comprendere potuisse bona primæ erectionis *Gloss. in leg. Emptor verb. Actiones habiles Cod. de hæred.*

Duo in Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 13. de Reform.* exposita sunt decreta, quæ ad rem, de qua agitur, conferre posse videntur. Primum his verbis conceptum = *In Parochialibus etiam Ecclesiis, quarum fructus æquè adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per Parochianorum symbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur, quod pro Rectoris, ac Parochiæ necessitate decenter sufficiat* = Alterum vero disponit, ut *Parochiales Ecclesiæ, quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.* Quamvis autem

tem ex his de certa Parochialis congruæ quantitate non constet, exploratum tamen est, eam fuisse Concilii mentem, ut decenti Parochorum sustentationi consultum remaneret, & reditus subeundis oneribus pares haberentur. Patet id ex altero Concilii decreto *Seff.* 7. *cap.*7. *de Reform.*, ubi agitur de beneficiis curatis, Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, & Monasteriis unitis; Nam Episcopis iniungitur, *ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab iis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur.*

De hac Parochorum, seu etiam Vicariorum sufficienti congrua solliciti quam maximé fuerunt Romani Pontifices, quos inter S. Pius V., qui in Constitutione *Ad exequendam* 1. *Novembris* 1567. sublato Episcopis arbitrio quoad taxationem congruæ Vicariorum, decrevit, ut portio iisdem Vicariis assignanda *non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, eis omninò assignetur, nisi Vicariis solitum fuisset plus assignari*. Et quamvis sa. mem. Innocentius XIII. in Constitutione *Apostolici Ministerii* declaraverit, Constitutionem S. Pii V. *pertinere dumtaxat ad Vicarios perpetuos illarum Ecclesiarum Parochialium, quæ aliis Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, beneficiis, aut Locis piis unitæ sunt*, nihilominus sa. mem. Benedictus XIV. in Constitutione *Cum semper* anni 1744. omnes Vicarios etiam temporaneos in dicta Piana Constitutione comprehensos declaravit.

Cathedraticum ipso communi jure firmatum, ut ait sa. mem. Benedictus XIV. *de Synodo Diœcef. lib.* 5. *cap.* 6. est adeo privilegiatum, *ut neque ab Episcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat quocumque titulo vel immemorabili consuetudine præscribi*, quemadmodum disponitur in Concilio Romano sub sa. mem. Benedicto XIII. *tit.* 8. *cap.* 4.. Quoad ejus quantitatem notandum, quod in jure constituti sunt duo solidi; sed quæ pecuniæ species, aut quantitas *solidi* vocabulo intelligatur, adhuc latet. In eodem Concilio Romano duorum solidorum nomine designata fuit summa juliorum viginti, decretumque, non integros solidos a Beneficiatis pendendos, sed juxta quantitatem redituum Beneficiorum; nimirum quibus sunt reditus infra scuta decem, duos julios; quibus infra quinquaginta, julios quinque; quibus infra centum, julios decem. Quoniam verò Concilium Romanum non fuit Æcumenicum, nec idcircò legem universalem constituit, hinc monet laudatus Pontifex Benedictus XIV. in citat. opere *de Synodo*

cap. 7. §. 1. certam, & universalem regulam quoad quantitatem Cathedratici præscribi non posse, sed illam desumendam esse a particularibus Locorum Statutis, & recepta in qualibet Diœcesi consuetudine.

Cetera, quæ ad causam opportuna videbuntur, ex circumferendis monumentis repeti poterunt, quibus sedulò perpensis Emi PP. rogantur definire.

I. *An Parochus S. Jacobi Terræ Linarii teneatur præstare quolibet anno Mensæ Episcopali, ac Seminario Civitatis Sarsinæ Mastellas, seu salmas quatuor frumenti, nec non scuta sex in casu &c.*

II. *An idem Parochus Terræ Linarii teneatur tradere quolibet anno Archipræsbyteris Terrarum Ranchii, & Rivoschii tres mensuras, vulgo* Quartarole *frumenti in casu &c.*

III. *An, & super quibus bonis jus competat eidem Parocho Linarii percipiendi decimas in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 25. cap. 1. de Reform.

VELITERNA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Veliternæ reliquit anno 1699. Salvator Scandelloni summam scut. 7500. in censibus investitam, ut fructus, qui percipiebantur in annuis scutis 217., erogarentur singulis annis pro distribuendis octo subsidiis dotalibus scutor. 25. pro quolibet, & in illorum assequutione præferri mandavit *le mie Parenti, anche in grado più lontano, e remoto*. Si verò in distributione subsidiorum dotalium, aut circa suæ dispositionis intelligentiam aliqua suborta fuisset dubietas, vel querimonia, in isto casu facultatem tribuit Cardinali pro tempore Episcopo Veliterno *di dichiarare, terminare, interpretare, dare buoni ordini, e fare tutto quello, che a S. E. parerà per il buon governo, e felice esito di questo maritaggio*. Anno 1748. Catharina, Victoria, & Theodora Taloni obtinuerunt a Sacra Congregatione, ut cumulus fieret pro constituenda unicuique dote scut. 200., & anno 1771. summa scut. 800. tributa fuit Angelæ Mariæ Giorgi Testatori sanguine conjunctæ.

Matrimonium jamdiu contraxerunt Catharina, & Theodora Taloni, innupta tamen adhuc remanet Victoria, quæ licet *die 13. Februarii anni elapsi* augumentum dotis in aliis scutis centum a Sacra Congregatione fuerit assequuta, nihilominus majus augumentum ad summam usque sc. 8 o. efflagi-

efflagitat. Verum petitioni acriter contradicit Capitulum Cathedralis, unde in conflictu Partium sapientissimum EE.VV. judicium exquiritur.

Sustinet Victoria, denegari sibi non posse dotis augumentum, tum ex voluntate Testatoris, qui suis descendentibus prælationem concessit, tum etiam ex praxi Sac. Congregationis, quæ non solum extraneis Puellis semper prętulit consanguineas, sed istarum insuper favore dotium cumulum fieri jussit, ut prostant exempla in *Romana applicationis Legati* 20. *Septembris* 1692., *in Romana Dotium* 2. *Octobris* 1717., & 24. *Septembris* 1718., & *in Camerinen. Subsidiorum dotalium* 8. *Augusti* 1733.. Hunc autem cumulum confidit Oratrix eo facilius posse sui favore injungi, quia ipsa verè pauper est, & Testatori sanguine conjuncta; ac præterea quia est de honestioribus Familiis Civitatis Veliternæ, & Familiæ Giorgi nullo modo secunda; ac demum quia in provecta ætate constituta reperitur, ut proinde majori indigeat subsidio, quo adjuta decenti possit matrimonio collocari *L. Quæro ff. de jur dot.*, *Rot. decis.* 220. *num.* 2. & 3. *coram Zarat.*

Perperamque in dubium revocari affirmat suæ Familiæ nobilitatem, & summam, qua premitur, paupertatem. Siquidem quoad nobilitatem observat, Majores suos honorifica semper munia exercuisse, quæ nobilioribus Familiis Civitatis Veliternæ committi solent. Addit, Familias Matris, & Aviæ Consulari Veliterno Ordini fuisse adscriptas, & simili honoris prærogativa decoratam fuisse Familiam Salvatoris Scandelloni sui Patrui. Asserit etiam, suas Sorores nuptas fuisse nobilibus Familiis, unde concludit, controverti non posse suam nobilitatem, quæ aliud revera non est, quam dignitas ex ascendentium sanguine promanans, & in descendentes transfusa *Leg.* 3. *ff. de interdict.*, *gloss.* 7. *num.* 17., *Garz. de nobilit.*, *Rota in Recentior. decis.* 78. *num.* 4. *par.* 7.. Nec obesse, quod Familia Taloni inter Consulares Civitatis Veliternæ cooptata non inveniatur. Respondet, enim veram nobilitatem censeri, & esse, quæ non ab electione, sed a majorum splendore, eorumque virtute procedit *Bald. in Leg. final. num.* 4., & *in Clem.* 2. *de sent. excommun.*. Advertit etiam, suam Familiam & nobilitate, & sanguinis claritate præstantiorem esse altera Familia Giorgi, cum hæc ex humili Oppido Julianelli procedat. Et quamvis inter Consulares Familias Civitatis Velitris admissa fuerit, non tamen nobilior ex hoc dici possit, tum quia admissio recens est, tum etiam quia sub nonnullis limitationibus facta deprehenditur.

Hæc quoad nobilitatem. Quo verò ad paupertatem inquit Victoria, nulla omnino avita, vel paterna bona posside-

re, immò Patris bona nec satis suide pro restitutione maternæ dotis: Hinc abundè constare de paupertate, quoties constat, nulla penitus bona possidere *Abbas consil.69.num.6.*, *Rota decis.98. num.10. coram Duran.*. Minimè vero attendendam esse possessionem Domus valoris scut. 100. a Canonico Covi relictam, nec præstationem scut. 300. dotis titulo a Sacra Congregatione jam obtentam, cum ex his habeatur tantummodo dos scut. 400.; quæ congrua dici non valet ad matrimonium juxta suam conditionem contrahendum. Præsertim quia Matri dos fuit constituta in scutis 1200., & uni ex Sororibus scuta 1000., alteri vero scut. 800. fuerunt assignata. A veritate autem alienum esse dicit, quod Frater pluribus Ecclesiasticis bonis sit provisus, cum præter Capellaniam, cujus titulo ad Sacros Ordines fuit promotus, nullum aliud beneficium possideat; & huic quidem Capellaniæ onus inhærere affirmat Missæ quotidianæ, ejusque reditus annua scuta 80. non excedere.

Despiciendam verò esse animadversionem, quod Puellæ Angelæ Mariæ Giorgi major respectus haberi debuerit ob majorem ejus nobilitatem, eique propterea necesse fuerit majorem dotis quantitatem constituere. Quamvis enim major nobilitas Familiæ Giorgi revera subsisteret (quam tamen ex superius deductis Oratrix inficiatur) contendit nihilominus, Testatorem omnes descendentes æquè dilexisse, nullamque eas inter gradus distinctionem agnovisse, atque idcirco nullam in descendentibus nobilitatis prærogativam considerari posse, aut debere. Spernendam quoque exceptionem, quod Oratrix lucrata fuerit dotem defunctæ Matris, nec non alia scuta 200. assignata alteri Sorori Catharinæ jam præmortuæ. Nam a successione maternæ hæreditatis exclusam se dicit ob existentiam masculorum, vigore Statuti, quod fœminas excludit *Constantin. ad Statut. Urb. annot.39. cap. 145. art. 3. num.180.*. Summam verò scut. 200. defunctæ Sorori assignatam partim lucratam fuisse affirmat a Viro superstite pro quarto dotali, partim verò consistere in parva domo, quæ unicum constituit capitale Familiæ Taloni.

Concludit ex his Oratrix, denegandum sibi non esse dotis augumentum, cum omni spe destituta sit quidquam assequendi vel ex materna, vel ex paterna hæreditate. Maxime quia Testator suis descendentibus prælationem tribuit, atque idcircò prospicere magis voluisse videtur istarum commodo, quam aliarum, quæ extraneæ omnino sunt. *Rot.decis.98. num.4. & 5. coram Duran.*, *& decis.227. num.2. ad 4. coram san. mem. Clemente XIII.*. Denique sustinet, denegandum sibi non esse subsidium, quod in majori quantitate tum Angelæ Mariæ Giorgi, tum istius matri fuit olim assigna-

gnatum, nec dissimilem ipsi dotem constituendam, quam quæ Sorori fuerit olim constituta *Fontanell. de pact. nupt. claus. 3. gloss. 3. par. 1. num. 8.*, *Rot. decis. 350. num. 48. coram Bich.*

Ex alia verò parte Capituli Defensores præmittunt, dispositum a Testatore fuisse, ut si quæ unquam oriri contingeret dubietas, aut differentia, a Cardinali pro tempore Episcopo Veliterno interpretanda, & definienda foret. Jam verò observant, clar. mem. Cardinalem Rufo olim Episcopum existimasse, Sororibus Taloni dotis præstationem ex pio Legato Scandelloni postulantibus, summam tantummodo scutorum 300. pro qualibet esse assignandam. Hanc verò summam jam a Victoria fuisse consequutam, eique proindè post panditum anno 1749. ab Ordinario indicium, liberum amplius non esse dotis augumentum exposcere, ne Testatoris dispositio fraudetur *Leg. Si ex toto, & Leg. Quod in rerum 24. §. Si quis ff. de legat.*, *Gratian. discept. 126. per tot.*, *Castrill. controv. jur. lib. 5. cap. 26. per tot.* Quin obstet exemplum Angelæ Mariæ Giorgi, cui scut. 800. fuerunt assignata. Advertunt enim, rem hic non esse de dote, quam eædem Sorores eadem sanguinis prærogativa pollentes jure proprio vindicare possint, sed de dote ex pio legato desumendam, quo casu juxta peculiares circumstantias modo major, modo minor summa assignari solet, prout a Sacra Congregatione factum fuisse affirmant in *Romana, seù Sabinen. anno* 1717., quo Sororibus, earumque filiabus dos in diversa summa fuit constituta.

Addunt, diversam esse Oratricis conditionem ab Angela Maria Giorgi, cum hæc inter primarias Civitatis Veliternæ Familias adscripta reperiatur, & paternis bonis sit omninò destituta, illa verò ex ordine tantùm Civico originem ducat, & Fratrem habeat Ecclesiasticis beneficiis provisum. In hisce ergo circumstantiis existimant, prælationem a Testatore suis descendentibus tributam ita esse intelligendam, ut istæ præferri debeant in assequutione subsidii dotalis, quod cuilibet extraneæ Puellæ tribueretur, non tamen ut subsidiorum cumulus fiat ad congruam dotem parandam, qua nuptias conciliare sibi possint *leg. si res obligata 17. ff. de legat. 1. Card. de Luc. de Legat. disc 16. num. 4.* Et hanc prælationem descendentibus tantùm competere, si qualitatibus polleant a Testatore requisitis *Rot. decis. 543. num. 3. part. 1. Recen.*, *& coram Caprar. decis. 217. num. 7.*, ne aliter lædantur jura Puellarum, quæ extraneæ sunt, & quarum favore subsidia dotalia instituta comperiuntur *Pignattell. consult. 146. n. 5. tom. 4.*, *Rot. cor. Emerix. Jun. dec. 898 n. 10.*

Observant, Oratricem post obtentum a Sac. Congregatione rescriptum pro augumento dotis in summa scut. 100., statim in Curia Episcopali Veliterna instetisse pro istius sum-

mæ

mæ assequutione. Arguunt proinde, rem amplius non esse integram, cum Victoria rescriptum Sac. Congregationis acceptaverit, a quo reclamare non potest. Demùm pondera illum proponunt, quod si Oratrici novum augumentum tribuatur, plures aderunt Puellæ a Salvatore Scandelloni descendentes, quæ spiritu emulationis ductæ dotem ex pio relicto constitui sibi postulabunt; quod quidem in maximum cederet detrimentum pauperum Puellarum Civitatis Veliternæ, quæ dotalibus subsidiis destitutæ spem omnem amitterent contrahendi matrimonium.

Super nova Oratricis petitione auditus jam fuerat cl. me. Cardinalis Cavalchinus, qui suam sententiam his verbis exposuerat = *Censerem, Oratricem non esse amplius audiendam. Porrò id eo libentius, & confidentius existimo a me dici posse, quod leniorem fiduciam habuit prius Testator de judicio, & arbitratu Cardinalis Episcopi, a quo uno statui, dirimi, ac definiri voluit res, & questiones omnes ad eorum subsidiorum distributionem pertinent s* = Præter ea, quæ ab utraque Parte deducta, in præsenti folio relata sunt, nil aliud superest, nisi ut Emi PP. resumere dignentur alterum istius causæ folium, quod est ad diem 23. Januarii anni elapsi, ut decernant.

An sit locus ulteriori augumento subsidii dotalis, & in qua summa in casu &c.

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

CAMERINEN. FABRICÆ. Sacerdos Bartholomæus Rossetti hæredem ex asse instituit Ven. Congregationem Oratorii S. Philippi Neri Civitatis Camerini, cui duo imposuit onera, nempè expositionem SSmi Sacramenti *dalla Domenica in Albis fino a tutte le trè feste di Pentecoste*, & celebrationem Missarum septem singulis annis peragendam. Prohibuit autem, ne bona hæreditaria in aliam causam, quam in fabricam Ecclesiæ ejusdem Congregationis erogarentur, ita tamen ut in isto casu fundus constitueretur pro dictorum onerum implemento. Post obitum Testatoris omnia ferè hæreditatis bona in causam fabricæ fuerunt erogata, nec aliud modò superest, quam nonnulli census capitale sc. 500. constituentes, & prædium, quod postremis hisce temporibus pro credito sc. 350. hæreditati obvenit.

Cogitarunt itaque PP. Oratorii hoc prædium vendere, ejusque prætium erogare in perficiendo posteriori Eccle-

siæ prospectu. Cum tamen Emptor requisierit hypothecam in casu evictionis prædii, idcirco venditores facultatem postularunt hypothecæ subiiciendi capitalia censuum, proditque die 18. Decembris anni elapsi a S. C. Congregatione rescriptum = *Præservato fundo pro expositione SSmi Sacramenti, & celebratione Missarum ad formam testamenti Bartholomæi Rossetti, qui perpetuus sit, atque idoneus, & sufficiens, nulloque vinculo obnoxius, in reliquis pro facultate arbitrii Episcopi pro obligatione reliquorum bonorum ejusdem Testatoris tantùm*. Renovant modo preces Oratores, ut hipothecæ subiicere valeant censuum capitalia, absque eo quod adigi debeant ad subrogationem, nisi in casu, quo prædii evictio sequatur.

Id enim æquitati, & rationi consonum esse dicunt, cum ex dispositione Testatoris omnia hereditaria bona in usum Fabricæ erogare possint, & satis consultum sit piorum legatorum implemento, si in casu evictionis fundus subrogetur. Observant, totam ferè Ecclesiæ fabricam, quam propriis sumptibus perficere debuissent, cum bonis hæreditatis Rossetti fuisse absolutam; hinc grave ipsis minimè futurum subrogare fundum, quod respondeat capitali censuum scut. 500., si istos census hypothecæ subiectos amittere contingat. Cæterum pro majori cautione paratos se exhibent a die evictionis, quatenus revera eveniat, aliquam summam singulis annis deponere, ut capitale amissum redintegrari valeat.

Vicarius Generalis, qui absente Episcopo informationem transmisit, Oratorum petitioni favet, præsertim quia si census hipothecæ non subiiciatur, venditio prædii cum libera pretii solutione nunquam sequi poterit.

Facultatem erogandi bona pro fabrica Ecclesiæ, quam Oratoribus tribuit Testator, his præcisé verbis exposuit = *E quando volessero applicare tutta la mia Eredità tanto sorte principale, quanto frutti in detta fabrica, possano farlo, purchè con la licenza della Sacra Congregazione per l' adempimento de sopradetti pesi perpetui già ordinati, si surroghi un fondo capace, e sufficiente della detta Congregazione* = Cum ergo Oratores pro perficienda exteriori Ecclesiæ facie vendere exoptent prædium, & pro emptoris securitate hipothecæ subiicere censuum capitalia, inquirendum idcirco videtur, quid hujusmodi hipotheca præseferat, ut deinde dijudicari valeat, an, & quando sit locus subrogationi alterius fundi juxta Testatoris præceptum. In *leg. final. cod. de reb. alien. non alienan* hæc disposita habentur = *Sive lex alienationem inhibuerit, sive Testator hoc fecerit, sive pactio contrahentium hoc admiserit, non solum dominii alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed ususfructus dationem, vel hipothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi*.

Sub

Sub prohibitione autem alienationis tunc Rota censuit hipothecam comprehendi, quando dispositio importat alienationem latè sumptam, secus verò quando res est de alienatione stricto modo intelligenda, ut patet ex *dec.* 109. *num.* 5. *part.* 14., *dec.* 328. *num.* 4. *part.* 5., & *decis.* 373. *n.* 28. *part.* 16. *Rec.*. Hinc sub stricto alienationis vocabulo hipothecam non intelligi existimavit *Merlin. lib.* 2. *tit.* 1. *quæst.* 42. *num.* 3., & *seq.*, quia alienatio dominii translationem importat, hipotheca verò non aufert a possessore dominium, sed jus tantùm distinctum, & separatum a dominio constituit.

Viderint ergo Emi PP. quid in præsenti casu statuendum sit, dum quæritur.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 18. *Decembris* 1773. *in casu &c.*

Die

Die Sabbati 20. Augusti 1774. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

IN præterita Congregatione diei 30. elapsi mensis Julii sex propositæ tunc Causæ responsum habuerunt. Tres sunt reliquæ, quæ hic notantur, quæque cum aliis definitionem expectant.

SARSINATEN. ONERUM. *Sess. 14. cap. 13. de Reform.*

I. *An Parochus S. Jacobi Terræ Linarii teneatur præstare quolibet anno Mensæ Episcopali, ac Seminario Civitatis Sarsinæ Mastellas, seu salmas quatuor frumenti, nec non scuta sex in casu &c.*

II. *An idem Parochus Terræ Linarii teneatur tradere quolibet anno Archipræsbyteris Terrarum Ranchii, & Rivoschii tres mensuras, vulgo* Quartarole *frumenti in casu &c.*

III. *An, & super quibus bonis jus competat eidem Parocho Linarii percipiendi decimas in casu &c.*

Ad I. Affirmativè, & amplius. Ad II. Affirmativè, & amplius. Ad III. Affirmativè, exceptis bonis primæ erectionis, & amplius.

VELITERNA SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Sess. 25. cap. 1. de Reform.*

An sit locus ulteriori augumento subsidii dotalis, & in qua summa in casu &c.

Negativè, & amplius.

Seff.21. cap.7. de Reform.

CAMERINEN. FABRICÆ.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a decisis sub die 18. Decembris 1773. in casu &c.

In decisis juxta modum: Modus est, pro facultate obligandi census pro evictione prædii alienandi, subrogato tamen ex nunc alio fundo perpetuo, idoneo, & libero, qui stare debeat pro adimplemento onerum Missarum, & expositionis Sanctissimi Sacramenti.

Sess.23. cap.8. de Reform.

FIRMANA CAPELLANIARUM. Instituta hærede proprietaria Ecclesia Suffragii Oppidi Montis Ulmi, plures in ea institui mandavit Capellanias Jacobus Ferri, collata potestate Octaviæ, & Joanni Baptistæ Patruelibus, quibus usumfructum reliquerat, ut pro erigendis Capellaniis, eorumque qualitatibus, methodum, legemque præscriberent. Post obitum Testatoris plura declararunt Octavia, & Joannes Baptista, scilicet, quibus Jus nominandi competeret, quæ a Capellanis onera forent subeunda, aliaque magis apta, atque opportuna fusius explicarunt. Defuncto Joanne Baptista novam Octavia declarationem emisit, in qua nonnulla perficiendæ fundationi addidit, ac præsertim præferri ad Capellanias mandavit Sacerdotes, seu Juvenes trium Familiarum Ugolini, Bertolazzi, & Pampinoni, quæ sibi sanguine conjunctæ erant.

Postrema hæc declaratio variis quæstionibus causam præbuit, atque inter cæteras non levis orta dubitatio est, an earumdem Familiarum Sacerdotes, & Clerici tenerentur ad Sacerdotium ascendere, & onera per se ipsos adimplere. Querelam hac de re primùm detulit Sodalitium Suffragii Sanctissimo Domino Nostro, remissaque deinde per organum Eminentissimi Pro-Auditoris illius definitione Sacræ Congregationis judicio, tria proposita fuerunt dubia die 23. elapsi mensis Aprilis, I. nempe = *An Capellaniæ ordinatæ a Jacobo Ferri, & conferendæ Familiis Ugolini, Bertolazzi, & Pampinoni sint Sacerdotales, vel non Sacerdotales, in casu &c.* II. *An Capellani teneantur per se ipsos onera adimplere in casu &c.* III. *An, & quomodo in casu inadimplementi sit providendum in casu &c.* = Et quoad I. dubium responsum prodiit = *Affirmativè ad primam partem, negativè ad secundam*; sed quoad alia nulla capta resolutione rescriptum fuit ad II. *Iterum proponatur*, ad III. *Dilata*. Viden folium istius Causæ, quod est ad diem 12. superioris mensis Martii, ubi facti species, & Sodalitii rationes distinctè recensentur. Beneficio autem novæ audientiæ ad

ad primum dubium, de tota re iterum modò disceptatio occurrit.

Admittunt Sodalitii Defensores ad I., & II. dubium, Capellanias esse posse Sacerdotales, & ad eas acquirendas Sacerdotium actu, vel habitu requiri, absque eo quod illarum possessores oneribus per se ipsos satisfacere teneatur, & ita a Sacra Congregatione definitum fuisse refert *Fagnan. in Cap. Abbates de ætat. & qualit. num.* 71. 75. *&* 77. Diversimodè tamen sentiendum in præsenti casu, quo concurrere affirmant argumenta suadentia, injunctam fuisse legem suscipiendi Sacerdotium, statim ac Capellani ad ætatem annorum 25. pervenissent, & onera per se ipsos adimplendi, ita quidem ut habitu Presbyteratum requisierit Fundator, cui liberum erat hujusmodi legem imponere, & alias quascumque conditiones adjicere *Fargn. de Jurepatron. can.*2. *cap.*27. *num.*9. Hanc autem voluntatem sive a Fundatore panditam, sive ab ejus Exequutoribus, quibus potestas tradita fuerat, servari, atque exequi omninò debere; nihilque obstare auctoritates in contrarium adductas, utpote quia inapplicabiles sunt, & locum habent in casu, quo Sacerdotium requisitum fuerit in ipso actu electionis, vel nominationis, aut institutionis.

Urgent præterea, præceptum nominandi Sacerdotes vernaculo sermone fuisse expressum, proindeque qualitatem Sacerdotalem actu importare. Advertunt, discretivam adhibitam fuisse Clericorum, & Sacerdotum appellationem, & utrumque vocabulum diversam præseferre intelligentiam: Præsertim quia Octavia particularem Sacerdotii legem imposuit, & præceptum generaliter indixit ex causa, quæ Presbyteros actu respiceret *Fargn. de Jurepatron. part.*2. *can.*23. *cas.*14. *num.*8., *& seq.*, addita etiam obligatione litteras edocendi. Inane verò esse præsidium mutuatum ex adhibito ab Octavia nomine *Juvenis*, quod ad Clericos, & etiam ad Laicos referri potest, cum quæstio modò non sit, an Laici Capellanias assequi possint, sed solum discentetur, an ii, qui Sacerdotes non sunt, ad illas nominari valeant.

Perperamque proferri observantiam, & rem ab A.C. judicatam de Consanguineorum prælatione. Repetunt enim, quod in præsenti casu non agitur de Laicorum admissione, sed solum quæritur, an Capellaniarum possessores, statim ac ad ætatem annorum 25. pervenerint, teneantur ad Sacerdotium ascendere, & oneribus per se ipsos satisfacere, de quo quidem nihil sententia A.C. differit. Contendunt insuper, quod quamvis Clerici, qui Capellanias obtinuerunt adacti non fuerint ad Sacros Ordines suscipiendos, non tamen ex hoc observantia, aut legitima consuetudo inferri potest, sed solum resultat Sodalitii negligentia, dum jus suum experiri noluit. Neque hinc

hinc in duci posse observantiam interpretativam, quia hæc locum non habet, quando manifesta est Fundatoris voluntas. Præscriptionem verò nec ab ipsis Capellanis proferri, cum allegari nequeat contra Sodales plerumque ignaros, nec sine titulo saltem præsumpto, nec nisi post lapsum annorum 40. nunquam interruptum, *Rot. in Romana Beneficiorum super bono jure 19. Martii 1765. §. 19. & seq. coram R. P. D. Herreros*.

Arguunt proinde, in circumstantiis, quibus modò res agitur, nec interpretativam, nec præscriptivam observantiam verificari. Nilque officere, quod Octavia non coegerit Clericum Pampinoni ad Sacros Ordines suscipiendos, cum ipsa decesserit prius quam idem Clericus ad legitimam ætatem pervenisset: Cæterùm advertunt, nullum ex Octaviæ silentio præjudicium juribus Sodalitii inferri potuisse. Multoque minus prodesse excusationem, quod in desuetudinem abierit pium opus expositionis Sanctissimi Sacramenti, cum Testatoris voluntas interpretari debeat ex rebus ipsi cognitis, & quæ ipso vivente eveniebant, neque ex posteriori corruptela, & abusu immutari valeat: Præsertim quia aliæ non desunt circumstantiæ, & conjecturæ, ex quibus rectè illius mentis interpretatio desumitur *Cujac. consult. 52. vers. Et non ex uno*. Denique alia plura in priori causæ propositione deducta, prolixius, & accuratius repetunt, quæ tam primum, quam alia posteriora dubia concernunt, quemadmodum patet ex juribus EE. VV. circumferendis.

Contra verò Defensores triumFamiliarumUgolini, Bartolazzi, &Pampinoni sustinent ad I. dub., onusSodalitio inhærere probandi Sacerdotalem Capellaniarum qualitatem respectu descendentium ex iisdem Familiis, qui prælativè vocati fuerunt, cum alias etiam in dubio pro libertate ex juris præsumptione sentiendum sit, juxta *allegationem Lapi 35. num. 2.*, *Card. de Luca de Benefic. disc. 16. num. 3.*, *Fargn. de Jurepatron. part. 2. can. 27. cas. 14. num. 4.* Hanc autem regulam verificari in Beneficiis Ecclesiasticis, atque idcircò potiori jure admitti debere existimant in præsenti casu, quo de Capellaniis laicalibus agitur, *Rot. coram Penia dec. 125. fere per tot.*, *& in Hispalen. Capellaniæ 29. Novembris 1726. §. At verius coram Card. Calcagnino*. Facile verò deprehendi, descendentes ex iisdem Familiis exemptos fuisse ab onere assumendi Sacerdotium, licet Octavia, quæ illos præferri mandavit, usa fuerit hoc vocabulo *qualche Sacerdote*, cum ex eo inducta minimè censeatur qualitas Sacerdotalis, utpote quia idem vocabulum convenire potest etiam Clerico, non solum dum res est de Capellania laicali, sed etiam de Beneficio Ecclesiastico *Rota coram Merlin. decis. 825. num. 12.*, *& coram Tanar. decis. 197. num. 9.*.

Nec Sacerdotalis dijudicari debet Capellania, nisi expresse injun-

injuncta Capellano fuerit obligatio celebrandi per se ipsum, & vetita per alium celebratio *Fargn. de jurepat. par. 2. can. 27. cas. 14. num. 18 & seq., Rot. in recent. dec. 535. num. 27. & seq. par. 19. tom. 2.*

Neque officere, quod Octavia vernaculo sermone *Sacerdotem* nominaverit, quia verbum *Sacerdotis* italicè prolatum aptius comprehendit etiam simplicem Clericum *Card. de Luca de Benefic. disc. 61. num. 11.*, Sacra Congregatio in *Nepesina Capellaniæ 16 Novembris 1708. ad I. dubium*. Maxime quia alia etiam vocabula usurpavit, quæ Sacerdotalem qualitatem excludunt, nempe = *qualche Giovine = il Chierico = un Soggetto*. Hinc quamvis Octavia Sacerdotium requisierit in extraneis, non tamen eamdem qualitatem requisivisse censeri potest in descendentibus ex Familiis prælativè vocatis, quibus legem non imposuit assumendi Presbyteratum, statim ac ad ætatem annorum 25. pervenissent; atque idcirco ex discretivo loquendi modo, & ex diversa disponendi ratione, diversa quoque voluntas desumitur *Piton. de controv. Patronor. allegat. 42. num. 10., Rot. cor. Molin. decis. 825. num. 20.* Accedere etiam, quod descendentes ex memoratis Familiis magis dilexit, quam extraneos, tum ob sanguinis conjunctionem, tum ob prælationem ipsis tributam, unde onus assumendi Sacerdotium extraneis impositum ad eosdem descendentes trahi non potest, cum præsertim ipsos in separata oratione prætulerit *Rot. dec. 299. num. 18. & seq. part. 15 recent.*

Et revera observant, quod quando aliquod onus injungere voluit Octavia omnibus Capellanis non solum exteris, sed etiam Consanguineis, tunc verbis non ambiguis usa est, ut ex demandata utrisque Missarum celebratione deprehenditur. Perperamque a Sodalitio proferri exemplum Clerici Joannis Philippi Pampinoni, cum isti injuncta expresse non fuerit obligatio assumendi Sacerdotium, sed solùm impertita facultas celebrandi per alium, quatenus per ætatem ipse non valeret; & hæc circumstantia præceptum assumendi Ordinem Presbyteratus non præseferat *Rota coram Lancetta dec. 829. num. 17., & seq., & in Majoricen. Beneficii 7. Julii 1741. §. 7. coram Canilliac*. Addunt, erectionem Capellaniarum factam tantummodo ab Octavia fuisse, ejusque posteriori declarationi esse inhærendum; proindeque minus rectè conqueri Sodalitium de peracta erectionis immutatione. Verùm affirmant, uti Octaviam potuisse facultate variandi Exequutoribus a Testatore tributa *Mayet de commut. ultim. volunt. cap. 5. num. 59., & seq.*, quæ quidem facultas per obitum unius ex Exequutoribus tota in alterum coaluit *Cap. Religiosus §. Sive de testam. in 6.*, & hanc facultatem cognitam, admissamque fuisse a Tribunali A. C., cujus sententia a So-

a Sodalitio acceptata prælationem tribus Familiis adjudicavit.

Recurrunt ulterius ad observantiam, qua constare asseritur, non unum tantùm, sed plures ex Familiis Pampinoni, Bertolazzi, & Ugolini Capellanias per longum tempus rei inuisse, absque eo quod ad Sacerdotium unquam ascenderint: Hanc autem observantiam quodlibet dubium, si adesset, super Capellanorum libertate removere *Rota coram Card. Crescentio dec. 76. num. 35., & seq.*. Ad inducendam verò observantiam interpretativam unicum quoque actum sufficere *Rocc. disput. jur. select. cap. 170. num. 25.*, ideoque satis esse retentionem Capellaniæ a Joanne Philippo Pampinoni expletam; & hunc quidem actum liti causam dedisse negant: Præsertim quia dum idem Joannes Philippus ad legitimam ætatem pervenit, superstes adhuc erat Octavia, quæ illum non adegit ad Sacerdotium assumendum, sed immò Capellaniam ipsi denuò contulit. Quare si alii addantur actus ante motam litem gesti, majoris roboris, & firmitatis observantiam comprobari. Ad hanc denique observantiam referunt silentium, quod retroactis temporibus a Sodalitio servatum fuisse dicunt; & inde concludunt, non eam fuisse Octaviæ voluntatem, ut descendentes ex tribus prædilectis Familiis simplici prælatione gauderent, sed ab onere etiam assumendi Presbyteratum eximerentur.

Posita itaque exemptione ab onere suscipiendi Sacerdotium contendunt ad II. dubium, multo magis descendentes a tribus prædilectis Familiis exemptos fuisse ab obligatione adimplendi onera per se ipsos, prout etiam observantia comprobari affirmant. Advertunt tamen, inopportunam esse præsentis dubii disputationem, quia onus hujusmodi ne exteris quidem Capellanis injunctum legitur, atque idcircò cum expressum deficiat præceptum, jure possint per alios Sacerdotes Missarum celebrationi, aliisque oneribus satisfacere *Rota coram Falconer. tit. de Jurepatr. dec. 7. num. 4., & in Majoricen. Collegiatæ 26. Aprilis 1743. §. 19., & seq. coram de Thunn*. Idque etiam observantia compertum esse, quæ si exteris Capellanis favet, potiori ratione descendentibus ex memoratis Familiis favere debet.

Paucis se expediunt a III. dubio, asserentes, pœna in casu contraventionis affectos tantùm fuisse exteros Capellanos, nec ad prædilectos trahi posse, qui sub lege pœnali comprehensi expresse non fuerunt. Cæterùm si istos etiam pœna afficeret, existimant, tunc solùm eam incurrere, quando neque per se, neque per alios onera adimplerent, cum ea inflicta fuerit, ne Fundatoris Anima Sacrificiis fraudaretur.

At-

Atque hæc sunt, quæ præter alia in præterita propositione deducta, suggerunt Familiarum Defensores; & quemadmodum tam in declaratione Octaviæ, quam in observantia potissima causæ fundamenta constituunt, idcirco seriò ponderandum, quid Octaviæ declaratio præseferat, an observantia probetur, & an descendentibus ex prædilectis Familiis suffragari valeat. Reliqua habent Emi PP. exposita in priori folio, quod rogantur resumere, ut definiant

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

II. *An Capellani teneantur per se ipsos onera adimplere, in casu &c.*

III. *An, & quomodo in casu inadimplementi sit providendum, in casu &c.*

Non proposita, cum reliquis.

CAMERINEN. CATHEDRATICI. Ad tramites providæ Benedictinæ Constitutionis incipientis = *Pastoralis Officii*, unita anno 1736. fuerunt Præbendis Theologali, & Pœnitentiali Cathedralis Camerini nonnulla Beneficia simplicia cum respectivis eorum titulis. In unione autem Beneficiorum præ cæteris Cathedratici onus expressum fuit, illudque omnino præstare professi sunt ipsimet Canonici, a quibus unio fuerat obtenta. Elapso vix quadrimestre, ac Sede Episcopali vacante, Canonicus Theologus alia quatuor Beneficia simplicia, decreto Vicarii Capitularis, suæ Theologali præbendæ uniri curavit. Denique ob expositam ab eodem Canonico redituum tenuitatem, aliorum etiam Beneficiorum unionem reportavit, ita quidem ut annui Præbendæ reditus, qui scuta 35. non excedebant, ad annua scuta 300. adaucti fuerint. Quamvis pro hujusmodi Beneficiis unitis Cathedraticum ab antecessoribus Beneficiatis semper fuerit persolutum, illud tamen post sequutam unionem rependere detrectarunt Canonicus Mancini Theologus, & Canonicus Flaminii Pœnitentiarius, illudque præstare modo renuunt Canonici Vivani, & Carducci eorum successores. Hac itaque de causa Promotor Fiscalis illos in judicium vocavit, & modò instat pro resolutione dubii, quod EE.VV. sapienti judicio subjicitur. *Sess. 24. cap. 3. de Reform.*

Inquit enim, omnes Beneficiatos teneri ad solutionem Cathedratici erga proprium Episcopum in signum subjectionis, & in honorem Sedis Episcopalis. *Cap. Conquerente de Officio Ordinar.*, *& Cap. Pastoralis de donat.*. Idque etiam pro

pro Beneficiis simplicibus, cum eadem quoad ista honoris, & subjectionis ratio concurrat. *Abbas in Cap. Conquerente num.1.*, *Barbos. de Jure Ecclesiastico lib.3. cap.20.*, Sac. Congregatio *in Albinganen. Cathedratici*, 3. *Decembris* 1744. Inferunt ex his, Canonicos Vivani, & Carducci compellendos esse ad solutionem Cathedratici pro iis omnibus Beneficiis, quæ Prædecessores eorum respectivis præbendis uniri obtinuerunt. Et quamvis ex speciali Summi Pontificis privilegio quælibet Ecclesia, & quodvis Beneficium ab Episcopi jurisdictione, & Cathedratici solutione eximi possit, id tamen numquam præsumi debere dicit, nisi expressum exemptionis privilegium exhibeatur. *Cap. Cum Instantia tit. de Cens.*, *Cap. Accedentes de præscription.*, *Card. de Luca de Jurisdict. discur.38. num.1. & seq.*. Observat autem, non modo nullum exemptionis monumentum hactenùs exhibitum fuisse, sed potiùs plures adesse Synodales Dicecesis Camertis Constitutiones annorum 1726, & 1748, quæ Cathedratici solutionem omnino præcipiunt. Animadvertit ulteriùs, non nisi per injuriam obligationem solvendi Cathedraticum in discrimen modo revocari posse, cum in relatione status activi, & passivi Beneficiorum pro obtinendis unionibus Episcopo exhibita, onus quoque Cathedratici descriptum fuerit. Accedere sollemnem obligationem solvendi Cathedraticum a Canonico Mancini emissam, dum Beneficiorum unionem reportavit: Nec prodesse, quod in quibusdam decretis unionum factarum Præbendæ Theologali nihil in specie de Cathedratico cautum inveniatur, cùm sufficiant solutiones a Prædecessoribus expletæ, nec quisquam ab hujusmodi præstatione eximi valeat, nisi per violationem legis unionum, quæ semper factæ censeri debent cum omnibus honoribus, & oneribus, & absque alterius præjudicio, *Cap.2. de Religiosis domibus*, *Rot. decis.69. num.7. part.1. rec*, *& coram Caprar. decis.131. num.10.*

Neque ob sequutam Beneficiorum unionem Præbendis Canonicalibus onus Cathedratici extinctum præsumi posse affirmat; cum enim per unionem exempta beneficia non evaserint ab aliis Missarum, & Decimarum oneribus, multo sane minus eximi potuisse dicit ab onere Cathedratici, quod ex ipso actu erectionis Beneficiorum oritur, eique semper inseparabiliter inhæret, neque ab Episcopo in totum remitti valet *Cap. Pastoralis de donat.*, *Abb. in Cap. Exposuisti num.7. de Præbend.*. Æquum quippe putat, ut qui ab Ecclesia stipendia recipit, Ecclesiæ etiam Moderatori, ejusque Cathedræ aliquod tributum in signum honoris, & subjectionis persolvat, *Cap. Nulla ratione 8. distinct.93.*, *Panormit. in Cap. Pastoralis de donat. num.7.*, idque procedere etiamsi Beneficiorum unio favore Capituli sequuta fuisset, *Rot. in Tuden. Cathedratici decis. 227.*

§.17.

§.17. *coram Cardinali Millino*, & Sacra Congregatio *in Cathacen.* 21. *Maii* 1644. Quin obijci possit, quod Canonici duplici Cathedratici solutione gravarentur: Sustinet enim nullam adesse repugnantiam, quod ipsi utpote Canonici simul, & Beneficiati distinctum solvant Episcopo Cathedraticum, quando constat, Beneficia non fuisse unita massæ Capitulari, pro qua Canonici Cathedraticum in comuni persolvunt, sed particularibus Prebendis, nec illorum titulus fuit extinctus, ut advertit *fa. mem. Benedictus XIV. de Synodo Diœces. lib.* 5. *cap.* 7. §. 3.

Dubitari autem non posse dicit de sequuta Beneficiorum unione cum eorum respectivè titulis favore tantùm Præbendæ Theologalis, & Pœnitentiariæ, quia id apertè eruitur ex decretis unionum, in quibus singulorum Beneficiorum titulus inscriptus deprehenditur. Cum itaque Beneficia Præbendis unita, in titulum collata fuerint, censendum ac si cuilibet Clerico, & Beneficiato in titulum fuissent concessa; & quemadmodum isti Cathedraticum omnino solvere deberent, ita etiam ab illis persolvi omninò debere contendit. Nec sufficere oblationem unius libre ceræ, quam pro quodam Beneficio sub titulo S. Margharitæ suę Præbendæ unito Canonicus Theologus Mensæ Episcopali rependit: Advertit enim, integrum Cathedraticum persolvi oportere, non obstante quacumque Canonis solutione, *Sac. Congregatio in Asculano Cathedratici* 22. *Maii* 1734., *& in Perusina Cathedratici* 19. *Novembris* 1735.. Nec prodesse diffugium mutuatum ex regula, quod auctis Beneficiorum reditibus, Cathedraticum augeri non debeat, cum hujusmodi regula locum habeat, quando agitur de augumento ex ipsis met Beneficiorum bonis obvento, non autem quando res est de augmento bonorum, quod supervenit per adjectionem aliorum Beneficiorum, quę Cathedratici oneri antea subjiciebantur.

Hęc quoad primam Dubii partem. Quo verò ad secundam contendit, Cathedraticum deberi a die adeptæ per Canonicos Beneficiorum possessionis: quia sicuti ab ea die acquirunt Beneficiati jus percipiendi reditus, ita illa met die jus Cathedræ Episcopali acquiritur exigendi honoris, atque subjectionis tributum; Idque pluries decisum ab hac Sacra Congregatione, & signanter in *Amalphitana Cathedratici* 26. *Februarii* 1707. *ad I. Dubium*. In nihilum refragante quod ab Episcopo Antecessore nunquam fuerit perceptum, quia Cathedraticum utpotè debitum in signum jurisdictionis, & in honorem Cathedræ Episcopalis, nec præscribi potuit, nec ab Episcopo remitti *Barbos de Officio, & potest. Episcoporum alleg.* 86. *num.* 44. *Pignattel. consult.* 8. *num.* 6. *tom.* 6., & jus illud percipiendi translatum fuisse in hodiernum Episcopum etiam vir-

tute cessionis ejus favore factæ a san. mem. Clemente XIII. de omnibus fructibus, qui tempore obitus sui Antecessoris inexacti remanserunt. Denique quantitatem Cathedratici præfiniendam esse confidit ad formam decreti Episcopi Terelli post Concilium Romanum evulgati, nec non Synodalium Constitutionum Episcopi Vivani, & hodierni Episcopi, in quibus omnibus juxta taxam Concilii Romani persolvenda præcipitur.

Ex alia Parte nihil hactenùs deductum est.

Episcopus in sua relatione censet, Canonicos Theologum, & Pœnitentiarium teneri ad solutionem Cathedratici a die adeptæ possessionis pro singulis Beneficiis unitis, habito etiam respectu ad distinctos illorum fructus: Hæredes autem Canonicorum antecessorum adigendos esse ad solutionem ab anno 1746. usque ad eorum obitum respective, attenta concessione fructuum Mensæ Episcopalis, quam ipse a s.m. Clemente XIII. reportavit.

Inter cætera Episcopalia jura Cathedraticum potissimùm recensetur, illudque singulis annis ab omnibus Ecclesiis, & Beneficiatis Episcopo præstari debet in signum honoris, & subjectionis Cathedræ Pontificali. *Cap. Placuit* 10., *& Cap. Conquerente de offic. Ordinar.* Debetur autem Episcopo a die adeptæ possessionis suæ Ecclesiæ, prout definiit Sac. hæc Congregatio in *Amalphitana Cathedratici* 5. *Septemb.* 1705., *& in Cassanen.* 21. *Martii* 1625., nullo habito respectu ad Synodum. Quamvis enim Cathedraticum in Synodi celebratione persolvatur, quemadmodum advertit san. mem. Benedictus XIV. *de Synodo Diœcesana lib.* 5. *cap.* 7., non est tamen ita affixum Synodo, ut extra Synodum cesset obligatio illud persolvendi, cum semper urgeat eadem reverentia, & subjectionis ratio, propter quam Cathedratici præstationem jura præscribunt. Hinc in Synodo Avenionensi anni 1366. decretum fuit, ut non solùm Cathedraticum illius anni, sed etiam pro tempore præterito ante Synodi dimissionem integre Episcopo persolveretur. Quod tamen intelligendum est, nisi adsit longæva, & legitimè præscripta consuetudo illud non solvendi nisi in Synodo, quia quamvis consuetudo jus non tollat, potest tamen aliqualem quoad tempus solutionis variationem importare, ita quidem, ut non singulis annis, sed solùm in Synodo congregata persolvi debeat. Servatur enim honor Cathedræ, quoties Cathedratici solutio perseverat, quæ præscribi nunquam potest, prout observat *Marsobius de Synodo cap.* 4. *dub.* 33., *& san. mem. Benedictus XIV. eodem tit. cap.* 7. §. 8.

Videndum tamen, an unicum Cathedraticum a toto Canonicorum, & Beneficiatorum cœtu, seu potiùs ab unoquoque singillatim persolvi debeat. Hac in re notandum, quod si Canonici, & Beneficiati sustentantur ex massa communi,

ni, ex eaque unasquisque suam percipit partem, tùnc unicum Cathedraticum rependere sufficiat, quemadmodum statuit *Concilium Romanum tit.* 8. *cap.*4. his verbis = *Ab Ecclesiis vero, ubi plures de massa participant, ab omnibus in communi julii viginti, salvis tamen consuetudinibus Ecclesiis, & Episcopis magis favorabilibus, persolvantur*. Si vero Beneficiati, prçter portionem, quam ex massa communi retrahunt, alia etiam Beneficia simplicia obtineant, ex his omnibus Cathedraticum Episcopo solvere debent, prout advertit laudatus Pontifex *Benedictus XIV. in Synodo Diæcesana citato cap.*7. *§*.5.. In *Tolentina Cathedratici*, cum tria Beneficia simplicia Theologali prçbendç unita fuissent, & Sacerdos Antonius Mogonzelli Theologus Cathedraticum pro his Episcopo rependere recusaret, proposito dubio = *An, & in qua summa Canonicus Theologus solvere teneatur Cathedraticum Mensæ Episcopali etiam pro Beneficiis unitis Præbendæ Theologali, in casu &c.* = Sacra hçc Congregatio die 14. *Martii* 1739. respondit = *Affirmativè in summa præscripta a Concilio Romano, & amplius* = & in *Amalphitana diei* 26. *Februarii anni* 1707. cùm quçsitum fuisset = *An Cathedraticum sit solvendum a Parochis ratione Parochiæ tantùm, quam possident in titulum, vel potius ratione etiam Beneficiorum eisdem Parochiis unitorum* = responsum pariter fuit = *Affirmativè, & amplius*.

Quo verò ad quantitatem statutum est, ut duo solidi persolvantur, & in Concilio Romano julii viginti monetæ romanæ fuerunt pro solidis prçfiniti. Cçterùm sicuti Concilium Romanum non fuit Æcumenicum, nec certam quoad omnes Diœceses regulam constituere potuit, idcirco a peculiaribus cujusque Diœcesis statutis, & a consuetudine rem totam dimetiendam existimat *Barbos. de Officio, & Potestate Episcopi allegat.* 83. *num.*84., & *fan.mem. Benedictus XIV. in Synodo Diœcesana cap.*7. *§*.1.

His sedulo perpensis, dignabuntur Eminentissimi PP. decernere

An, & a quo tempore, & in qua annua summa debeatur Cathedraticum pro Beneficiis unitis Præbendis Theologali, & Pœnitentiariæ Cathedralis, in casu &c.

Sess. 24. cap. 6. de Reform.

ARETINA DISPENSATIONIS. In Testamento disposuerat Eques Angeluccius de Angeluccis, ut universa sua hæreditas cederet in dotem, seù mansum Episcopalis Cathedrę Castilione erigendę. Prævidens tamen casum, quo ad hujusmodi erectionem deveniri non potuisset, tùnc mandavit, ut quatuor ex suis bonis hæreditariis instituerentur Canonicatus in Collegiata Ecclesia Castilionis, & hos inter eorumdem bonorum fructus ęquis partibus dividerentur. Onus autem imposuit novis Canonicis celebrationis Missę quotidianę cum applicatione Sacrificii, nec non interessendi Choro singulis diebus festivis. Patronatum activum primùm contulit Catharinæ Bernardi Uxori suæ, & Joanni Baptistæ Fucini ex Sorore Nepoti, deindeque deferri voluit ad eorum Filios, hæredes, ac successores in infinitum. Patent hæc omnia ex Codicillis, quæ inter monumenta causæ recensentur.

Juxta hanc dispositionem ad erectionem Canonicatuum deventum est: Cumque Catharina Testatoris Vidua iterùm nupserit in Domo Landuccia Senensi, in hanc proinde Familiam transiit jus nominandi ad binos ex memoratis Canonicatibus, de quibus in præsenti quæstione non est sermo. Reliqui duo Canonicatus ex fundatione Angeluccia, eorumque Patronatus mansit penes Margharitam unicam Joannis Baptistæ Fucini filiam, & hæredem. Hæc matrimonio juncta fuit cum Augustino Velluti, duosque, ut asseritur, suscepit filios, Equitem scilicet Camillum, & Raphaelem, quorum uterque novæ Familiæ caput fuit, & illa quidem Equitis Camilli Castilione moratur, altera verò Raphaelis in Civitate Cortonæ permanet. Verùm quia Margharita communis Mater Patronatum duorum Canonicatuum in testamento reliquerat Hieronymo Velluti ex Raphaele Filio Nepoti; hinc Camillus jura sua super Patronatum deducere, & maternam dispositionem impugnare non prætermisit.

Res tamen transactione composita fuit, qua anno 1757. conventum extitit, ut Patronatus jura tam activa, quam passiva eorumdem Canonicatuum, nec non alterius Canonicatus antiquioris erectionis, & Officiaturæ nuncupat. *Angelucci*, perpetuò imposterùm manerent in Familiis Hieronymi, & Equitis Camilli, cum reciproca inter has Familias successione, exclusis fœminis per modum regulæ. Passiva tamen vocatio ita dispertita est, ut in casu vacationis Beneficium assequeretur unus ex ea Familia, ad quem illa vice juxta præfinitum turnum pertineret: Sed si nullus ex ea Familia idoneus inveniretur, alius tunc ex altera Familia subingrederetur. Et pro majori istius conventionis intelligentia Transigentes declararunt = *Intendendo ancora d'aver dichiarato solamente quanto*

sopra

sopra per il solo motivo, ed effetto, che sempre detti Canonicati vogliono, che non possino uscire dalle respettive loro Compatrone Velluti, essendovene, e volendosi accettare; e non essendovene, e non volendosi accettare, in tal caso detti Signori Compatroni vogliono, aebbano presentarsi persone estranee tra di loro alternativamente, e per turno, qual turno deva incominciare dalla linea, e discendenza del Signor Girolamo di Raffaelo, e da quella linea, e discendenza, che toccherà secondo il detto turno la nomina di detto Estraneo, possa indipendentemente dall'altra presentarsi il medesimo Estraneo, e questa sia tenuta aderire ad una tale presentazione = Transactio hæc inita fuit sub reservatione Beneplaciti Apostolici, quatenus de jure requireretur, quod tamen non constat fuisse unquam reportatum.

Vacavit mense Aprilis anni elapsi una ex Præbendis Canonicalibus postremæ erectionis, & Margharita Mucciarelli Vidua Hieronymi Velluti, utpotè à Raphaele causam habens, existimans, nullum idoneum reperiri in familia Velluti, qui illum assequi posset, nominavit Sacerdotem Andræam Zucchini, & hanc nominationem ex intervallo confirmavit Nicolaus Venuti Alfisi, tanquam filiorum Margharitæ Curator. Verum Joannes Baptista Velluti è linea illius Familiæ, quæ Castilione moratur, nominavit Camìllum filium suum sub conditione Clericatus, & obtinendæ dispensationis super defectu ætatis. Et sanè supplex nomine ejusdem Camilli oblatus est Ssmo D.N. libellus, sed remissus fuit ad S.Congregationem, quæ votum Vicarii Capitularis exquisivit. Post hæc tamen dictus Vicarius Capitularis Sententiam protulit die 9. Novembris anni præteriti, qua ad Canonicatum institui mandavit Sacerdotem Zucchini, utpoté quia Camillus dispensationem ab Apostolica Sede infra legitima tempora non reportaverit. Nihilominus incæptam pro dispensatione instantiam prosequutus Joannes Baptista Camilli Pater, dubium in calce transcriptum definiri supplicat.

Inquit enim, satis constare, Camillum infra legitima tempora fuisse a vero Patrono præsentatum sub expressa dispensationis reservatione, proindeque deneganda eidem non sit dispensatio, cum adimpletis oneribus nullum Ecclesiæ, divinoque cultui præjudicium irrogetur *Vivian. de Jurepatr. lib.6. cap.6. num.9*, *Rot. in Compostellana Beneficii* 14. *Aprilis* 1752. *§.7. coram Cardin. Bussio*. Prǽsertim quia intercessit transactio, cujus virtute unus ex Familiis Velluti, exclusis penitus extraneis, nominari debet; quam quidem circumstantiam tanti ponderis esse dicit, ut non solum ea de causa facilius dispensatio concedi, sed neque pro Dignitatibus unquam denegari consueverit *Corrad. in prax. dispensat. lib.4. cap.2. num.8.*, *Piton, in Parerg.*

rerq. ad discept. Eccles. num. 15. *&* 16. , & in fortioribus terminis sæpius declaratum fuisse a Sacra Congregatione , ut in *Collen. Capellaniæ* 12. *Decembris* 1716. , *&* 24. *Aprilis* 1717. , *& in Cathacen. Dispensationis* 11. *&* 25. *Jan.* 1738. , & alibi .

Spernendam verò nominationem a Margharita factam , quæ nullitatis vitio infecta noscitur , cum ipsa careat jure nominandi , quod Senioribus tantùm masculis fuit in transactione reservatum *Lambertin. de Jurepatr. lib.* 1. *part.* 2. *art.* 33. *quæst.* 2. *in fin.* , *Rot. in Leodien. Pastoratus* 10. *Maii* 1754. *§. final. cor. Card. Caprara* . Et quamvis valida supponi vellet nominatio, nil tamen aliud ex ea desumere posse sustinet Sacerdotem Zucchini, quam jus mere eventuale , & in spe , quod ineptum est ad impediendam dispensationem , cum ad hunc effectum requiratur jus certum , & actu quæsitum *Card. de Luc. de Jurepatr. discur.* 70. *num.* 17: Maximè dum adhuc currit quadrimestre , quia tunc ratio haberi non debet præjudicii eventualis tertio obventuri ex dispensatione , quæ passivè vocato tribuatur *Piton. discept. Eccles.* 13. *num.* 41. , & quandò nullus alius de sanguine existat, qui Canonicatum efflagitet, quique proindè Camillo necessario adiudicari debeat .

Addit, Testatorem nullam præscripsisse ætatem , aut qualitatem ; atque idcircò quousque adsit aliquis de Familia , qui ope dispensatiois Canonicatum assequi valeat , nullum omnino jus Sacerdoti Zucchini acquiri potuisse *Rot. in Tusculana Canonicatus* 29. *Maii* 1756. §. 6. *ad* 8. *coram R. P. D. Stadion* . Neque in præsenti casu causam agi inter duos æque vocatos , sed inter Camillum passivè vocatum , & Sacerdotem Zucchini penitùs extraneum , & nulliter præsentatum ; undè in concursu descendentis , & extranei , facilius consuevit Apostolica Sedes consanguineo dispensationem petenti indulgere *Piton. de controv. Patron. allegat.* 25. *num.* 11. ; idque cohærere præsumptæ Testatoris voluntati , ex qua validum in jure argumentum desumitur *Leg. Tale pactum, gloss. ad fin. ff. de pact.* , *Piton. alleg.* 1. *n.* 13.

Demùm observat , ex testimonio Canonicorum Collegiatæ resultare , ad præbendam , de qua agitur , fuisse olim institutum non solum Juvenem , sed etiam Pupillum , absque eo quod ullum Ecclesiæ præjudicium obvenerit : Atque idcirco consuevisse Capitulum consentire precibus Canonicorum , qui studiorum causa abesse a residentia postularent . Resultare etiam aliqualem rei familiaris angustiam Familiæ Velluti Castilionensis , atque hisce depositionibus contra proprium commodum a Capitulo emissis plurimùm esse adhærendum *Rot. in Posnanien. Parochialis* 1. *Julii* 1757. §. 7. *coram Card. Bussio* . Testimonio autem

Ca-

Capituli de angustiis Familiæ Velluti conformem esse depositionem Priorum Universitatis Castilionis, qui etiam exoptant, ut excluso Sacerdote Zucchini, Canonicatus Camillo conferatur. Despiciendam verò Vicarii Capitularis relationem, quia durum nimis esset, si contra Fundatoris mentem, & Transigentium placita ab assequutione Canonicatus Camillus arceretur.

Contra verò Sacerdos Zucchini monstruosum nimis fore dicit, si in Canonicorum cætu Puer recenseatur *Cap. Super inordinata* 25., *gloss. verb. Pueri de Præben.*, proindèque nonnisi ex urgentissima causa dispensationem impertiri debere *Cap. Tali*, *& Cap. Innotuit* §. *Multa de elect.* Et hanc causam, dum de canonicatu agitur, vel respicere debere publicum bonum, vel magnam Ecclesiæ utilitatem, vel maximam personæ dignitatem *Sperell. decis.* 109. *num.* 25.. Has verò causas in præsenti casu deficere, cum in supplicatione SSmo D. N. porrecta non aliud expositum fuerit, nisi quod in præjudicium Camilli passivè vocati, & contra Testatoris, ac Transigentium conventionem præsentatus fuerit extraneus, & quod Familia Velluti aliqualem patiatur angustiam. Utramque verò causam privatam, non publicam utilitatem præseferre.

Advertit autem, nominationem a se ipso reportatam consonam esse tum Fundationi, tum Transactioni. Ac fundationi quidem, quia deficiente Instrumento (prout Vicarius Capitularis asserit) inhærendum sit juris dispositioni, ac proindè existimandum, quod primario habitus fuerit respectus ad divinum cultum, Ecclesiæque servitium, secundario verò ad commodum eorum, qui passivè vocati sunt. Hoc autem posito, sustinet, vocationem passivam præseferre tacitam conditionem in vocato, ut per se ipsum inserviat *Leg. Ut gradatim vers. Etsì ff. de muner.*, *Piton. de controv. Patron. alleg.* 68. *num.* 6., *& seq.* . Cum itaque de tempore vacationis inhabilis esset Camillus, contendit nulla ratione obstringi potuisse Patronos ad expectandum tempus, quo idoneus fieret, sed liberum ipsis fuisse devenire ad nominationem alterius subsidiarie vocati, atque etiam extranei, qui statim Ecclesiæ inserviret *Card. de Luc. de Jurepatr. disc.* 20. *num.* 26., *Rot. in Camerinen. Canonicatuum* 2. *Junii* 1725. §. *Neque huic cor. Card. Calcagnino*.

Transactioni etiam conformem esse suam nominationem affirmat, cum Transigentes idoneitatem in iis, qui prelativè vocati essent, exprefsè requisierint per hæc verba = *essendovi capace*, *e volendola accettare* =, atque etiam per alia = *uno della linea più abile*, *e capace* = & in istius defectu extraneum substituerint. Conditionalem autem consanguinei vocationem, & subsidiariam extranei substitutionem, idoneitatem importare tempore vacationis, itaut in

in concursu Consanguinei inhabilis, extraneus habilis præferatur *Barbos. claus.* 151. *num* 2., cum habilitas non a lege, sed ab homine requisita sit, *Rocc. disp. jur. select. cap.* 190. *num.* 16., & 17., *Rot. in Aretina Beneficii* 24. *Januarii* 1735. §. 11. *coram Peralta*. Idque ipsum exemplo comprobat, nam cum de tempore transactionis in una ex Familiis Velluti adesset puer annorum quatuor, qui dispensationem obtinere potuisset, non tamen hic fuit nominatus, sed nominatio collata fuit Joanni Baptistæ Velluti, cujus renunciatio substitutionem aperuit favore extranei Sacerdotis Gnagnoni.

Perperam itaque Camillum conqueri de præjudicio sibi illato ob extranei præsentationem, perperamque etiam ad obtinendam dispensationem suæ Familiæ paupertatem proponere. Siquidem ex publico Civitatis Cortonæ Æstimo, quod plenam constituit probationem, *Mascard. de probat. concl.* 273. *num.* 10., resultare dicit, istius Familiæ patrimonium pinguius esse patrimonio alterius Familiæ Velluti Castilionensis, & ad summam sc. 4822. 3. 3. pertingere; magisque etiam augebitur ex adiectione commendæ S. Stephani, quæ deinceps Camillo obveniet, quemadmodum testatur Vicarius Capitularis, cujus relationi plurimum deferri debet *Rot. coram Crispo dec.* 205. *num.* 18.

Ex his arguit Sacerdos Zucchini, nullam in præsenti casu concurrere dispensationis causam, cum tamen contra expressam Fundatoris, & Transigentium voluntatem, & in præjudicium juris jam alteri quæsiti nonnisi quam publica causa attendi debeat *Rot. coram sa. mem. Clemente XIII. deci.* 308. *num.* 18. Dubitari autem non posse de jure sibi jam quæsito ex præsentatione, quæ Camilli nominatione, & Vicarii Capitularis sententia confirmari promeruit *Rot. coram Tanar. decis.* 40. *num.* 11. Inanem quoque fuisse contendit Camilli nominationem, ac prorsus resolutam, utpotè quia purificata infra quadrimestre non fuit conditio reportandi dispensationem *Garz. de Benef. part.* 7. *cap* 1. *num.* 28., & *seq.*. Nec prodesse, quod infra tempus habile preces exhibitæ fuerint, cum sola libelli exhibitio cursum temporis præpedire non valeat.

Vicarius Capitularis visis juribus, & instrumento transactionis (cum fundationem minimè reperiri asseveret) ex eo deprehendisse affirmat, Familiam, ad quam nominatio per turnum spectat, præsentare etiam posse extraneum, si nullus in ea Familia reperiatur, qui velit, aut possit Canonicatum assequi. Hac ergo de causa, nec non ratione etiam incongruentiæ, posterioris Camilli nominationis, defectus ætatis, & paupertatis, suam sententiam tuetur, & Sacerdoti Zucchinio favet.

Ætatis venia, quando agitur de passive vocato, præsertim unico,

unico, facilius concedi solet etiam pro beneficiis, ut exemplo de puero trimo, de quatrienni, & quinquenni animadvertit folium Causæ, cui titulus *Veruliña Archidiaconatus* 30. *Januarii* 1768. §. *Ætatis*. Pia enim Mater Ecclesia, etiam juxta verosimilem Testatorum voluntatem, non nihil tribuendum censuit Consanguineis eorum, qui bona sua Ecclesię obtulerunt; ac prǽterea ut hoc modo alacriores Fideles ad divinum cultum evaderent, & ad Beneficiorum fundationes excitarentur. Verum in concedendis dispensationibus cautè ad nodum procedendum, ne jus tertii lædatur: quare in præjudicium remotioris jam præsentati, & qualificati, dispensationem proximiori denegandam censuit Sac. Congregatio in *Bojanen.* 16. *Julii* 1695., prout refert *Monacell. Formul. legal. pract. part.* 3. *primæ edit. tit.* 2. *formal.* 7. *num.* 11. Cæterum diversæ, quæ in quolibet casu concurrunt circumstantiæ, dispensationem aut concedendam, aut denegandam suadent.

In præsenti itaque casu seriò ponderanda est Testatoris voluntas, & conventio Transigentium, qui dum prælationem tribuerunt descendentibus ex familiis Velluti, expresse declararunt = *E non essendovene, e non volendosi accettare, in tal caso detti Signori Compatroni vogliono, devi presentarsi persone estranee*. In codicillis tamen Equitis Angelucci Fundatoris nihil de passiva vocatione dispositum reperitur. Querunt itaque Doctores, an passivé vocatus, & idoneus præpedire possit, quominus alter æqué vocatus, sed inhabilis ope dispensationis idoneus evadat, & quatuor distinguunt casus, qui fuse relati sunt in folio causæ, cui titulus *Perusiana Capellaniæ* exarato pro Congregatione diei 14. *Maii nuper elapsi*, quod opportunè videri poterit.

Ponderandum prætere, quod transactio anni 1757. stipulata fuit sub reservatione Beneplaciti Apostolici, quatenus de jure requireretur, sed nullibi constat, fuisse reportatum. Hinc videndum, an Beneplacitum necessarium fuerit ad validitatem actus, & an ejus defectus transactionem irritam reddere potuerit. Ulterius notandum, quod in transactione exclusæ fuerunt fæminæ per modum regulæ, hinc perpendendum, an inter filios defuncti Hieronymi Velluti, quorum nomine a Margharita Matre, & Nicolao Alfisi Contutore præsentatus fuit Sacerdos Zucchini, aliquis masculus adesset, in quo jus nominandi coaluerit. Denique animadvertendum, an satis probetur, qua die ultimus Canonicatus possessor obierit, ut quadrimestre computari valeat.

Omnibus itaque assueta maturitate perpensis Emi PP. diiudicabunt.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Sess. 25. cap. 5. de Reform.

PRÆNESTINA CONCORDIÆ. In Parochiali Ecclesia Oppidi S. Viti præter Archipræsbyteri præbendam, tria erecta sunt beneficia, unum sub titulo S. Caroli, alterum S. Nicolai, tertium vero sub invocatione B. Mariæ Virginis in Cælum assumptę, cui eadem Ecclesia dicata est. Postremum hoc beneficium erectum fuit ex bonis Josephi Pontiani, qui in testamento anni 1629. mandavit, ut sua Loca Montium venderentur, eorumque pretium erogaretur *nella Cappella Maggiore di S. Maria in detta Chiesa, in dote, e nome di dote di sc. 300., e di detti denari si debbano comprare tanti stabili*. Istorum autem bonorum fructus assignari voluit Sacerdoti, qui Capellæ inserviret; præcepitque hæredibus, ut emerent *Camice, Pianeta, e Calice, e tutto quello, che bisogna per parare il Prete, che servirà in detta Cappella per dir Messa*. Post obitum Josephi Testatoris Michael Angelus, Paulus, & Imperius ejus hæredes non solum bona compararunt, sed etiam aucta dote in scutis centum, beneficium Ecclesiasticum erigi curarunt cum onere unius Missæ qualibet hebdomada, & cum reservatione jurispatronatus favore suorum hæredum, & successorum.

Consueverat Archipræsbyter utensilia pro Missarum celebratione suppeditare tribus beneficiorum Rectoribus, qui è converso eidem in peragendis Sacris functionibus coadiuvabant. Consueverat præterea Archipræsbyter Sacra suppellectilia præbere etiam Sodalibus Societatis SSmi Crucifixi in dicta Parochiali erectæ pro implemento piorum legatorum; atque hi Archipræsbytero subministrabant oleum pro Lampade, cæram pro festivitatibus, aliisque functionibus, & præsertim cum Viaticum ægrotis deferretur, nec non mercedem Organistæ persolvebant. Verùm Sacerdos Franciscus Antonius Testa innixus generali quodam decreto edito in S. Visitatione a cl. mem. Cardinali de Gentilibus olim Prænestino Episcopo, quo Sacerdotes in aliena Ecclesia Missas celebrantes ad præstationem unius obuli in singulas Missas favore Sacrarii pro utensilibus adiguntur, cæpit & ipse tam a tribus Beneficiatis, quàm a Sodalibus SSmi Crucifixi hujusmodi præstationem exposcere.

Non leviter ex hoc commoti sunt Beneficiati, & Sodales; Et illi quidem a consueta assistentia Sacris functionibus recesserunt; isti verò quidquid Parocho rependebant, inposterum præbere detrectarunt: Atque hinc dissidia, & scandala, quæ tandem anno 1763. ope transactionis compescuit cl. mem. Cardinalis Lantes, dum Prænestinam Ecclesiam regeret. Conventum itaque in transactione fuit, ut Archipræsbyter annua scuta tria Sacristæ persolveret, ejusque præterea commodo relinqueret tertiam emolumentorum partem, quæ *incerta* nuncupantur, ac

præ-

præterea Sacrario assignaret tot bona annui reditus *sc.* 12. 69: ½, quæ cum aliis Sacrarii proventibus in comparationem, & Sacrorum Suppellectilium manutentionem erogarentur: Atque hæc suppellectilia conventum fuit, ut tam Beneficiatis, quàm Sodalibus SSmi Crucifixi pro Sacris functionibus præberentur.

Ex alia vero parte Sodales SSmi Crucifixi subministrare promiserunt ceram juxta solitum, & oleum pro lampade, nec non mercedem Organistæ persolvere. Beneficiati autem sese obstrinxerunt ad solutionem unius obuli pro qualibet Missa ad formam decreti Cardinalis de Gentilibus, & ad assistentiam in Sacris functionibus præstandam. Ut autem ex hoc aliquid commodi, & emolumenti caperent Beneficiati, statutum in eadem transactione fuit, ut ex emolumentis provenientibus a Missis cum cantu, tam perpetuis, quam adventitiis, cumulus, seu massa quędam constitueretur, additisque aliis scutis duobus in augumentum massæ a Sacrario Ecclesiæ contribuendis, æqua Archipræsbyterum inter, & Beneficiatos quolibet semestre pecuniarum partitio fieret, comprehensis punctaturis ex eadem communi Massa detrahendis. Ne autem de injuncto residentiæ onere Beneficiati conqueri possent, permissum ipsis fuit, ut alium in sui locum substituere possent, & dum per Substitutum inservirent, nihil de emolumentis amitterent.

Transactionem hujusmodi mutuo Partium consensu firmatam, decreto diei 14. Januarii 1764. ratam habuit, probavitque Sac. Congregatio, eamque insuper suprema auctoritate confirmavit sa. mem. Clemens XIII. per Apostolicas literas in forma Brevis expeditas *tertio nonas Octobris* 1765. Verùm cum post obitum Sacerdotis Alexii Battistoni beneficium sub titulo Assumptionis B. Virginis collatum fuerit Clerico Joanni Baptistæ Telli, istius Frater Hieronymus monitorium coram A. C. expedivit, quo declarari postulavit, eumdem Clericum nullimodè teneri transactionis pacta legesque servare. Hanc petitionem sapienti EE. VV. judicio ablegavit Emus Cardinalis Pro-Auditor SSmi, quare in conflictu Partium res modò definienda proponitur.

Inquit Hieronymus, qui Fratris nomine causam agit, & quodlibet transactionis caput impugnat, adigi non posse possessorem Beneficii Assumptionis ad solutionem unius obuli pro qualibet Missa, cum hujusmodi onus iniunctum fuerit vigore decreti cl. mem. Cardinalis de Gentilibus, cujus tamen autographum non invenitur, proindeque commentitium censeri debeat. Addit, quod etiamsi decretum subsisteret, ejusque exequutio probaretur, illud tamen afficere nunquam posset memorati Beneficii possessorem, tum quia nil quidquam pro utensilibus unquam per-

persolvit, tum etiam quia Testator suppellectilia pro Missarum celebratione comparavit, & culpæ Archipræsbyteri tribuendum sit, si illas consumpserit.

Observat insuper, Beneficiato nulla alia onera adiici potuisse præter ea, quæ in fundatione injuncta sunt *Amostaz. de caus. piis lib. 1. cap. 14. num. 8.*, *Rot. cor. Coccin. decis. 2185. num. 1., & seq.* Hinc præter onus unius Missæ qualibet hebdomada in fundatione expositum, sustinet, imponi in transactione non potuisse onus interessendi Sacris functionibus, quæ in Parochiali Ecclesia Oppidi Sancti Viti celebrantur. Maxime quia per novi hujusce oneris impositionem Beneficii qualitas, & natura immutata fuit, illudque de simplici factum est residentiale, ejusque Rectorem ita ad residentię legem adactum, ut nulla ratione ab ea excusari valeat. Hoc autem juris principiis adversari, quibus cautum est, ut quisquis ex legitima, justaque causa abesse possit, quamvis ad residentiam, & Ecclesiæ servitium jurejurando se obstrinxerit *Cap. Ex parte 13. de Cleric. non residen.*, *Gonzal. in comment. ad d. cap. num. 1.*

Nec attendendum, quod Beneficiatus antecessor transactioni consenserit, eamque Ordinarius quoque probaverit. Respondet enim, successores in beneficio non teneri onera subire ab antecessoribus acceptata *Lanfredin. respons. Eccles. 16. num. 27.*, *Garz. de Benef. part. 7. cap. 1. num. 11.* *Rot. cor. Bich. decis. 452. num. 35.* Ordinarii verò auctoritatem tanti non esse, ut nova onera post fundationem beneficio superaddita valeat approbare *Loter. de re Benef. lib. 2. quæst. 5 . num. 38.*, *Fargn. de Jurepatr. part. 5. can. 11. cas. 1. num. 2.* *Rot. coram Falconer. de Jurepatr. decis. 61. num. 5.*

Deceptam verò fuisse Sac. Congregationem, deceptumque etiam Summum Pontificem, qui transactionem confirmavit, cum narratum non fuerit, beneficium esse de jurepatronatus laicali, exiguique reditus, nullumque aliud in fundatione onus Rectori fuisse impositum, quam celebrationis unius Missæ qualibet hebdomada. Subreptam itaque fuisse contendit transactionis confirmationem, quia si hæc omnia exposita fuissent, vel nullo modo, vel difficilius confirmatio fuisset indulta *Rot. cor. Ludovis. decis. 2 num. 5.*, *& in Recen. decis. 65. num. 1. part. 3.* Advertit præterea, Patronum non fuisse interpellatum *Card. de Luc. de Jurepatr. disc. 66. num. 10.*, *Lotter. loc. sup. cit. quest. 8. num. 95.* Ac repetit, adiici non potuisse nova onera, nec beneficii naturam immutari tum ob redituum tenuitatem, tum etiam ob difficultatem inveniendi Præsbyterum vel Clericum, qui illud acceptare velit, tum denique ne Fideles a Beneficiorum fundatione retrahantur *Fargn. part. 2. can. 27. cas. 5. num. 4.*, *Rot. cor. Duran. decis. 78. num. 23.*

Vi-

Vitium verò subreptionis excusari non posse, ex quo tam Sac. Congregationi, quam Summo Pontifici qualitas beneficii de jurepatronatus laicali saltem in genere innotuerit. Observat enim, non sufficere genericam notionem, sed specialem omninò requiri *Piton. discept. Eccles.* 27. *num.* 7. *Rot. cor. Bich. decis.* 302. *num.* 7. Nec prodesse, quod in Litteris Apostolicis adjecta fuerit clausula *Non obstantibus &c.*, cum hujusmodi generalis clausula, aliæque similes aptæ sint ad removendum subreptionis vitium a beneficiis de jurepatronatu Ecclesiastico, secus verò si beneficium sit de jurepatronatu laicali *Covarruv. pract. quæst. lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 9., *Rot. in Recen. decis.* 114. *num.* 22. *part.* 9 *tom.* 1. Nec similiter relevare reflexionem desumptam ex augumento divini cultus, cum hujusmodi reflexio inefficax sit ad cogendum beneficiatum alia onera subire, præter ea, quæ in fundatione apposita sunt *Rot. in Tuderina servitiorum* 23. *Maii* 1737. §. 13. *cor. Frangipane*, *& in confirmatoria* 6. *Martii* 1758. §. 12. *cor. Emo Paracciano*.

Atque hæc quoad primam dubii partem, in qua de transactione agitur; Quo verò ad alteram, ubi quæritur de pæna, substinet, quod probata transactionis nullitate, & injustitia, immunis esse debeat Beneficiatus a pæna, si quidquid conventum in ea fuerit, non exequatur. Cæterum advertit, quod etiamsì transactionis legibus obstringi deberet, nihilominus non aliam subire posset pænam, quam amissionis emolumentorum, quæ juxta transactionem partienda essent inter beneficiatos sacris functionibus interessentes, non tamen adigi ad pænam privationis beneficii, quoties Fundator residentiam non præscripsit, *Panimol. decis.* 31. *adnot.* 1. *num.* 4., *Rot. cor. Molin. decis.* 1229. *num.* 3. Et ad residentiam quidem nullimodè teneri affirmat non solum ex Fundatoris voluntate, sed etiam quia in transactione præcisè injuncta nunquam fuerit, cum Beneficiati adacti expresse non appareant ad inserviendum per se ipsos *Rot. in Majoricen. Collegiaturæ* 26. *Aprilis* 1743. *cor. de Thunn.* Quin obstet, quod residentia causativa demandata in eadem transactione fuerit, cum ob spretam istius residentiæ legem privari Beneficiatus possit emolumentis, non verò reditibus Beneficii, ne a Fundatoris voluntate recedatur *Piton. discept. Eccles.* 27. *num.* 9., *Rot. in Recen. decis.* 114. *num.* 19. *part.* 9. *tom.* 1.

Ex alia verò parte qui Transactionis validitatem, & justitiam tuentur, sustinent, non solum eos, qui eidem subscripserunt, sed successores etiam in beneficio obstrictos remansisse legibus, & conventionibus in ea adjectis, quoties inita transactio deprehenditur ad sedandas discordias inter Ecclesiasticas Personas, nihilque in ea statutum legitur quod minus conveniens videatur, insuperque Summi Ponti-

tifi-

tificis auctoritate confirmata noscitur *Cap.* 1., *& cap. ult. de pact. Barbos. de offic.*, *& potest. Paroch. part.* 3. *cap.* 35. *num.* 34. A veritate autem alienum esse, quod confirmatio extorta fuerit irrequisitis Patronis, cum Ordinarius in sua relatione ad Sac. Congregationem testatus fuerit, omnes Patronos interpellasse. Sed tamen observant, defectum interpellationis Patronorum irritam reddere non posse transactionem, quoties Summus Pontifex per salutares clausulas omnes tam facti, quam juris defectus sanavit, iisque Apostolica auctoritate supplevit *Rot. decis.* 222. *num.* 10., 11., *&* 12. *part.* 7. *Recen.*

Inquiunt praeterea, nequaquam requiri Patronorum consensum in transactione, quae divinum cultum, & Ecclesiae servitium concernit, cum ipsi nullum aliud super Beneficium Ecclesiasticum, ejusque possessorem, & reditus jus habeant, quam praeminentiae, & alimentorum, si ad inopiam vergant *Cap. Praeterea* 23. *de jurepatr.*, *Concil. Tridentin. sess.* 22. *cap.* 11., *sess.* 24. *cap.* 3., *& sess.* 25. *cap.* 9. *de Reformat.* Inanem tamen affirmant hujusmodi questionem, cum constet, Joannem Baptistam Telli hodiernum possessorem Beneficii Assumptionis transactionem ratam habuisse, dum annis 1766., & 1767. è Seminario ad Patrios lares reversus Sacris functionibus cum aliis Beneficiatis interfuit, & ob. 52. pro utensilibus singulis annis Sacrario Ecclesiae persolvit. Insuperque constet, Hieronymum ejus Fratrem anno 1766. subscripsisse Sindicatui Camerariatus Officii gesti a Sacerdote Bernardino Testa; & anno 1767. interfuisse consignationi Sacrarum Suppellectilium factae Archipraesbytero Tucci, ac redditioni rationis Camerariatus eo anno exerciti.

Nec transactionem infici posse propter nova onera Beneficiatis imposita, cum haec nec aequitati, nec justitiae repugnent. Siquidem praefinitam unius obuli solutionem pro qualibet Missa conformem esse dicunt tum decreto Cardinalis de Gentilibus, tum Sac. Congregationis resolutionibus, & SS. Canonum statutis, cum Parochi, aliique Ecclesiarum Rectores adigi non possint ad subministranda suppellectilia Sacerdotibus ibidem ex obligatione celebrantibus *Barbos. in Summ. dec. Apostolic. verb. Curatus n.* 3., *Sag. Congregatio in Derthonen.* 6. *Julii* 1626. *ad II. dub.* Perperamque conqueri de immutata Beneficiorum natura ob injunctum Beneficiatis onus interessendi Sacris functionibus, quae in Parochiali Ecclesia peraguntur, cum hujusmodi onus non ita strictè intelligi debeat, ut quandoque abesse ipsi non possint: Quin immò appositè adjectam fuisse facultatem substituendi Praesbyterum aut Clericum, & constitutam poenam amissionis emolumentorum, absque eo quod quidquam de fructibus amitterent.

Ad-

Addunt, onus coadjuvandi Archipræsbyterum originem habuisse ab immemorabili consuetudine, atque idcircò ab ista, non autem a transactione Beneficiorum naturam fuisse immutatam. Et consuetudine quidem Beneficiorum naturam immutari posse affirmant, *Ferrar. in Bibliothec. verb. Residentia num.* 12. Denique conqueri non posse Beneficiatum ob injunctum unicuique Camerarii munus per turnum exercendum, cum æquitati consonum sit, ut qui ex communi massa de emolumentis participant, onus etiam administrationis subire teneantur, Absuisse autem a transactione dicunt quodlibet subreptionis, & obreptionis vitium, cum expositum fuerit, quod agebatur de beneficiis simplicibus nullo residentiæ onere gravatis. Idque ipsum Sac. Congregationi nunciatum fuisse ab Ordinario, qui onus etiam Missarum beneficiis inhærentibus referre non prætermisit. Hinc nihil fuisse reticitum, nihilque minus verè narratum, quod Sac. Congregationem, & Summi Pontificis animum a confirmanda transactione retrahere potuisset.

Quo verò ad pœnas observant, cogendos esse vigore etiam mandati executivi Beneficiatos detrectantes ad solutionem unius obuli pro utensilibus, utpotè quia cum obligatione Camerali ad eam sese obstrinxerunt. Negligentes autem Sacris functionibus interesse, & Beneficiatos recusantes Camerarii munus obire jure existimant subyci debere pœnæ amissionis emolumentorum, quæ non ex propriis beneficiis, sed ex eleemosinarum cumulo, & ex Sacrarii reditibus in massam coaluerunt.

Duo porrò sunt, de quibus Hieronymus Telli conqueritur. Primum nempè, quod nova onera beneficio sub titulo B. Virginis in Cælum Assumptæ imposita, illius naturam, & qualitatem immutaverint. Alterum vero, quod confirmatio transactionis a Sac. Congregatione, & Apostolica Sede reportata, subreptitie extorta fuerit. Ad primum quod attinet notandum, quod licet post completam fundationem nec Episcopus auctoritatè ordinaria, nec ipsemet Fundator nova onera, & conditiones adjicere possit, *Fagnan. in cap. Significatum de Præbend.*, *&* *Dignit. num.* 4., nihilominus si Summus Pontifex, Suprema, qua pollet auctoritate, nova onera imposuerit, vel imposita confirmaverit, tunc tenetur Beneficiatus ea subire, atque adimplere. Patet id ex eodem *Cap. Significatum*, quo Alexander III. scribens Præposito, & Capitulo Insulen. confirmavit onus Missæ quotidianæ de B. Virgine ordinaria auctoritate cuidam Præbendæ impositum, & Rectorem adegit ad hujusmodi onus subeundum.

Certum est, beneficio B. Virginis Assumptæ non aliud ex fundatione inhærere onus, quam celebrationis unius Missæ qualibet hebdomada; hinc videndum, an Beneficia-

tus

tus in vim transactionis cogi etiam potuerit ad interessendum Sacris functionibus, quæ in Parochiali Ecclesia S. Viti peraguntur. Qua de re ponderandum occurrit, quod transactio Ordinarii auctoritate inita, Sacræ Con. gregationis decreto, & Apostolicæ Sedis oraculo fuit confirmata. Præterea, quod Rector Beneficii jam consueverat Sacris functionibus interesse. Insuper, quod in præmium interessentiæ idem Rector admissus fuit ad participationem emolumentorum, quæ ex Fidelium oblationibus proveniunt. Ulterius, quod onus interessentiæ non adeo strictè injunctum legitur, ut etiam per alium suppleri non possit. Ac demum notandum, quod in casu deficientiæ nihil Beneficiato de fructibus beneficii detrahitur, solumque excluditur a participatione emolumentorum, quæ pro interessentibus constituta sunt.

Notum est, subreptionem procedere ex reticentia veri, obreptionem verò ex falsi expositione. Rescripta autem quæcumque, Indulta, aut gratiæ subreptitie, vel obreptitiè extortæ, utpotè per dolum, & fraudem obtentæ, nullius sunt roboris, ut statuit Innocentius III. in *cap. Super litteris* 20. *de Rescriptis*. Videndum, an hisce defectibus obnoxium fuerit tum Sac. Congregationis rescriptum, tum Breve Apostolicum, quod pro transactionis confirmatione prodiit. Habenda præ oculis sunt quæ Emus Episcopus in sua ad Sacram Congregationem relatione narravit, quæ inter monumenta Causæ recensetur.

Denique quoad præscriptam unius obuli solutionem non est prætereunda reflexio, quod Parochi, & Ecclesiarum Rectores non tenentur suppellectilia præbere Capellanis in ipsorum Ecclesiis ad celebrandum ex obligatione adstrictis, nisi aliquid emolumenti pro utensilibus percipiant, *Monacell. tom.* 1. *tit.* 10. *form.* 18. *num.* 6., *Ursaya tom.* 7. *part.* 1. *discept.* 14. *per tot.* Atque hæc in præsenti causa animadversione digna visa sunt. Vestrum nunc erit Emi PP. decernere.

An Rector Beneficii sub invocatione SSmæ Assumptionis teneatur se conformare concordiæ Anni 1763., *& sub quibus pænis in casu &c.*

RO-

ROMANA CAPPELLANIARUM. In Basilica Lateranensi quatuor anno 1587. instituit Capellanias Hilarius Maurus Parmensis, & unicuique Capellano injunxit onus Missæ quotidianæ, & ad instar Canonicorum ejusdem Basilicæ Choro inserviendi. Pro dote verò assignavit primo Capellano sc. 400., secundo, & tertio sc. 150., & quarto sc. 100., mandavitque, quod si reditus imminuti fuissent, onera etiam proportionabiliter imminuerantur ab Exequutoribus suæ voluntatis, quibus omnimodam hac de re potestatem tribuit. Paulo post demandatam Capellaniarum erectionem, Hilarius obiit, ejusque bona tanquam illicita negotiatione quæsita, una cum reditibus pro Capellaniis destinatis sa. mem. Sixtus V. Rev. Cameræ Apostolicæ titulo spolii addixit, dimidia tantum parte stipendii relicta Capellanis, quorum onera ad medietatem quoque redegit. Imminutis deinde reditibus, orta inter Capellanos controversia est super eorum partitione; quare sa. mem. Gregorius XIV. ex omnibus Capellaniarum fructibus unam constituit massam, assignavitque cuilibet ex quatuor Capellanis annua scut. 100., quacumque inter eos distinctione sublata.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

Anno 1674., ut consuleretur extremæ paupertati, qua Josephus, Ambrosius, Maria Magdalena, & Theresia de Rubeis prædefuncti Hilarii hæredes premebantur, sa. mem. Clemens X. per Litteras Apostolicas in forma Brevis unam ex præfatis Capellaniis suppressit. Denique cum postea reditus notabiliter decreverint, & ad scuta tantum 136. redacti fuerint, idcircò vigore decreti Sac. hujus Congregationis diei 1. Decembris 1705., Emus Cardinalis Pamphilius, tunc Basilicæ Lateranensis Archipræsbyter alteram quoque Capellaniam suppressit, duobus tamen superstitibus Capellanis, quibus & Chori servitium adauctum fuit, & superadditum unicuique onus celebrationis aliarum quindecim Missarum quolibet mense, quæ suppressæ Capellaniæ inhærebant. Cautum præterea fuit, ut si quando Capellaniarum reditus, ex quavis causa, vel titulo adaucti fuissent, graviori Chori servitio Capellani adigerentur.

Cum autem anno 1736. Capellani recuperaverint ex Patrimonio Familiæ ab Altemps non solum capitale census scut. 1400., sed etiam illius fructus in conspicua summa scut. 1300., idcircò tota hæc pecuniæ quantitas in Locis Montium collocata, annuum Capellaniarum reditum in scut. 34., adauxit. Attento proindè redituum augumento instetit Capitulum apud Sac. Congregationem, ut Chori servitium augeretur, sed cl. mem. Cardinalis Nerius Corsini Lateranensis Basilicæ olim Archipræsbyter de sua sententia requisitus, augendum potius censuit

Missarum onus, & Capellanias redintegrandas juxta numerum a Testatore præfinitum. Huic sensui adherens Sac. Congregatio die 2. Septembris 1758. rescripsit = *Juxta votum in omnibus Emi Protectoris* = Propositaque iterum causa die 11. Augusti 1759. prodiit Rescriptum = *In decisis*, *& amplius* = De onere Missæ quotidianæ Capellaniis inhærente, conqueruntur hodierni Capellani, quorum nomine causa denuò agitur.

Inquiunt enim, neque ex fundatione, neque ob expositum redituum augumentum tale onus injungi ipsis potuisse. Non ex Fundatione, quia licet in ea celebratio Missæ quotidianæ præscribatur, cum tamen reditus notabiliter imminuti sint, nec amplius eidem oneri respondeant, ipsum quoque onus corruerre debeat *leg.* 1. *Cod. de his quæ sub modo. Lotter. de re Beneficiar. lib.* 1. *quæst* 38. *num.* 42., *& Rot. cor. Ratto dec.* 204. *num.* 3., *& seq.* Inspecta potissimum Testatoris voluntate, qui in casu imminutionis redituum, Missarum etiam reductionem demandavit, quique dum emolumentum assignavit, præter Missarum eleemosinam, congruæ etiam Capellanorum sustentationi prospexit, ut honeste vivere possent, quemadmodum in Litteris Apostolicis sa. mem. Gregorii XIV. animadvertitur. Neque ex redituum augumento onus Missæ quotidianæ injungi potuisse, quia hujusmodi augumentum ex sequuta supradicti census acquisitione non verificatur.

Quamvis enim anno 1736. Capellaniarum capitalia ea de causa adaucta fuerint, tot tamen, tantæque in aliis bonis deteriorationes obvenerunt, ut ducto calculo per decennium ante annum 1758., integri Capellaniarum reditus annuam summam sc. 136. in totum non excesserint. Observant autem, eamdem redituum quantitatem percepisse Capellanos anno 1725., quo tempore Cardinalis Pamphilius auctoritate Sac. Congregationis alteram ex Capellaniis suppressit, nec tamen onus Missæ quotidianæ aliis Capellanis iniunxit. Hinc inferunt, nulla potiori ratione obstringi potuisse anno 1758. ad hujusmodi onus subeundum; Inspecto potissimum Brevi sa. mem. Gregorii XIV., cujus vigore licet cuilibet Capellano annua sc. 100. assignata fuerint, eisdem nihilominus onus quindecim tantum Missarum singulis mensibus injunctum legitur.

Hæc sunt, quæ ex parte Capellanorum exhibentur. Capitulum Oratorum precibus annuendum esse censet, & Emus Archipræsbyter, comprobata totius facti serie, hæc subdit = *Ruit itaque in facto suppositum asserti augmenti redituum, eoque cessante, non possum non annuere Oratorum precibus pro reductione oneris Missæ quotidianæ ad solas menstruas missas 45. a geminis Capellanis in solidum celebrandas, prout ante*

ante Annum 1758. peragere consueverunt = Viderint ergo EE. PP.

An, & quomodo sit locus reductioni Missarum, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 2. Septembris 1758., & 11. Augusti 1759 in casu &c.

AQUINATEN. IRREGULARITATIS. Cum Sacerdos Vincentius Rampini è Civitate S. Joannis in Carico venatum pergeret die 31. Martii 1768., quæ erat Feria V. majoris Hebdomadæ, & jurgia ipsum inter, & Jacobum Nardillo Casalis Insulettæ exorta tunc fuerint, res eo devenit, ut dictus Sacerdos pluribus ictibus percusserit Jacobum, qui post sexdecim dies miserè occubuit. Curia Episcopalis in Sacerdotem Vincentium statim inquisivit, recepitque primum depositiones Medici, & Chirurgi, qui defunctum curaverant, ejusque Cadaver inspexerant, quique hæc retulerunt = *Riconobbi nel medesimo Nardillo una lividura lunga un palmo, e larga mezzo palmo, la quale si esten leva tra le coste vere, e ispurie del lato sinistro, e siccome dalla grossezza di tal lividura la giudicammo causata di fresco; così la giudicammo con qualche pericolo di morte; maggiormente, che il paziente era dell'età di circa 60 Anni, e trovasi con piedi gonfi, con ostruzzione simpatica scirrosa, sintomi, che costituiscono il segno certo dell'idrope di petto*. Testati præterea sunt, dictum Nardillo pluribus aliis vulneribus, sed absque periculo, affectum fuisse, ac demum deposuerunt *di esser auvenuta la morte di detto Giacomo per causa di detta lividura incancrenata, e dilatata detta cancrena fino alla spinal medulla, nella quale essendosi intromesso l'umor putrido, evenefico, partorì la morte*.

Sess. 14. cap. 7. de Reform.

Plures alii Testes a Promotore Fiscali examini subiecti fuerunt, quorum aliqui affirmarunt, *che il Sacerdote Rampini andava cacciando, e che portava lo Schioppo, e che ammazzò un uccello chiamato Marzocca*: Ac præterea publice audivisse retulerunt, quod eadem die 31. Martii 1768., *per cagione di una Marzocca, che gli aueva raccolta nel fiume Giacomo Nardillo, lo bastonasse con un grosso bastone*. Alii verò audivisse dixerunt ab eodem Sacerdote Rampini, pluribus ictibus percussisse Nardillum, *e perchè fece atto di volersi difendere, gli diede una spinta, e seguitò a bastonarlo*, & ulterius addidis-

se, *che per amor di Dio non gl'aveva date più bastonate, ma che si meritava d'essere ammazzato*. Alii demum deposuerunt de jurgiis exortis Nardillum inter, & Rampinum, qui interrogatus non negavit ictus, quibus eundem Nardillum affecerat, atque insuper ab aliis quoque audivisse narrarunt, *che il detto D. Vincenzo aveva bastonato Giacomo Nardillo dell'Isoletta, e che perciò detto Giacomo stava a letto, e che finalmente per causa di dette bastonate se n'era morto*.

Subjecti etiam fuerunt examini Testes a Sacerdote Rampino inducti, qui omnes in hoc convenerunt = *Che il quondam Giacomo Nardilli era di età quasi di Anni 60., di cattivo colore, gonfio nelli piedi e gonfio anche di pancia, pativa di asma di petto, ed era infetto di ostruzzione . . . che tenendo tali infermità addosso, poco tempo poteva sopravivere . . . che avesse poca assistenza, e poca cura nella di lui infermità, è più che vero, perchè detto Giacomo Nardilli, e sua Famiglia era molto povera . . . che Sisto Grossi Cerusico d'Arce varie volte è stato a visitare detto Nardilli; sò bene, che gli facesse non sò che taglio, come intesi dire da più persone dietro la schiena, dopo qual taglio esso Nardilli principiò a star peggio, ed intesi dire, che vi era concorsa l'infiammazione, e cancrena, per qual cancrena, ed infiammazione, poco tempo sopravisse, ne in questo suo peggioramento vi viddi altri Medici, ò Cerusici, se non se il detto Grossi*.

Inter testes a Sacerdote Rampino inductos, recensentur etiam quinque Medici, qui mature perpensis aliorum Medicorum depositionibus existimarunt = *Che il giudizio formato dalli sudetti nelle dette loro deposizioni sù la lividura trovata nelle coste vere, e spurie dell'enunciato Nardillo, è all'in tutto erroneo, e molto più erroneo è il motivo, sù cui lo fondano* .... Atque idcircò in ea fuerunt sententia, *che se la descritta lividura veniva curata secondo le regole dell'arte, non poteva da per se stessa, ancorchè il paziente fosse soggetto alli descritti vizj morbosi, produrre infiammazione alcuna, e molto meno la cancrena, e poi la morte. Ma tali effetti giudichiamo esser tutti derivati dal taglio fatto sù la lividura, ed anche dalle altre esterne cause, come di aria poco buona, cattivo cibo, e da poca cura, ed assistenza*. In hoc Peritorum conflictu Vicarius Generalis pro instructione animi votum ex officio exquisivit quorumdam Medicorum, qui omnes adhæserunt relationi expositæ a Medicis per Sacerdotem Rampinum inductis.

Recepta demum fuit depositio ejusdem met Sacerdotis Rampini, qui semel, bis, ac tertio negavit percussiones Jacobo illatas, immò hunc hominem cognovisse, aut vidisse unquam negavit, Absoluto Processu Vicarius Generalis die 7. Februarii 1770. sententiam protulit, qua eundem Sacerdotem irregularem declaravit, deindeque attenta Me-

Medicorum discrepantia, spontanea inquisiti Sacerdotis comparitione, diuturna detrusione in carceres per annum, aliisque incommodis, ac dispendiis ab eodem Sacerdote passis, illum condemnavit ad vacandum spiritualibus exercitiis, & ad relegationem per triennium in Religiosa domo, facta tamen obligatione de reficiendis damnis prout de jure, expensis, & interesse. Acquievit Sententiæ Sacerdos Rampini, sed quia Religiosam domum non invenit, in quam sese reciperet, idcircò Episcopus relegationis locum commutavit è Conventu in quoddam Diœcesis Oppidum, ubi Sacerdos permansit, ibique munus Ludimagistri exercuit, Ecclesiasticis functionibus interfuit, Sacramenta frequenter recepit, & resipiscentiæ signa præbuit.

Expleta jam pœna, cum Sacerdos Rampini Parti, & Fisco satisfecerit, pacemque ab hæredibus defuncti Nardillo reportaverit, dispensationem ab irregularitate humiliter efflagitat. Episcopus, qui de peracta pœnitentia, & de Oratoris emendatione testatur, existimat, *stante lapsu quinquenii ab inquisitione, ac incommodis, & coercitionibus usque adhuc sustentatis, nec non partis offensæ, & defuncti hæredum remissione etiam super damnis, & interesse jam reportata, posse petitam gratiam dispensationis indulgeri.*

Homicidas ab Altaris ministerio arcendos, statutum est a SS. Canonibus, præsertim in *Cap. Sucepimus de homicid.*, & a *Concil. Trident. sess.* 14. *cap.* 7. *de Reform.* Ad incurrendam verò irregularitatem ex homicidio sufficit quodcumque dictum, seu factum, quod ad homicidium postea sequutum fuerit ordinatum *Cap. Sicut §. Clericos, Cap. Significasti de homicid. volunt., vel casual., Piring. ad hunc loc. sect.* 4. §. 1. *sub. num.* 94. Hinc irregulares evadunt quicumque aliquem percusserint, vel vulneraverint, ex qua percussione, aut vulnere mors evenerit *Fagnan. in Comment. ad d. cap. Significasti num.* 1. Nec vulnerati, aut percussi hominis mors tribui valet Medici, vel Chirurgi incuriæ, nisi in casu, quo probetur, vulnus adeo leve fuisse, ut etiam absque medicinalium ope sanari potuisset, præsertim si post breve tempus ab illato vulnere mors acciderit *Henriq. in sum. lib.* 14. *de irregul. cap.* 3. *num.* 4., *Castropal. de censur. disp.* 6. *punct.* 5. *§.* 5.

Probandum itaque concludenter est, quod mors causata fuerit vel ex defuncti intemperantia, vel ex Medici, aut Chirurgi incuria *Farinac. in prax. part.* 5. *quæst.* 127. *num.* 24., *Pignattel. consult. canon.* 110. *tom.* 10. *num.* 17., & hac in re Peritorum judicio standum esse decrevit Innocentius III. in *citat. cap. Significasti de homicid.* In eodem etiam *Cap.* statuitur, quod si percussio Medicorum judicio læthalis non fuit, percussor post pœnitentiam ad cautelam injunctam poterit in officio Sacerdotali ministrare. Dispensatio autem

tem ab irregularitate non conceditur nisi post lapsum temporis a die commissi delicti, post peractam pænitentiam, post reportatam ab occisi hæredibus pacem, & nisi postquam Fisco fuerit satisfactum, ut advertit *Fagnan. in cap. Henric. de Cler. pugnan. in duell. num.* 34.

Habendæ præ oculis sunt præsentis casus circumstantiæ, & seriò ponderandæ Medicorum, & testium depositiones superius relatæ. Perpendendum etiam, quod Orator exilii, & relegationis pænam subiit, quod Fisco, & Parti satisfecit, & resipiscentiæ signa præbuit. Hisce ergo omnibus perpensis viderint Emi PP.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Die

Die Sabbati 17. Septembris 1774. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SEX, quæ priori loco describuntur causæ, ex præterita Congregatione indecisæ remanserunt. Resumpto proinde folio diei 20. elapsi mensis Augusti, dignabuntur Emi PP. sequentibus dubiis respondere.

FIRMANA CAPELLANIARUM. *Sess. 23. cap. 8. de Reform.*

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.*

II. *An Capellani teneantur per se ipsos onera adimplere, in casu &c.*

III. *An, & quomodo in casu inadimplementi sit providendum, in casu &c.*

Ad I. In decisis juxta modum, & modus est, quod admittantur etiam Clerici trium Familiarum, cum lege, quod postquam pervenerint ad legitimam ætatem ordinentur Sacerdotes. Ad II. Quoad Capellaniam sub invocatione B. Mariæ Virginis affirmativè; in reliquis negative. Ad III. Servetur lex fundationis in Cap. VI. dispositionis Octaviæ.

CAMERINEN. CATHEDRATICI. *Sess. 24. cap. 3. de Reform.*

An, & a quo tempore, & in qua annua summa debeatur Cathedraticum pro Beneficiis unitis Prœbendis Theologali, & Penitentiariæ Cathedralis, in casu &c.

Non proposita cum reliquis.

ARE-

Seff. 24. cap. 6. de Reform.

ARETINA DISPENSATIONIS.

An sit locus dispensationi in casu &c.

Seff. 25. cap. 5. de Reform.

PRÆNESTINA CONCORDIÆ.

An Rector Beneficii sub invocatione SSmæ Assumptionis teneatur se conformare concordiæ Anni 1763., & sub quibus pœnis in casu &c.

Seff. 25. cap. 4. de Reform.

ROMAMA CAPELLANIARUM.

An, & quommodo sit locus reductioni Missarum, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 2. Septembris 2758., & 11. Augusti 1759. in casu &c.

AQUINATEN. IRREGULARITATIS.

Seff. 14. cap. 7. de Reform.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione ab irregularitate in casu &c.

Seff. 25. cap. 6. de Reform.

ROMANA CAPELLANIÆ. Adimpletis legatis, solutoque integro ære alieno, mandavit in testamento anni 1764. Eugenius Rodriguez, ut ex suis hæreditariis bonis una, vel plures erigerentur Capellaniæ in Ecclesia PP. Mercenariorum B. Mariæ Virgini, & Divo Joanni dicata in Campo Martio. Onus Capellanis iniunxit celebrationis Missæ quotidianæ, quatenus reditus sufficerent, & unius etiam Anniversarii; suæque voluntatis exequutionem commisit Advocato Francisco Mazzei, & Josepho Garzes, quos hæredes fiduciarios constituit, eisque socium addidit Petrum Eulogium de Castro, *il quale dovrà unicamente avere il carico d'informare tanto detto Signor Avvocato, che detto Signor Giuseppe dell'interessi dell' Eredità di esso Testatore*. Capellani nominationem prima vice

vice iisdem fiduciariis hæredibus tribuit, quibus arbitrium reliquit nominandi, *se così a loro piace, il detto Pietro de Castro, in caso, che si ordini in Sacris, e se saranno più, alla seconda possano ugualmente, se così a loro piace, nominare il Signor Filippo Ferraie*. Deinde verò jus nominandi contulit Religiosis supradicti Conventus Mercenariorum, cum facultate, *che possano anche essi celebrare le Messe*.

Sequuto Testatoris obitu hæredes fiduciarii solliciti fuerunt de illius voluntate exequendi; hinc postquam Creditores dimiserunt, & legata persolverunt, ex reliquo hæreditatis asse unam instituerunt Capellaniam, quam Petro de Castro contulerunt. Hic primum a sa. mem. Clemente XIII. facultatem obtinuit illam retinendi absque eo quod Sacros Ordines suscipere teneretur, dummodo tamen vitam cælibem servaret: Deinde pluribus relatis in supplici Libello SSmo D. N. exhibito, dispensationem a lege cælibatus reportavit. Verùm conquesti sunt PP. Mercenarii, & gratiam hujusmodi subreptionis, & obreptionis vitio infectam existimantes, rem totam ab Emo Cardinali Pro-Auditore de oraculo SSmi Sacræ huic Congregationi remitti curarunt cum facultatibus necessariis, & opportunis; quare utraque Parte jura sua deducente dubium in calce transcriptum definiendum proponitur.

Qui pro PP. Mercenariis causam agit, sustinet, claram esse dispositionem Eugenii Rodriguez, qui Capellaniam Petro de Castro conferri permisit solum in casu, quo ad Sacros Ordines ascenderet. Arguit proindè, hujusmodi Capellaniam qualitatem Ecclesiasticam respectu saltem Capellani præseferre, nec in statu coniugali posse retineri, cum alienum sit a Sacrorum Canonum censura, constantique Ecclesiæ consuetudine, ut reditibus Ecclesiasticis pro sustentatione Ministrorum Sanctuarii destinatis ii locupletentur, qui carnale Matrimonium contraxerunt, Sac. Congregatio in *Auximana Capellaniarum* 16. *Decembris* 1702., *in Firmana Capellaniarum* 29. *Augusti*, *&* *in Romana Capellaniarum* 20. *Septembris* 1727. Præsertim si Fundator id prohibuerit *Cap. Ultima voluntas* 13. *quæst.* 2., *Cap. Tua nobis de testam.* Nec verificari dicit assertam Testatoris prædilectionem erga dictum de Castro, cujus causa Capellaniam etiam in statu coniugali retinere permitteret. Observat enim, huic assertioni adversari tum præsumptam, tam panditam Testatoris voluntatem, qui illum nec nominavit quidem ad Capellaniam, solumque nominari ab hæredibus fiduciariis consensit in casu, quo Sacros Ordines suscepisset.

Et minus quoque rectè expositam fuisse affirmat curam, & operam ab eodem de Castro adhibitam in rebus a Testatore gerendis, istiusque fiduciam, dum arcana etiam illi pandidit,

didit, & pro his fiduciarium hæredem ipsum designavit. Quæcumque enim servitutis officia compensata fuisse sustinet legato scut. 300.: Munus verò hæredis fiduciarii non alia de causa commissum fuisse contendit, nisi ut primarios, quos elegerat, hęredes, de negotiis ad hæreditatem pertinentibus instrueret. Præter hæc addit, reticitam in precibus Summo Pontifici oblatis facultatem a Testatore tributam PP. Mercenariis satisfaciendi, per se ipsos Missarum oneribus, vel Capellanum eligendi, qui illa adimpleret, quod quidem exprimi debuisset, ut de Religiosorum jure constaret. Nec prodesse, quod particula testamenti fuerit precibus adnexa, cum id ex toto supplicis libelli contextu nullo modo resultet, unde subreptionis, & obreptionis vitium excusari non posse concludit *Cap. Super litteris* 20. *de rescript.*, *Concil. Tridentin. sess.* 13. *cap.* 5. *de Pœnit.*

Contra verò Petrus de Castro contendit, nominatum ad Capellaniam fuisse a fiduciariis hęredibus, quibus facultas prima vice a Testatore tributa fuerat; insuperque dispensationem ab Apostolica Sede obtinuisse ab onere suscipiendi Sacros Ordines. Jure igitur existimat, Capellaniam posse retinere *Cap. Conquerente de restit. spoliat.*, *Rot. coram Lancett. dec.* 8. *n.* 6., nec a sua possessione removeri posse, nisi de malo jure, illegitimoque titulo constiterit, *Cap. Quoniam*, & *cap. Cum contingat de decim.*. Perperamque opponi Matrimonium anno 1772. ab eo contractum, cum res sit de Capellania, immo de simplici Missarum legato, quod a Conjugatis, & Infantibus, immò etiam a Mulieribus possideri valet *Amostaz. de caus. piis lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 43., *Garz. de Benef. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 101. *Rot. in Corduben. Capellaniæ* 25. *Junii* 1745. *§. Frusta cor. Canillac.* A lege autem servandi cælibatum ex Summi Pontificis indulgentia dispensatum fuisse probat.

Injuria verò sustinet conqueri Religiosos de subreptione, & obreptione, quia ipsorum jus expositum non fuerit. Advertit enim, quod etiamsi hoc ipsum reticitum fuisset, nihilominus singula Supremo Principi comperta fuerunt ex testamentaria dispositione eidem cum precibus exibita, ubi & Capellaniæ qualitas, & Religiosorum jus deprehendi potuit *leg. Si ita scripsero* 38. *ff. de condit.*, & *demonstr.*, *Rot. cor. Falconer. decis.* 47. *num* 13. *tit. de jurepatr.*. Nec inficiari posse, quin testamentum fuerit exibitum, cum bina illius exemplaria in positione reperiantur, & in casu posterioris indulti sufficere etiam potuisset exemplar in prioribus precibus sa. mem. Clementi XIII. exhibitis, nec non relatio Emi Urbis Vicarii, unde subreptio, & obreptio excluditur *Rot. cor. Ansald. decis.* 603. *num.* 5., & *in Romana*, *seu Narnien. Immissionis* 13. *Januarii* 1765. §. 4. *cor. Emo de Zelada.*

Con-

Contendit præterea, ad validitatem postremi indulti necesse haud fuisse Summo Pontifici exponere jus a PP. Mercenariis quæsitum; cum per hujusmodi postremum indultum derogatum tantummodo fuerit legi servandi cælibatum, quam sa. mem. Clemens XIII. imposuerat. Hinc cum lex servandi cælibatum non in favorem Religiosorum præscripta fuerit, sed solum ex Pontificis placito; infert, nullum ex ea jus Religiosis acquiri potuisse, ut indè a petenda dispensatione retrahi debuisset *Lotter. de re benef. tit. 2. quæst. 31. num. 23.*, *Rot. cor. Tanar. decis.* 109. *num.* 16. Observat insuper, factorum reticentiam subreptitia non reddere Principis rescripta, sed eam requiri, quæ illius animum a concessione gratiæ retraxisset *Felin. in cap. Super litteris num. 18. de rescript.*, *Rot. coram Molin. decis.* 116. *num.* 11. proindeque de subreptione redargui non posse præces, quia expositum non fuerit jus, quod Religiosis ex testamento competit, eligendi Capellanum, cum scientia istius juris retrahere non potuisset Summum Pontificem a concedenda dispensatione a lege servandi cælibatum.

Atque hæc de subreptione. Excludit deindè etiam obreptionem animadvertendo, quod quidquid in precibus fuit narratum, veritati cohærere comperitur. Siquidem exposita servitutis officia Testatori exhibita resultare affirmat ex legato scutorum tercentum relicto in expressam ab ipsomet Testatore causam *per il buon servitio prestatomi*. Familiaritatem verò deprehendi ex munere hæredis fiduciarii ipsi concredito, factaque suorum negotiorum participatione. Denique concludit quod si quid fuit reticitum, non tamen gratiam ex hoc inficiari potuisset, cum res sit de Capellania laicali, quæ etiam a Laicis, & a fæminis retineri valet.

Emus Urbis Vicarius existimat, subreptionem postremi indulti penitus evanescere, quatenus in facto subsistat, quod exhibita fuerit testamentaria dispositio Eugenii Rodriguez, ex qua Capellaniæ qualitas, & Testatoris voluntas deprehendi potuit.

De Capellaniarum qualitate, & conditionibus a Fundatore adiectis, notandum, quod quamvis Capellania laicalis, seu legatum pium Missarum, cujus adimplementum, & administratio hæredi commissa fuerit, a Laicis etiam, & a Mulieribus acquiri, & retineri possit, nihilominus id procedit, quando Fundatoris voluntas non adversatur *Card. de Luc. de Benef. disc.* 61. *num.* 4., & *disc.* 69. *num.* 5. cum Capellania merè laicalis, & nullam in se spiritualitatem continens, possit quoad personas nominandas esse, & dici Ecclesiastica, ut firmatum a Sac. Congregatione fuit in *Auximana Capellaniarum* 16. *Decembris* 1702, in *Firmana Capellaniæ* 18. *Aprilis* 1711., & alibi. Hinc Ca-

pellanias merè laicales, omnemque spiritualitatem excludentes, sed Clericis prima vice collatas, retineri a Coniugatis non posse, definivit Sac. Congregatio in *Romana* 20. *Septembris* 1727., *in Civitatis Castelli Capellaniæ* 24. *Aprilis* 1751, *& in Firmana Capellaniæ* 19. *Septembris* 1772.

Ponderandum in præsenti casu, quod licet Testator nominari permiserit dictum de Castro, quatenus Sacros Ordines susciperet, nihilominus dispensationem primùm ab hoc onere, deinde a lege etiam servandi cęlibatum obtinuit. Videndum tamen, an aliquid fuerit reticitum, vel non omnia exhibita, quæ gratiam aut denegandam, aut difficiliorem reddere potuissent, cum rescripta quæcumque subreptitie extorta nullius roboris esse decreverit Innocentius III. *in cap. Super litteris 20 de rescript.*

Hisce ergo omnibus perpensis dijudicent Emi PP.

An Capellania, seu legatum pium, de quo agitur, sit adiudicandum PP. Mercenariis S. Mariæ in Campo Martio in casu &c.

Sess. 25. cap. 13. de Reform.

ROMANA FUNDATIONIS MISSARUM. In Testamentariis Tabulis, quas condidit anno 1772. Petrus Gavazzi, instituto hærede universali Laurentio Gavazzi suo ex Fratre Nepote, reliquit titulo legati Joanni Raini scuta 50. In Codicillo autem, quod post annum exaravit, deleto prius legato scut. 50., sic denuo suam voluntatem patefecit = *Padrone del mio negozio ad uso di Amidaro, Granaro, e tutta la robba esistente in mia Casa, a riserva però del denaro, che si ritroverà dopo la mia morte, sia il detto Signor Giovanni Raini, con che però il medesimo sia tenuto, ed obligato, come io Codicillante espressamente ordino, e comando di creare un fondo di tanti luoghi di Monte di S. Pietro, il fruttato de' quali corrisponda a due Messe la settimana in perpetuo da farsi celebrare dal mio Erede nella Venerabil Chiesa di S. Maria di Araceli, una all'Altare di S. Antonio nel giorno di Lunedì, e l'altra nel giorno di Venerdì all'Altare di S. Francesco di Paola subito seguita la mia morte, e così continuare in perpetuo* = voluit autem Testator, ut idem Joannes Raini pro una vice solvere teneretur prædicto Laurentio Gavazzi scuta 295., eique Romam venienti commodum habitationis, victumque subministraret. Et quatenus præscripta onera Legatarius subire detractaret, tunc mandavit, ut legatum tantummodo scut. 50., in Testamento relictum, assequeretur.

Post septem menses a die obitus Testatoris, quo tempore Missæ celebratæ fuerunt ad rationem elæemosinæ manualis,

lis, instantibus Executoribus Testamentariis pro acceptatione legati, illud per publicum instrumentum Joannes Raini acceptavit, assignavitque pro celebratione Missarum quatuor loca montium, quorum reditus manualem elæmosinam in juliis quatuordecim excedunt. Hanc locorum montium quantitatem insufficientem arbitrantur Executores Testamentarii pro adimplemento injuncti oneris Missarum, hinc supplicant, ut attentata oneris perpetuitate, correspondentem elæmosinam pro Missis perpetuis Emi PP. dignentur demandare. Hujusmodi petitio, quatuor complexa dubiis modo definienda proponitur.

Ad I., & II. inquiunt Executores Testamentarii, Joannem Raini Legatarium Testatoris voluntatem non adimplevisse, tum quia non illico post mortem ejusdem Testatoris fundum pro celebratione Missarum constituit, tum etiam quia annuus fructus quatuor locorum montium, quę postea ipse assignavit, perpetuitati oneris non respondet. Perperamque consultum censeri per aliam summam juliorum quatuordecim, quæ ultra manualem elæmosinam ex fructibus Locorum Montium supersunt, cum eadem summa nec satis sit ad præcavenda perpetuitatis infortunia, nec ad prospiciendum indemnitati Ecclesiæ pro cera, hostia, sacrisque suppellectilibus ad celebrationem Missarum necessariis. Hinc servandam putant taxam a Concilio Romano præfinitam, quæ pro qualibet Missa perpetua annuam elæmosinam scut. sexaginta præfinivit.

Sustinent ad III. loca Montium a Joanne Raini assignata in creditum Ecclesiæ S. Mariæ de Aracœli, sive Senatus, Populique Romani fore transferenda, cum valde timendum sit, ne ob hæredis imperitiam, & maximam ejus ab Urbe longinquitatem Testatoris anima debitis Missarum suffragiis fraudetur. Idque potissimum quia abest præjudicium tum Hæredis, qui nullo pollet jure super fructibus, tum etiam Legatarii, qui nullum commodum neque ex proprietate, neque ex fructibus assequi valet. Hinc arguunt ex præmissis ad IV. dubium, demandandam esse assignationem congrui fundi pro celebratione Missarum, & Joannem Raini Legatarium nihil aliud ex tota hæreditate Petri Gavazzi percipere posse, quam legatum scutorum 50. in testamento relictum, cum ob non adimpletas conditiones a Testatore præscriptas a commodo hæreditatis ceciderit, & factus sit locus caducitati, quam ipse Testator indixit.

Ex altera vero parte contendit ad I. Legatarius, dubitari non posse de adimplemento voluntatis Petri Gavazzi, tum ob expletam Missarum celebrationem, tum ob sequutam locorum montium assignationem, quemadmodum Testator requisierat. Et quamvis eorumdem locorum Montium constituta quantitas insufficiens probaretur ad injunctum

Mis-

Missarum onus subeundum, numquam tamen existimari posset, despectam fuisse Testatoris voluntatem, sed potius locus esse deberet augumento usque ad quantitatem, quæ præscripti oneris adimplemento sufficiat.

Ad II. observat, nullam a Testatore præfinitam fuisse eleemosinæ quantitatem, nec aliam proinde præstari oportere, quam quæ manuali respondeat. Licet enim a Concilio Romano constitutum sit, ut reditus Monasteriis pro Missis perpetuis assignati importare debeant eleemosinam juxta rationem taxæ perpetuæ, id tamen locum sibi vindicare non posse dicit in præsenti casu, quo fundus pro celebratione Missarum assignari non debet Ecclesiæ, sed ab hærede retineri. Admittit, utensilia persolvenda esse Ecclesiæ, ubi Missæ celebrantur, sed in ea quantitate, quam communis cujuscumque Loci, & Ecclesiæ usus præfinivit, *Monacell.formul. legal. part.*4.*num.*118.*pag.*107., *Sac. Congregatio inRomana Utensilium* 13.*Septembris* 1738.*Thesaur. Resolut. tom.*8.. Observat autem, taxam pro utensilibus in Urbe præfinitam, summam non excedere scut.4. pro qualibet Missa quotidiana *Ferrar. in verb. utensilia num.* 181., exuberantem proinde putat quantitatem juliorum quatuordecim, qui ex fructibus locorum montium singulis annis ea de causa persolvuntur.

Ad III. sustinet, apertam esse Testatoris dispositionem favore hæredis, ejusque successorum, dum mandavit, ut post ejus mortem tot loca montium comparari deberent = *il fruttato de'quali corrisponda a due Messe la settimana, da farsi celebrare dal mio Erede* =; Insubsistentem proinde putat, prorsusque despiciendam instantiam pro translatione eorumdem locorum montium in creditum Ecclesiæ, vel Senatus, Populique Romani. Præsertim quia in casu inadimplementi Rev. Fabrica S. Petri contra hæredem, non autem contrà alios insurgeret. Denique ad IV. censet, supervacaneam esse quamcumque quæstionem circa modum providendi exequutioni voluntatis Testatoris, cum ex rationibus in discussione prioris dubii allatis resultet, eam ad unguem adimpletam fuisse. Et in remotissimum casum inadimplementi iterum contendit, Executoribus tantummodo competere actionem pro supplemento, ut illius voluntas plene exequatur.

Eminentissimus Urbis Vicarius, relatis utriusque Partis monumentis, existimat, indemnitati Ecclesiæ pro utensilibus satis consultum fore assignatione juliorum quatuordecim, quæ deducta Missarum eleemosina ad rationem manualis ex fructibus locorum montium singulis annis supersunt. Quo verò ad eorumdem locorum montium assignationem, scilicet in cujus creditum ea sint referenda hæc habet = *Qua in re potiorem esse putarem causam hæredis, quam Patrum, cum ex codicillis nullo modo videam, proprietatem legati, sive qua-*

oneris Missarum fuisse relictam ipsis Patribus, sed eorum tantum designatam Ecclesiam, & Altaria, ubi Testator a suo ipso hærede voluit Missarum celebrationem curari. Quamobrem non Patribus, sed Hæredi crederem loca montium adscribenda, addito tamen, ut oportet, vinculo celebrationis Missarum.

In codicillo mandavit Testator, ut Joannes Raini comparare deberet tot loca Montium, cujus reditus deservirent pro duabus Missis qualibet hebdomada in designata Ecclesia, designatisque diebus, & Altaribus celebrandis *subito seguita la mia morte, e così continuare in perpetuo*. Videndum proinde, an per hæc postrema verba immediatum, ac celere Animæ suffragium requisierit Testator, seu potius de assignatione fundi fuerit sollicitus. Et quatenus eadem verba de hujusmodi assignatione intelligi debeant, ponderandum ulterius, an a commodo legati ceciderit dictus Raini, qui nonnisi quam post septem menses ab obitu Testatoris fundum constituit. In *cap. Si hæredes de testament.* præscribitur, quod *si hæredes jussa Testatoris non adimpleverint, ab Episcopo Loci illius omnis res, quæ his relicta est, canonicè interdicatur, cum fructibus, & cæteris emolumentis, ut vota defuncti adimpleantur*.

Hinc inferunt Doctores, & præsertim Gonzalez *in comment. ad dict. cap. num. 1. & 3.*, quod hæreditate privari debeant hæredes negligentes exequutionem voluntatis Testatoris, eaque applicari debeat cohæredi, sive substituto cum iisdem oneribus, cum non deceat compendium hæreditatis ab iis percipi, qui onera subire detrectant *Cap. Qui debet de reg jur. in 6.*. Verùm ad incurrendam privationis pœnam requiritur præcedens monitio Judicis, & quod post monitionem hæres per integrum annum in sua contumacia, & negligentia perseveraverit, prout desumitur ex *Text. in Cap. Nos quidem de testam.*, nisi fortè certum tempus pro adimplemento voluntatis fuerit a Testatore præfinitum *Authen. Hoc amplius Cod. de fideicomm.*

Quoad eleemosinam Missarum ponderandum, an Legatarius præscripto sibi oneri satisfecerit per assignationem locorum montium, quorum fructus non solum pro manuali eleemosina, sed etiam pro utensilibus abundè sufficiant, seu potius præcavendum etiam sit in futurum tutiori Missarum satisfactioni. Seriò proinde perscrutanda est tum Testatoris dispositio, tum qualitas fundi ab eo præscripti, & a Legatario assignati. In *Interamnen. 25. Novembris 1698.*, cum quæsitum fuisset I. *Quanta esse debeat eleemosina Missarum manualium*. II. *Quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a Fundatoribus*. Sacra Congregatio censuit ad I. & II. *Attendendam esse consuetudinem Loci, vel legem Synodalem, quatenus adsit, sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosinam competentem ejus arbitrio.*

Quæ-

Quæritur itaque

I. *An constet de adimplemento voluntatis qu. Petri Gavazzi, ita ut sit stipulanda quietantia, in casu &c.*

II. *An, & in qua quantitate sit locus assignationi Locorum Montium pro prædicto adimplemento, in casu &c.*

III. *An, & in cujus creditum Loca Montium sint comparanda, in casu &c.*

IV. *An, & quomodo in casu inadimplementi sit providendum, in casu &c.*

Seff. 25. cap. 4. de Reform.

FLORENTINA REDUCTIONIS MISSARUM. In Ecclesia Monialium, simulque Parochiali S. Felicitatis Florentiæ, Capellaniam sub titulo S. Caroli per actum inter vivos fundavit anno 1615. Præsul Horatius Capponi Episcopus Carpentoratensis, eamque deinde Vicarius Generalis in beneficium Ecclesiasticum decreto suo instituit. Quoad assignationem dotis declaravit Fundator, quod licet plures in eadem Ecclesia erectæ fuissent Capellaniæ annui reditus scutorum 24., nec vix una reperiretur, quæ annua scuta 30. excederet, nihilominus suæ Capellaniæ reditus ipse constituit in annuis scutis 44., ex quibus detrahi voluit scuta quatuor singulis annis tradenda Monialibus *per ricompensa del consumo de' paramenti, e cera, ed altro, che bisognerà per le Messe da celebrarsi dal Rettore*; reliqua verò scuta 40. Capellano assignavit *per suo salario, e provisione dell'officiatura, e servizio, che io gl'impongo*. Hos autem reditus percipi mandavit ex pensionibus duarum domorum, quas ipse designavit; unam scilicet *nel Popolo di S. Michele*, aliam verò *dentro alla Porta di S. Niccolò sopr' Arno*.

Quia tamen ex earumdem domorum pensionibus, deducto stipendio Capellani, deductaque assignatione facta Monialibus pro utensilibus, superesse adhuc censuit annua scuta decem, idcircò hanc summam sibi reservavit, ut de illa disponeret pro Anniversario quolibet anno peragendo in Ecclesia Confraternitatis S. Mariæ ad Templum juxta modum in separata scriptura exprimendum. Cæterum expressè declaravit, ut si forte aut in totum, aut in parte domorum ruina contigisset absque Conductorum culpa, aut aliorum, qui ad damni emendationem adigi de jure possent, tunc *intendo, e dichiaro, che l'eredità mia resti sottoposta a detto peso di risarcimento*.

Onus deinde Capellano imposuit celebrationis Missæ cum applicatione Sacrificii singulis diebus, uno excepto qualibet hebdomada; nec non residentiæ, & interessendi Choro tam in Missa sollemni, quam in Vesperis omnibus Dominicis, & festis, & feria V., VI., & Sabbato Majoris Hebdomadæ, & in sacratissima nocte Nativitatis Domini;

At-

Atque hæc omnia a Capellano per se ipsum adimpleri voluit sub pœna privationis emolumenti respondentis tempori, quo defecisset. In casu tamen infirmitatis, si aliunde vivendi modus Capellano non suppeteret, aliquam erga illum commiserationem ostendit, eique certam fructuum partem percipere permisit; sed si aliqua ratione consulere sibi potuisset, tunc omnes fructus infirmitatis tempore decursos amittere debere præcepit.

Præterea Capellani curæ inhærere jussit Domorum Conductores ad solutionem adigere, & acta omnia judicialia contra ipsos peragere. Denique Capellano expressè prohibuit, ne onerum reductionem unquam exposceret, sed potius Capellaniam dimitteret, quando emolumentum imparem ferendis oneribus deprehendisset. Hac de re mandavit, ut in actu præsentationis quilibet Capellanus onerum implementum, & legum fundationis observantiam sollemni juramento promitteret. Sed in omnem eventum, quo ad illorum reductionem devenire oporteret, demandatumque Capellanis servitium *per giustizia bisognasse moderarlo*, in isto casu mandavit, *che prima d'ogn'altra cosa si moderi, e si levi l'obbligo d'intervenire a Vesperi, e non si diminuiscano mai le Messe*. Post hæc de Patronatu activo disposuit, illudque detulit pluribus ex familiis Capponi vel simul, vel invicem substitutis, quibus deficientibus deferri voluit ad Moniales S. Felicitatis.

Hæc sunt, quæ ex dispositione decerpta, ad rem, de qua agitur, magis conferre noscuntur, cæteris prætermissis, quæ utpote minus opportuna inutile foret recensere. Vacat ab aliquot annis Capellania, & Comes Ferdinandus Carolus Capponi unicus illius Patronus exponit, pensiones, quæ ex designatis pro dote domunculis retrahuntur, non excedere annua scuta 20., nec spem esse augumenti, cum in éa Civitatis parte sitæ sint, ubi nonnisi inopes habitare solent. Quare reductionem Missarum ad ratam redituum postulat.

Archiepiscopùs de sua sententia requisitus asserit, quod licet Fundator domuncularum reditus excedere dixerit annua scuta 60., hodie tamen ne ad medietatem quidem pertingunt, & vix annua scuta 26. ex iis retrahuntur, quamvis benè paratæ sint, in omnibus instauratæ, in eodemque statu reperiantur, quo erant de tempore fundationis: hinc. deductis oneribus decimarum, impositionum, aliisque similibus, vix annua scuta circiter 17. pro Missarum celebratione superesse. Ignorare prorsus affirmat, qua de causa imminutio evenerit, nisi forté error in calculatione tempore fundationis irrepserit. Confirmat exposita ab Oratore de impossibilitate augumenti, & impossibile etiam fore existimat, ut Sacerdotes inveniantur, qui oneribus satisfaciant, immò advertit, nec præcedentes Capellanos adim-

adimplevisse unquam conditiones a Fundatore adjectas. Refert etiam, Moniales S. Felicitatis nihil ex Capellaniæ reditibus pro sacris utensilibus percipere, cum ipsis provisum fuerit per assignationem fundi a familia Capponi ea de causa jam factam.

Loquitur deinde de Anniversario, de quo in instrumento fundationis Capellaniæ per separatam scripturam disponere velle Fundator declaraverat, & observat, nunquam de illa disposuisse, nec ullum reperiri monumentum, ex quo assignatio scutorum decem Societati S. Mariæ ad Templum appareat. Cum tamen in testamento eidem Societati reliquerit scuta 300., ut ex parte fructuum duo Anniversaria celebrarentur, idcircò censeri posse dicit, eximere hoc modo voluisse Capellaniam ab onere annuæ præstationis, idque ex eo etiam desumi, quod Societas, & Moniales nil quidquam a Capellano unquam postularunt. Concludit, onera Capellaniæ juxta proportionatam redituum quantitatem fore reducenda.

Præcipuè hac in re animadvertendum occurrit, an *taxative*, vel *demonstrativè* binas domunculas Fundator pro dote Capellaniæ assignaverit, ut inde dijudicari possit, an hæredes ad supplementum adigi debeant, seu potius sit locus reductioni. Perspecta satis est regula, quam tradit sa:me: *Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib. 13. cap. ult. num. 23.*, ut nempe si dispositio ab oneris impositione exordiatur, & deinde ad assignationem fundi descendat, tunc teneantur hæredes supplere quod deficit; sin autem a dotis constitutione incipiat, & deinde ad oneris præfinitionem deveniat, tunc taxativa dicatur assignatio, & onerum reductio tribuatur. Serio proinde perscrutanda fundatio est, quæ non in testamento, sed per actum inter vivos facta deprehenditur, ubi Fundator declaravit= *La sopradetta dote di scudi 44. . . . . io la costituisco, ed assegno nella pigione di due Casette . . . una delle quali è nel Popolo di S. Michele . . . , e l'altra dentro la Porta di S. Niccolò sopr' Arno;* & onus restaurationis earumdem Domorum imposuit hæreditati, quando vel in totum, vel in parte ob aliquod infortunium collaberentur.

Quoad reductionem certa regula est, quod alia potius onera, quam Missarum numerus imminui debeant, nisi Fundatoris voluntas aliter suadeat, prout advertit san. mem. Benedictus XIV. *loc. sup. citat.*, & huic regulæ se conformavit Episcopus Capponi, dum mandavit: *Che prima d'ogni altra cosa si moderi, e si levi l'obbligo d'intervenire a Vesperi, e non si diminuiscano mai le Messe.* His ergo, aliisque ad rem perpensis decernent Emi PP.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum, in casu &c.

F I N I S.

INDEX CONCLUSIONUM,

Quæ adnotatæ sunt in foliis Causarum anni 1774.

Con-

Paf-

Jubi-

Q

R

S

T

V

Ter-

Tertia est unio *æque principalis*, cum utraque in suo statu permanet, nec una alteri subditur, sed ambo in pari gradu consociantur *ibid.*

Unius factum nequit detrimentum afferre juribus aliorum, qui sunt de eodem gremio *pag.* 58. §. *Neque*.

Vocatio passiva tacitam presefert conditionem in vocato, ut per se ipsum inserviat *pagin.* 159. §. *Advertit*.

Hinc si tempore vacationis passive vocatus sit inhabilis, potest Patronus nominare alterum subsidiarie vocatum, vel etiam extraneum, qui statim Ecclesię inserviat *ibid.*

Utensilia persolvenda sunt Ecclesię, ubi Missæ celebrantur juxta morem loci, & ipsius Ecclesię *pag.* 182. §. *Ad II.*

In Urbe taxa pro utensilibus non excedit scuta quatuor pro qualibet Missa quotidiana *ibid.*

FINIS.



IN-

INDEX RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in Causis propositis in Sac. Congregatione Concilii anno 1774.

R

S

FINIS.